

Observationum

NVI

OBSERVATIONVM SELECTARVM

AD


REM LITTERARIAM SPECTANTIVM.

TOMVS V.



HALAE MAGDEBVRGICAE Ao. 1702.

Proſtat in officina Libraria Rengeriana.





OBSERVATIO I.

De
BERNARDINI OCHINI DIALOGIORVM LIBRIS.

§. I. DE Ochini doctrina optime ex ipsius scriptis est judicare. §. II. Praecipuum inter scripta est dialogorum liber, italice scriptus, a Sebastione Castalione latine versus. §. III. Bzovius & Raemundus notantur, qui hunc in Transylvania scriptum dicunt. §. IV. Ochinus primis dialogis probat, Iesum esse verum Messiam. §. V. quid dialogo VII. de Christi satisfactione sentiat Ochinus. §. VI. quid de regenitorum peccatis & peccato lethali sentiat. §. VII. Dialogo vndecimo & duodecimo originale peccatum & legis obedientiam explicat. §. VIII. Dialogo decimo tertio, qua ratione homo possit obedire legi agit. §. IX. dialogo decimo quarto probat solius Iesu opera nobis ignosci peccata. §. X. dialogo decimo sexto qua ratione Deus sit exorandus docet. §. XI. dialogo decimo septimo necessitatem credendi, Iesum esse verum Messiam, probat. §. XII. de peccato in Spiritum Sanctum agit,

agit, & an regenitus posſit relabi. §. XIII. de Trinitate, & Chriſti diuinitate agit dialogo decimo nono. §. XIV. dialogo. XX. an perſonarum Trinitas ſit creditu neceſſaria, agitur. §. XV. dialogo vigeſimo primo de polygamia diſceptatur. §. XVI. Quae Ochini de ea ſententia, §. XVII. Lutheri & Ochini ſententiae de polygamia in caſu neceſſitatis conferuntur. §. XVIII. Exemplum Philippi Haſſiae Landgrauii adducitur, a Luthero aliisque Theologis & ICtis adprobatum. §. XIX. Braunsmannus Lutherum excuſans notatur. §. XX. Theodorus Betza Ochinum ſingulari ſcripto notauit. §. XXI. Ioannes Gerhardus Ochino reſpondet. §. XXII. Quid hac in controuerſia ſentiendum. §. XXIII. Theophilus Alethaeus inter recentiores polygamiam defendit. XXIV. Dialogus vigeſimus ſecundus an ob adulterium fieri liceat diuortium, tractat. §. XXV. Dialogo vigeſimo tertio an ob infidelitatem diuortium poſſit fieri, quaeritur, & ſimul quid de auctoritate Doctorum ſentiendum, dicitur. §. XXVI. dialogo vigeſimo quarto agitur, qua poena adficiendi ſint adulteri. §. XXVII. dialogo vigeſimo quinto paparum ſiue deorum terreſtrium ſectam eſſe prauiſſimam concluditur. §. XXVIII. dialogo vigeſimo ſexto de ratione extruendi regni Chriſti & deſtruendi Antichriſti agitur. XXIX. dialogo vigeſimo ſeptimo de criteriis verae, falſaeque eccleſiae, paedobaptiſmo & adminiſtratione ſacrae coenae agitur. §. XXX. dialogo vigeſimo octauo haereti-

cus

cus quis sit, an & quando interficiendus, disquiritur. §. XXXI. Hottingero idem arguenti respondetur. §. XXXII. dialogo vigesimo nono de praestantia agentis Theologiae agitur prae contemplante. §. XXXIII. dialogo trigesimo & vltimo de humana diabolicaque arrogantia dicitur. §. XXXIV. Breuis repetitio doctrinae Ochini, & contentorum in dialogis.

§. I.

Considerauimus priori obseruatione vitam & fata praecipua Bernardin Ochini eundemq; contra calumnias variorum, qui vel atheum, vel *haereticum* eundem faciunt, defendimus. Agemus nunc de doctrina, quo eum non iniuste a nobis defensum fuisse pateat. Melius id fieri non poterit, quam si ipsa eiusdem scripta examinemus, ex quibus de vera Ochini mente plenius patebit.

§. II. Praecipuum inter eius scripta mihi videtur eiusdem dialogorum liber, qui ipsi periculum attulit, Tigurinis turbam mouit. Titulus est talis. *Bernardini Ochini Senensis dialogi XXX. in duos libros diuisi, quorum primus est de Messia, continetque dialogos XVIII. Secundus est cum de rebus variis, tum potissimum de Trinitate. Basileae 1563. apud Petrum Pernam. 8.* Italice primum prodiit liber, post vero in lati-

 nam

nam translatus fuit linguam. Sebaſtianum Caſtalionem translatorem fuiſſe, nullum eſt dubium. Quod non ſolum probat Thuanus * & Bzouius,** ſed & Dudicius in notis MStis in hos dialogos Ochini, quas Sandio *** videre contigit; qui ad haec verba dialogi XVIII. *te Spiritus Sanctus inuadet, & ſupremi vis inumbrabit, itaque ſanctus iſte partus dicetur, hoc eſt, erit Dei filius:* haec in margine adnotauit: *vel hinc adparet eſſe Caſtalionis interpretationem.* Ipſe quoque Caſtalio, cum de hac facta translatione inculparetur, ſe in litteris ad Conſulem & Senatum Baſileenſem datis ita exculpat: **** *quod ad accuſationis partem ſecundam attinet, videlicet quod Bernardini Ochini dialogos transtulerim, non puto id mihi fraudi eſſe debere. Tranſtuli enim, (ſicuti & alia eius opera tranſtuleram,) non vt iudex, ſed vt translator, & ex eiusmodi opera, ad alendam familiam quaeſtum facere ſolitus: & typographus librum ſe dixit obtuliſſe, eumque ſecundum Baſileenſia inſtituta fuiſſe cenſura adprobatum.* Quare & dialogos iſtos *a bono illo viro, Sebaſtiano Caſtalione,* latine verſos dicit Theodorus Betza.....

§. III

* *lib. XXXV. prope finem*
** *ad annum 1542. §. 30.*
*** *Bibl. Antitrin. p. 5.*
**** *Sandius c. l.*
***** *de polygamia p. 4.*

§. III. Hos dialogos in varias alias linguas fuiſſe translatos teſtatur Bzouius; * quod vero eos in Tranſyluania ſcripſerit, vt teſtatur idem, poſtquam iam apud Heluetos eiectus, in quo & eum ſequitur Florimundus Ræmundus, ** maxime errant vtrique; cum anno 1563. editus fuerit liber, illo ipſo anno, quo eiiciebatur, qui & cauſa erat exilii. Quod ipſum etiam vtrosque refutat, qui dialogum de polygamia in Polonia conſcriptum, & Sigismundo II. Regi Poloniæ dedicatum fuiſſe dicunt, cum ille horum dialogorum coniunctim editorum partem faciat, vti infra latius patebit. Horum dialogorum exempla in loco admodum celebri eſſe concremata, refert Bullengerus, *** ſed mallem addidisſet locum & auctoritatem.

§. IV. Dedicatio libri primi directa eſt ad Comitem Bethfordiae, & ſane pie eſt ſcripta, omne ſtudium religionis in eo ſitum eſſe probans, cognoſcere Ieſum eſſe verum Meſſiam. Plenius adhuc id probat dialogo primo praeſertim atque ſecundo. Contra Iudæos autem agit in toto hoc primo libro, quare & per dialogos, quos ipſe cum Iacobo Iudæo inducit, rem explicat, Iudæorum argumenta Iacobo

* *c. l.*

** *Synopſi hæreſ. ſec. XVI. lib. III. c. V. p. 230.*

*** *apud Boxhornium in hiſt. vniu p. 1144.*

cobo exponente, refutante Ochino. Et ſane, qui penitius introſpexerit, quam firmis atque grauibus argumentis contra Iudæum disputet, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, qui legem adimpleuit, pro mundi peccatis ſatisfecit, ac omnibus malis nos liberauit, eum eſſe Meſſiam ſpiritualem; & quam fortiter Iudæi argumenta in contrarium euertat, fateri neceſſum habebit Ochinum vere & pie de Chriſto ſentire. Ita vt in Ochinum non cadat, quod Ioanni Bodino, Gallo, alias imputant, in colloquio eiusdem heptaplomeri fortius argumenta Iudaeorum ac Naturaliſtarum adſtrui, quam Chriſtianorum. In tertio, quarto, quinto & ſexto dialogis, contra Iacobum Iudæum probat, qua ratione per Chriſtum ab omnibus malis libertatem fuerimus conſecuti, & in ſpiritualibus cognitionem: peccata non imputentur, ſed condonentur.

§. V. Dialogus ſeptimus eſt, ex quo primum errorem hauſere Tigurini. Inducitur
p. 181 ibi Iacobus Iudæus, hæc verba proferens: *at vos Meſſiam ſatisfeciſſe dicentes, falſum dicitis, & quod nusquam in ſacris litteris vel diſertis vel idem indicantibus verbis extat:* Verum quidem, ſi ipſius Ochini hæc eſſet ſententia, eundem inter homines a Chriſto alienos haut male referri, certum. Sed ipſe in reſponſioni-

onibus suis Iudæo contradicit, & Christi satisfactionem constanter adstruit, maxime vero dum ait: *licet dicere Christum in cruce morientem satisfecisse duobus modis, primum quia diuinæ voluntati satisfecit, cum Deo vsque ad mortem crucis obedit, faciens quidquid ei Deus mandauerat, eumque facere volebat. Alio item modo satisfecit, dum pro peccatis nostris satisfacit, propterea quod eius supplicium mortemque Deus gratis acceptum habuit pro satis magna satisfactione pro peccatis nostris: quamuis ea per se ac suapte natura non talis esset, vt Deum ad ipsam pro tali accipiendam obstringeret. Itaque non nisi Dei beneficio satisfaciens fuit mors Christi.* Hoc de Christi satisfactione adsertum est Ochini. Arguit quidem Hottingerus Ochinum, quod paullo post scribit: *satisfecit Christus & pro nostris peccatis, hoc est a nobis commissis: & pro suis, hoc est, sibi imputatis. Itaque vt concludam, hoc dico, quamuis in sacris litteris Christum satisfecisse non sit disertis verbis proditum, tamen eadem sententia in eis extat, quo modo iam diximus, itaque pie dici hoc potest.* Falsissimum hoc putat Hottingerus, sic, ut apertis scripturæ testimoniis comprobari possit. Impium quidem esset dicere, Christum pro peccatis nostris non satisfecisse: impium, dicere illud scripturæ sacræ testimoniis non comprobari: satisfecisse vero disertis atque expressis verbis in

p.189 (margin, beside "ro dum ait") ; p.191 (margin, beside "hoc est, sibi imputatis")

ſcripturis contineri nemo probabit. Chriſtum ſuſtuliſſe peccata noſtra, ſuſcepiſſe debita, paſſum eſſe ob noſtra delicta, ſacrificium eſſe factum pro peccatis & expiationem, liberaſſe nos a peccatis; loquuntur ſcripturae. Ex quo ſatisfactum eſſe DEO omnino ſequitur, cum remisſio peccatorum arguat ſatisfactionem; licet illud expresſis verbis in ſacris non extet. Ex quo videmus, nouam non eſſe hac de re doctrinam, quam in Hodego ſuo ad doctrinam de iuſtificatione probat Democritus Chriſtianus; quin iam dudum fuerit prolata, licet & huius ſcriptoris ſpiritum non vbique ad probemus.

§. VI. Dialogo octauo bene probat, Chriſtum nos redemiſſe atque ex peccati ſeruis feciſſe liberos; idque verum eſſe Mesſiae attributum ex Veteri Teſtamento docet. Dialogo nono oſtendit, qua ratione Chriſtus nos Deo reconciliauerit, iramque Dei placauerit. Dialogo decimo diſputat an regeniti peccent adhuc; vbi poſtquam varias variorum adduxerat ſententias, an & quatenus
p.222 peccent, concludit: *Habuere renati Dei bonitatis cognitionem, ſpiritualemque guſtum atque ſenſum in Chriſto & per Chriſtum: habuerunt & diuinae electionis ſuae teſtimonium, arrham, ſigillum ſancti Spiritus. Itaque cum reſtet in eis viua memoria bonitatis Dei, certaeque ſcintillae ſpiritus, a quibus*

aper-

a peccato abstineantur, superest in eis semen viui sermonis Spiritus Sancti, eorum animis tenaciter impressi: cuius sermonis opera singularem illum Dei amorem sensere: quo fit, vt aut nunquam, aut certe rarissime labantur: idque non vt saxum, sed leuiter vt plumae; non in vitium toto animo pracipites effrænique impetu ferantur, sed reluctantes animique conscientia mordente, ideoque facile & cito resurgant. At impiis, qui Deum nunquam gustauerint, contra vsu venire. Vt ergo quid de regenitorum peccatis sentiat, bene explicet, in sequentibus etiam quid per lethale peccatum intelligat Ioannes * enodat; non quidem peccatum in Spiritum Sanctum, quod nobis non ita notum esse dicit, vt id certo sciamus, quale sit; sed tale peccatum, in quo quis ad mortem vsque perseuerat, & in eo sine pœnitentia moritur. Illud proprie adpellari dicit crimen, & lethale esse peccatum, ac pro huiusmodi peccatis orari non debere; videlicet postquam in eis mortuus est homo, at quamdiu viuit, semper orari debere eius peccatorum veniam. Id quod ab Hottingero & Tigurinis non esse adnotatum miror, cum ab orthodoxorum sententia plane sit alienum; iis tamen qui post mortem aliquam adhuc animae purgationem credunt, defendendum relinquimus. p. 225

* *I. Ioh. V.*

§. VII. Vndecimus dialogus totus facit ad probandum, esse peccatum originale: id quod sacræ litteræ vocent peccatum, legem membrorum, cupiditatem. Primo quidem diuersas quindecim refert opiniones, quibus probare contendunt aliqui, peccatum originale quid sit, qua ratione operetur & transeat in omnes homines: quas tamen omnes tanquam falsas reiicit, & suam latius probat. A morte facit initium, eam non esse naturalem adserens, sed pœnam peccati, quae per Adamum venerit in mundum. Deinde esse originale peccatum probare contendit, id quod variis scripturæ locis facit, quae etiam
p.295 singula optime explicat, & concludit. *Fecit Deus hominem rectum ac non intemperatis adfectibus praeditum. Itaque cum iidem nunc sint intemperati, fatendum est, eos esse peccata, & ab Adami peccato originem traxisse. Et sane eos potuisset a nobis auferre Christus, vt sint intemperati, hoc est moderari in ordinemque cogere: sed noluit: quin eos sic reliquit ad virtutis exercitationem. Illud fateor, Christi beneficio fieri, vt electis non imputentur.* Dialogo duodecimo, qua ratione ope Iesu legi diuinæ possimus obedire, explicat, vbi inter alia: *Dixit Paulus legem latam esse ob delictum, hoc est vt non solum per eam officium deli-*
p.302 *ctaque nostra cognoscamus, legisque terminos saltem supplicii metu transgredi caueamus, verum etiam*

iam vt videntes nos ei obedire non posse, de nostri confidentia deiecti, ac de nobis desperantes, salutem in Christo quæramus. Et alio loco, quid ut obediamus legi requiratur, optime exprimit, dum ait: *Paulus latam a Mose legem adpellauit spiritualem, quoniam ea a nobis non solum externa, verum etiam interna mentis & voluntatis opera exigat, & insuper renatum cor, mentemque spiritualiter reformatam, atque adeo summum lumen fidei, quo Deum summo amore prosequamur. At nos contra, sicuti scripsit Paulus, semoto Christo, carnales sumus, ideoque diuinæ legis ne tantum quidem exsequi possumus.*

§. VIII. Dialogo decimo tertio disputat, an Christi opera adultus homo iustus fiat obediendo legi? vbi probat, omnia nostra opera, quam bene etiam facta, sordere, & esse coram Dei oculis sicut pannum menstruatum. *Exigit enim, ait, lex perfectam obedientiam, quam nos, quia præstare non possumus, peccamus, & quidem necessario, etiamsi Deum supra omnia diligamus, tametsi huiusmodi peccata nobis ad æternam pœnam non imputantur.* Nullum ergo hominem sua ipsius iustitia iustum esse dicit, ita vt omnia opera nostra iniusta sint & imperfecta, talia autem si modo fides adsit in Christum, non imputari. Arguit quidem hic Hottingerus Ochinum, quod Iacobum ita inducat loquentem, quæ ipse tacendo se non improbare p.326

bare significet. Sed male rem egit suam, Hot-
p. 334 tingerus,*verba Iacobi hæc sunt : *Neque vero verum est, quod solent dicere nonnulli, tametsi nullo Dei dicto docti, videlicet nobis perpetuo orandum esse Deum, vt nobis ignoscat peccata. Postquam enim nobis iam condonata sunt, nisi denuo alia committamus, nihil opus est, vt eorum veniam ab eo petamus. Nam quod Christus docuit, orare, vt peccata nobis ignoscat, id de eo tempore docuit, quo nobis venia opus est. Nusquam literis proditum est, apostolos, postquam peccatorum veniam consecuti sunt, orasse amplius Deum, vt sibi ignosceret: iidemque epistolas scribentes, cæteros exhortati non sunt ad orandum Deum vt ipsis ignosceret: Sed cum ipsi orarunt Deum, tum alios ad orandum incitarunt, vt sibi daret spiritum, audentiam, libertatemque publicandi sermonis Dei, idque confidenter & impauide, nullo rerum humanarum respectu. Neque vero ea mente docuit nos orare Christus, vt orantes vniuersa illa verba dicamus, sicuti multi falso opinantur: nec vsquam litteris proditum est, vel ipsum vel apostolos orando illa verba protulisse. Sed eis proposuit eorum summam, quae Deum orantes poscerent, vt alias aliud orarent, prout res postularet. Itaque sic statuo eum, qui Deum supra omnia diligit, iustum esse expertemque peccati. Sed in eo malum est, quod iam dicturus sum. Vos estis plerumque fidei & caritatis expertes: hinc*

* p. 483. & 486.

hinc fit, vt non solum non vere pœniteat vos commissorum peccatorum, verum etiam perpetuo noua committatis, & tamen salutem speretis, dicentes, quod diuinæ legi non obeditis, id ideo fieri, quia ei obediri nequeat: & tamen vos pro insontibus, atque adeo pro iustis habetis: videlicet quia vobis non imputentur peccata vestra, videlicet Christo imputata. Et quoniam Christus diuinæ legi perfectissime obediuerit, ideo eum solum sua obedientia fuisse iustum: quoniamque ipse vobis iustitiam suam [sicuti vos perhibetis] impertiuit, vos quoque estis, vestro quidem iudicio, perfectissima præditi iustitia, quasi Christus venerit, non vt vos a peccatis liberaret, sed vt efficeret, vt vobis quamuis manentibus in peccatis, & in deterius abeuntibus, non imputentur vestra scelera; atque ita licet impii, & legi prorsus non obedientes tamen iusti sitis, quia vobis imputetur iustitia Christi. Latius deinde variis scripturæ dictis probatur, qua ratione per Christum iustificamus. Vt dicam quod res est Iacobum quidem inducit hæc verba proferentem, sed ipsa mens videtur esse Ochini. Confirmat me in eo, quod tam longa argumentorum ratione & scripturæ sacræ auctoritate dicta hæc probet, vt vel inconcussa videri possit veritas. Ipse vere Ochinus, ne verbulum quidem Iacobo reponit, quod plane contra ipsius morem. Reprehendit quidem eum Hottingerus, qui per omnes Germa-

maniae Galliae atque Angliae ecclesias doceri ait, sola fide fideles absque operibus iustificari; Deum autem propter meritum Christi peccata fidelibus non imputare, imputare autem ipsis iustitiam obedientiamque Christi;
p.483 Ochinum autem dicere, necessarium esse, vt non peccemus, sed justi simus, hominemque sine peccato posse viuere. Sed tangit hoc ipso communem hominum errorem Ochinus, qui per imputationem meriti Christi salui fieri cupiunt, nulla habita sanctitatis vitæ ratione. Quare non sufficere ait, vt nos pallio purpureo Christi vestiamus, sed hominem iustum esse debere, expertemque peccati. Non quod plane nullum committat peccatum; sed quia Deum amat, in Christo viuit, vitæ sanctitatem seruat, ob mortem Christi non imputentur quotidiana ista, si modo redactus fuerit in statum eorum, qui pœnitentia non egent, vt ipse Christus loquitur.

§. IX. Dialogo decimo quarto late probat contra Iacobum Iudæum, solius Iesu opera nobis ignosci peccata. Et licet Iacobus obiiceret antiqui fœderis sanctos homines Iesu opera salutem obtinere non potuisse, cum Iesus in mundum nondum venisset: respondet tamen Ochinus, salutem sanctorum, qui Christum antecesserunt, non pendere a

vir-

virtute supplicii mortisque Christi, sed pendere ab eo, quod Christi mortem gratis acceptam habuerit Deus; & quia Deus acceptam habuerit, antequam ipsa esset, vt electis salutiferam, habuisse in eis vires etiamsi nondum venerat Christus. Quare etiam & in V. Testamento & ipso natiuitatis tempore Seruator dicatur ab angelis, quamuis nondum crucifixus seruasset sua morte mundum.

§. X. Dialogo decimo quinto quinam per Iesum salui fiant, probat, eosque non angelos esse dicit, sed homines. Culpam tamen nec Dei nec Christi esse, si quis periret, sed ipsius hominis. Dialogo decimo sexto docet, qua ratione per Iesum orantes, exoremus Deum. Et quidem qua ratione preces operentur quidpiam, optime exprimit, dum ait: *vult* p. 368 *Deus vt precibus vtamur, non quia ipsi, quo in nos beneficia conferat, iis fit opus, sed ad utilitatem nostram.* Et paullo post: *neque vero dici potest, preces nostras si cum fide & Spiritu coniunctæ sint, sua ipsarum vi necessario obtinere postulata, quia non nostra, sed Dei sunt opera: si quidem vniuersa Dei opera atque creaturæ cum a Deo pendeant, non possunt eum ad conferendum nobis vel tantulum beneficium obstringere, aut commouere, aut flectere. Solus DEus se ipsum potest obstringere ad beneficia in nos* con-

conferenda: dum vel gratis bene nobis facere statuit, vel etiam promittit. Vult igitur Deus, vt oremus, quo non ipsum Deum, sed nos ipsos moueamus, nos ipsos in fide Christianisqae virtutibus exercentes, idque ad vtilitatem nostram.

§. XI. Dialogo decimo septimo necessitatem credendi Iesum esse verum Messiam commonstrat, & quo pacto nosci id possit. Postquam igitur varia scripturæ loca ad probandam hancce sententiam adduxisset, tandem pie ac iuste Iudæum ita adloquitur: *vt* p.387 *tibi verum dicam, vnica est ratio clare ac sine vlla dubitatione cognoscendi, Iesum fuisse Messiam, id quod firmiter constanterque credamus, necesse est, si salvi esse volumus, videlicet vt præterquam quod animaduertas, omnibus quos iam recensuimus, modis, Iesum esse Messiam precibus ad Deum vtaris e umq; confidenter ores; vt per Messiam in te illa omnia faciat, quæ se in illius aduentu facturum promisit: videlicet vt tibi lapideum cor adimat, & molle det teque vetere Adamo spoliatum Christo induat, te regeneret, te ex carnali spiritualem reddat mundetque & liberet a peccatis, illuminet & inflammet intrinsecus, faciatque vt ipsius legi obedias & animo tuo legem caritatis imprimat, tibi pacem det et mentis & conscientiae, omnesque virtutes christianas, & te omnibus spiritualibus vbertatibus felicitet. Ita fiet, vt intus illuminatus, omnibusque donis ditatus, quæ in adventu Messiæ adepturi sunt homines, manifesta experi-*

entia

entia in te ipse sentias, in te comprobata esse de Iesu ea quæ de eo fuere prædicta, atque ita Iesum fuisse Messiam certum, compertum, exploratum habeas. Verba sane quæ satis arguunt, quid de Christo & statu christiano sentiat Ochinus.

§. XII. Dialogus decimus octauus libri primi vltimus, de peccato in Spiritum sanctum agit, quid sit, & plane singularis est. Praemisit præfationem cum hisce verbis: *omnibus euangelicam veritatem oppugnantibus, verosque Christianos infestantibus Bernardinus Ochinus salutem optat.* In ipsa vero præfatione multos esse dicit, qui cum se peccasse putent in spiritum sanctum, se ipsos vltro in altum desperationis barathrum præcipites darent, nullum admittentes remedium. Tales autem homines ex isto libello posse discere, nescire se an in spiritum sanctum peccaverint, ideoque de diuina gratia cur desperent, caussam non esse. Concludit tandem: *Ad hunc igitur legendum eos exhortor, vt huius opera cognitionem aliquam spiritualemque gustum consecuti bonitatis Dei, omnem ei laudem, honorem, gloriam tribuant, per Iesum Christum Dominum nostrum. Ita fiat.* Dialogus est inter Philautum & Paracletum. Ille quidem ob innumera scelera caussam se habere ait, cur de salute desperet; quare dum adhuc in vita superstit, ad effugiendos vitæ

huius cruciatus omni generi voluptatum se dedere constituit, in contrarium eius animum dirigente Paracleto. Et cum Philautus inter peccata alia innumera, & illud in Spiritum Sanctum se quoque commisisse dicat, occasionem adripit Paracletus, explicandi, quid sit peccatum in Spiritum Sanctum atque viginti duas adfert de eo opiniones, patrum maxime, singulas tamen stare non posse dicit. Mentione quoque a Philauto facta dicti Paulini, *Hebr. I. v. 4*, vbi Paulus fieri posse negat, vt qui semel collustrati cœleste donum gustarint & participes fuerint sancti spiritus, præclaraque Dei dicta & æui futuri virtutes gustauerint, & tamen relabantur, vt ii iterum vitæ correctione renouentur. Paracletus verba hæc omnium, quæ usquam extant in sacris litteris, obscurissima ac intellectu difficillima iudicat, ac eiusmodi, vt nulla magis homines peterreant, nisi rite intelligantur. Pauli hæc verba esse primum adstruit, cum auctorem dictæ epistolæ omnino spiritu sancto fuisse præditum dicat; eo quidem, quod ea epistola plena sit altissimarum sententiarum, nec a cæteris apostolis, nec ab euangelistis, tam aperte explicatarum: qualis illa est, quod Iesus sit Dei filius, & angelis & Mose superior: item de eius summo sacerdotio, de magno illo sacrificio, quo se ipsum li-

bauit

bauit: item quod desierit Iudæorum sacerdotium, & porro eorundem omnes ritus cæremoniarum. Postquam autem varias, patrum maxime de huius dicti explicatione adduxerat sententias, concludit tandem, Paulum p. 425
loqui de Iudæis illis ad Christum conuersis, qui rerum supranatur alium non nisi naturale lumen gustumque habebant, cum nonnulla participatione donorum sancti spiritus: qui de lumine illo delapsi resurgere non possent. Atque alio loco interlineari quasi paraphrasi p. 429
Pauli dictum ita explicat: *qui collustrati fuerunt non ita, vt viuam habuerint Christi cognitionem, sed tantum ex audito externo sermone partam. deinde eandem sententiam impetu spiritus iterans atque amplificans variis verbis, illud subjungit, donumque cæleste gustarunt: hoc est Christum leviter manducarunt, & primoribus labris gustarunt: sed non item deglutierunt, utque suum viua fide comprehenderunt: aut si deglutierunt, id humana & incoata fide factum est, ita ut in eis radices non egerit, quippe citra humorem diuinæ beneficentiæ. Præterea participes, inquit, fuere sancti spiritus, hoc est eius donorum, at viuae fidei non item: eumque Dei gustum habuerunt, qui parta fide comparari potest; hi inquam si Christum relinquunt & insuper contemnendo traducunt, sicuti qui eum crucifixerunt, non iam possunt vitæ correctione instaurari, hoc est reiectaneos esse se ostendunt.* Obiicit qui-

dem Philautus, inconueniens esse, eos qui altiore lumine ac supranaturali delapsi fuerint, vtpote Petrus, posse resurgere, illos vero qui de inferiore lumine, videlicet quæsito, delabantur, non posse. Cui tamen objecto respondet paracletus, Petrum & alios qui de altiore lumine cadant, iam viuam fidem in se fuisse expertos, atque singularem Dei bonitatem iam gustasse spiritu: quare etiamsi labantur & peccent, Christum tamen amare eos non desinere, nec fidem, quæ in eis iam viua, perdere, & cum ea operetur continuo, fieri, vt tales facile iterum resurgant. Illos autem ad Christum conuersos Iudæos, de quibus metuebat Paulus, ne ad Iudaismum reuerterentur, non nisi quæsitam habuisse, facileque potuisse in priora relabi peccata, & a Iesu deficere atque hac ratione posse explanari, verba Pauli, quod nimirum sponte sua peccantibus post admissam cognitionem veritatis, nulla supersit hostia aut sacrificium: idque, quia Iesu mortem repudiauerint, vnicæ hostiæ & sacrificii ad expianda peccata mundi. Addit tandem: *quod si sic explanentur verba Pauli, congruunt cum superioribus, quibus eos exhortatur, ne semper hæreant in disciplina contemplantis theologiæ, quoniam, qui de quæsito illo lumine dilabatur, is sæpe non solum Christum relinquat, postquam eum nunquam spiritu gustauit, verum*

rum etiam eum clam animo despiciat derideatque, id quod non faceret, si se sancti spiritus disciplinæ addixisset, in qua discitur agens theologia. Licet & Pauli mentem hanc esse dicat, non vt fieri non possit, sed vt vix possit fieri, ac tales homines raro resurgere. Subiungit quoque p.431 de peccato in Spiritum Sanctum, vbi primo probat nullum electum peccare in Spiritum Sanctum, quippe qui omnes etiamsi nonnunquam peccent, resurgant ac seruentur, quia immutabiliter electi ad vitam æternam. De- p.432 inde credit ad salutem non esse necessarium, certo scire, quid peccatum sit in Spiritum Sanctum: esse vero peccatum, commissum esse, & committi posse, non vero ab electis, sed tantum a reiectaneis. Credit etiam hoc peccatum non remissum iri idque absolute. Peccatum autem in spiritum sanctum illud di- p.434 cit, quando quis maledicit Deo aut Christo, aut euangelicæ veritati, post veritatem parta luce cognitam, idque ex animo. Filio vero hominis maledicere sic accipiendum esse ait, Deo aut Christo aut euangelicæ veritati maledicere ignoranter. Id quod ex Pauli verbis probat qui *I. Tim. I. v. 13.* de se loquens dicit: *ego prius eram in Deum maledicus, & infestus, & contumeliosus: sed mei misertum est, quoniam ignarus feci expers fidei.* Paulus enim ignarum se fecisse dicit, ideoque veniam adeptum

 ptum

ptum, alias ſi in ſpiritum ſanctum peccaſſet, condonatum non fuiſſet. Requirit ergo ad peccatum in ſpiritum ſanctum, vt quis praua voluntate maledicat. Neminem tamen de ſua ſalute debere deſperare ait, quamdiu in hac eſt vita, cum nemo certo ſciat, nec quanta improbitate maledicendum ſit Spiritui Sancto, vt peccatum condonari non poſſit, nec quanta improbitate ipſe ei maledixerit:
p. 439 concludit tandem, neminem quam grauiter etiam peccaſſet, nos debere ad deſperationem impellere, ſed omnes in ſpem attollere, & omnia caritatis officia in eos conferre. Et ſi qui eſſent, qui per ſpeciem ſtudii religionis dictitent, certum aliquem peccaſſe in Spiritum Sanctum nec vllum iam ei ſupereſſe remedium: eiusque conſpectum fugientes eum conſectentur, id naſci ex ſubtili quadam ſuperbia, inuidia, odio aut faſtu non caritate. Eos quidem, ſi Chriſti ſpiritu præditi eſſent ipſum quoque imitari, quia ille venit non vt, mundum damnaret, ſed vt ſeruaret.

§. XIII. Pergimus ad librum dialogorum ſecundum, qui duodecim continet. Dedicatio eius directa eſt ad Nicolaum Radziuilium: cuius rationes ipſe adducit; *diuerſas ſcilicet de Trinitate ſententias quas in Poloniæ aque eccleſiis emergere ſe audiuiſſe dicit.* Quare ſe motum eſſe ſcribit, vt duos hac de re ſcriberet

ret dialogos, in quorũ priori Trinitatem esse ostendatur, eiusque veritas ex sacris litteris probetur. In altero, Trinitatem credere nostri esse officii. In ipsa præfatione, rationes, quibus motus, arduam hanc de Trinitate materiam explicare, plenius exponit. Dicit enim, rem arduam quidem esse, sed cognitu maxime necessariam, speciatim a nemine adhuc satis pertractatam, licet alii pauca & leuia, occasione ita ferente, scripserint. Dicit etiam, se ad scribendum adactum fuisse amicorum precibus, & quod magis est, addit: *quod nonnulli, nulla a me data occasione, incipiebant non solum suspectum habere me, verum etiam a me eam non credi, dictitare, quæ me res coegit eorum errorem ostendere. Itaque, si quis ex hoc libro fructum aliquem perceperit, debebit & Deo & ipsis maledicis gratias agere.* Respondet deinde obiecto, cur in hoc scripto non fuerit usus auctoritate conciliorum & Patrum & sanctorum reliquorumque hominum, cum rerum diuinarum & supranaturalium cognitionem non possimus adipisci, nisi ex divina patefactione, Deique sermone, qui Deus solus natura sit verax, ideoque mentiri non possit; omnes autem homines esse mendaces, quare ad probandam veritatem vel vnicum verbum Dei posse sufficere ait. Et licet quidem aliqui forsan dicerent non in omnibus a se esse

satisfactum, iis tamen respondet: *scit DEus me in respondendo dixisse quidquid potui, quodsi ipsi plura sciunt magnam habent occasionem persequendi reliquias meas, quæ res mihi maximam afferet voluptatem.* Et si quis dicere velit, ieiune a se refutatos esse eos locos & argumenta, quæ contra Trinitatem adducantur, illi respondet: *si est, (vt est) vnus Deus & tres diuinæ personæ coæternæ & consubstantiales, idque insuper ex sacris literis perspicuum est, cum id credere deberemus, fatendum est, quidquid lororum & argumentorum contra adduci potest, id invalidum, fallax, debile infirmumq́; esse, ita vt sua sponte concidat.* Adgreditur deinde dialogum decimum octauum de summa Trinitate, in quo vti ipse titulus monstrat, ostenditur, tres esse diuinas personas, patrem & filium, & Spiritum Sanctum, reipsa distinctas, tametsi consubstantiales & coæternas & ad eos litterarum locos & argumenta, quae contra adduci solent, respondetur. Collocutores sunt Spiritus & Ochinus. Ille, quid credat Ochinus, interrogat, hic respondet. Interrogat ergo an Christus ex Spiritu Sancto conceptus, Maria virgine genitus? an Dei sit filius vnigenitus? an ipse Deus? & quas alias circa Trinitatem quæstiones se credere dicit Ochinus. Et cum Spiritus varia contra Trinitatem obiiceret, qua ratione unitas cum Trinitate posit consiste-

re,

re, explicat Ochinus: patrem enim esse eundem Deum dicit, qui filius, sed non esse idem suppositum, quod idem & de ceteris personis ait, ita tres esse diuinas personas, vnam autem diuinam essentiam demonstrat. Pergit *p. 43.* autem Spiritus recensere varias variorum de Trinitate opiniones vbi primo eorum adducit sententiam quos Monarchistas vocant, qui non nisi vnum Deum & patrem omnium faciunt. Qui licet filium etiam credant, non tamen ipsi æqualem, sed multó inferiorem: neque consubstantialem, sed ab eo reipsa differentem, & ex nihilo creatum, non ab æterno, sed tempore, tametsi ante omnes creaturas. Quam sententiam patrum etiam quorundam auctoritate comprobatam novi. Alios *p. 45.* inducit statuentes vnum tantum esse Deum, vnamque diuinam personam, eam tamen variis sic nominibus adpellari, ob operum quae faceret varietatem. Tertiam adducit opini- *p. 46.* onem eorum, qui dicant, tres esse diuinas personas, non solum re ipsa inter se differentes, sed etiam substantia atque essentia, quorum tamen singulorum opiniones solide refutat Ochinus. Cum autem a Spiritu petat, vt hanc de Trinitate quæstionem indiscussam relinquat, quia conciliorum auctoritate ipsorumque ecclesiæ reformatorum Lutheri inquam & Zvvinglii fuerit adprobata, Spiri-

tus autem conciliorum auctoritatem, vtpote in multis erroneam reiiciat, nec Lutheri atque Zvvinglii opiniones vtpote qui ipsi inter se dissentiant, tanquam iustam fidei regulam accipiat, ex Scriptura sacra potius hac de re in-
p. 50. formari cupit. Suscipit laborem Ochinus, Christi diuinitatem primum probans, idque ex eo, quod per Christum omnia dicantur creata; quod Christum adorare dicantut angeli, adorarint homines. Persequitur dictum Ioannis: *in principio erat verbum* & 1. *Ioannis V.* aliaque, quibus Christus vel ab æterno fuisse, vel filius patris vnigenitus, vel patri æqualis dicitur. Et cum ad hæc omnia ex Socinianorum mente respondisset Spiritus, Christum non natura esse Dei filium, sed solius Dei beneficio atque donorum participatione; atque ea ex ratione medium extitisse inter Deum & homines, quia & participatione fuerit Deus, & natura homo; singula eiusdem obiecta ex ipsis sacræ scripturæ fontibus grauiter diluit, atque dialogum ita concludit: *restat, vt ipsi sanctissimæ Trinitati omnem honorem, laudem & gloriam tribuamus per Iesum Christum, Dominum nostrum. Ita fiat.*

§. XIV. Dialogus XX eosdem habet collocutores, vbi Spiritus contendit, si vel maxime fuerit Trinitas, eam tamen creditu non adeo esse necessariam. Respondet Ochinus,

&

& omnino necessarium esse probat, tres esse personas & vnum Deum; qua ratione autem id fiat, & quomodo personæ inter se sint connexæ, creditu non esse necessarium. Hottingerus equidem * hoc & antecedenti dialogo adversariorum partes sceleratas contra diuinitatem Christi & Spiritus Sancti, longe melius validiusque instruxisse dicit, quam postea confregerit, diluerit ac confutarit; vt prudentioribus visus fuerit, magis commendare & insinuare impurissimam adversariorum doctrinam, quam tueri & docere orthodoxam atque catholicam. Sed quam grauiter argumenta contra Christi diuinitatem & personarum Trinitatem obiecta, dialogo XIX euertat, cuilibet legenti patebit. Immo satis iam ex libro dialogorum primo declaratum fuit, quam pie & vere de Christi diuinitate sentiat Ochinus, & quam firmiter Christum esse verum Messiam adstruat. Dialogo XX vero, vt verum fatear, non plane damnare videtur eos, qui non adeo distincte personarum credant Trinitatem, cum multis ardua is hæc sint inuoluta; si modo Christi beneficio se saluos fieri credant.

§. XV. Dialogus XXI is est, qui turbauit Tigurinos, aliosque Theologos Heluetos. Singularem præmittit præfationem, in cuius pri-

* p. 489.

primordio omnibus & maritis, qui de vxoribus, & vxoribus quæ de maritis conqueruntur, patientiam per Iesum Christum optat. Et quidem scripsisse se de matrimonio aliquot dialogos dicit, ea de caussa, vt ostenderet, quid afflicti homines inter matrimonii molestias facere queant, vt Deo placeant, vel facere nequeant, quin Deo displiceant. Collocutores habet dialogus Telipolygamum & Ochinum. Consilium Telipolygamus ab Ochino petit, quid sibi agendum? vxorem esse sterilem & valetudinariam, haut tamen eum se esse, qui fœmina carere queat, quare venire sibi in mentem, priori non repudiata, alteram superinducere, cum divinitus ad hoc adflari ac vocari sibi videatur. Ochinus autem plures simul vxores habere non licere ait, cum ea matrimonii sit natura, & id non nisi duorum esse oporteat: cuius probationem petit Telipolygamus. Id quod primum exemplo Adami confirmat Ochinus, cui Deus vnam tantum dederit vxorem: dein, quod ex duobus fieri dicatur vna caro. Ad quæ tamen & alia respondet Telipolygamus, obiiciendo potissimum exempla sanctorum, quorum polygamiam tolerasse potius Deum quam præcepisse ait Ochinus. Pergit dein ad verba Christi & Pauli, quæ contra polygamiam ex nouo foedere adlegari solent, quibus tamen aliter

ea interpretando ac communiter ſolent, contradicit Telipolygamus. Et cum obiiceretur, polygamiam quoque per leges imperiales eſſe vetitam, reſpondet tamen Telipolygamus, concubinatum per leges Romanas fuiſſe licitum, velle itaque leges, quae contra polygamiam adlegari ſolent, ſolam primam vxoris titulum & imperium habere, reliquas tantum concubinarum loco haberi debere. Nec etiam polygamiam conciliorum canonibus ſatis fuiſſe prohibitam contendit.

§. XVI. Tangit hic Hottingerus*Ochinum noſtrum, quod tanta leuitate, imprudentia & inſinceritate tractet in hoc dialogo cauſſam ſancti coniugii, vt legi ea non poſſint abſque offenſione graui. Sed potius dixerim, plura illum tribuere coniugio quam in ſe habet. Matrimonium enim non licitum tantum ſed & ſanctum dicit. Conſtat autem nullum ſine peccato eſſe coniugium. Homo enim primitus ad imaginem Dei creatus erat vir & foemina, ita vt per magicam generationem gignere ex ſe potuiſſet liberos. Hic autem cum brutorum ſibi imaginaretur concubitum, & adpetitu ſuo nimium deprauato, ex harmonia iſta in qua creatus, dilaberetur, ita vt per ſomnum iam in eo obdormiret imago diuina, Eva autem ex Adami dormientis corpore esſet deſumta, claudebatur locus iſte בשר, *partibus* *p.192*

tibus genitalibus. Sentiebat quippe Deus in Adamo adpetitum deprauatum, creabat ergo ex ipsius carne sociam Euam, ne grauius forsan peccaret; exercebat etiam Adamus adpetitum atque se brutorum instar cum Eua commiscebat. Hæc prima coniugii origo, quam sancta, quilibet videat. Verbo tamen promissionis: *crescite & multiplicamini*, coniugium non solum licitum fit, sed etiam Dei institutum, licet nullum tam sanctum reperias coniugium, quod omnis adpetitus deprauati & carnalis sit expers. Quæ vero Ochini hac de re sit sententia, patet ex ipsius verbis, quæ sub finem dialogi habet, vbi Telipolygamus quærit. *Quid vero mihi das consilii? Respondet Ochinus, vt plures non ducas, sed Deum ores, vt tibi continentem esse det.* T. *quid si non dabit?* O. *dabit si fidenter oraueris.* T. *quid si nec donum mihi, nec ad id petendum fidem dabit?* O. *Tum si id feceris ad quod te Deus impellet, dummodo diuinum esse instinctum exploratum habeas, non peccabis. Siquidem in obediendo Deo errari non potest. Aliud ego consilium tibi dare non possum. Quocirca tibi valedico & pro te oraturum esse me spondeo.* T. *& ego id te oro, ne Deum offendam, sed ei omnem honorem, gloriamque tribuam, per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.* Ea ergo Ochini est sententia, si quis vxorem habeat sterilem vel valetudinariam vel frigidam, ipse ve-

vero continentiæ dono non ſit præditus, Deum de eo implorare debeat; Si autem Deus nec donum, nec ad id petendum fidem dederit, tunc faciendum eſſe id, ad quod Deus impellat; alteram ſcilicet, non repudiata priori, eſſe ſuperinducendam, ita tamen ut quis diuinum inſtinctum exploratum habeat. Divinum enim inſtinctum iam antea requiſiuerat, vbi ait: *quemadmodum Abrahamus, Iacobus aliique multi ad polygamiam diuinitus vocati fuerunt, ſic & nos poſſumus. Neque vero video, cur hoc remedio illis potius quam nobis opus fuerit.* p. 219

§. XVII. Hæc Ochini eſt de polygamia ſententia, quam tantum ſugillat Hottingerus & Tigurini. Miror tamen, qui factum fuerit, iſtum tam acres nactum fuiſſe cenſores, cum alii iam ante eundem, viri longe maioris auctoritatis grauitatisque, eadem publice docuerint. Singularia ſunt, quæ hac de re docuit Megalander Lutherus*, vbi de vita coniugali ita loquitur: *wenn ſich eins des andern ſelbſt beraubet und entzeucht, das es die eheliche Pflicht nicht zahlen noch bey ihm ſeyn wil. Als man wohl findet, ſo ein halsſtarrig Weib, das ſeinen Kopf aufſſetzet, und ſolt der Mann zehenmahl in Vnkeuſchheit fallen, ſo fraget ſie nicht darnach. Hie iſt Zeit, das der Mann ſage: Wiltu nicht*

* *Vom ehlichen Leben Tomo II. German. Ien. p. 156. ed. Chriſtian Rodinger. Altenburg. Tom VI. p 214.*

nicht, so wil eine andere, wil Fraue nicht, so komme die Magd. So doch das der Mann ihr zuvor zwey oder dreymahl sage, und warne sie, und lasse es für andere Leute kommen, das man öffentlich ihre Halsstarrigkeit wisse, und für der Gemeine straffe. Wil sie denn nicht, so las sie von dir, und las dir eine Esther geben um die Vasti wie der König Ahasverus that. Fuere * quidem qui hæc verba de malitiosa interpretarentur desertione, sed clara sunt, aliter non explicamus quam sonant. Quid autem magis pium: Ochinus in casu vltimæ necessitatis, omnibꝰ adhibitis mediis & præmissis precibus ardentibus, sequendū docet instinctum diuinum: Lutherus proprium. Ochinus si vxor fuerit vel sterilis vel frigida; Lutherus si tantum refractaria. Ochinus docet aliam priori superinducere: Lutherus priori repudiata, alteram ducere. Iudicet qui velit; verba tantum refero; illud tantum dico caueat quilibet vt euitentur scandala, omnia autem dirigantur in honorem Dei. Sed cum illud, quod adlegauimus Lutheri scriptum papizare quis dicat, cum anno 1522. sit scriptum adeamus & alia. In thesibus ** quidem quas de polygamia anno 1528. scripsit, veteris Testamenti polygamiam.

* Gerhard *de confessione catholica in appendice artic. XIX. p.* 336.

** *§. LXV.*

miam & hodie ait esse liberam, h. e. vt ipse interpretatur, neque prohibitam, neque præceptam. Eodem anno scriptus ab eo est commentarius Germanicus in Genesin, in quo postquam diuortium Christianis nunc esse prohibitum dixerat, * addit: *Ist aber nicht verboten, das ein Mann nicht mehr dann ein Weib dürffte haben. Ich könte es auch heut nicht wehren, aber rathen wolte ichs nicht.* Sic & in epistola ad Clementem Vrsinum polygamiam tentari non posse ait, nisi extrema foret necessitas, aut altera coniuge separata per lepram aut simile. In dicto vero commentario in Genesin, postquam dixerat, Iacobum multis vxoribus ducendis non peccasse, diuinum æque requirit instinctum, dum ait: *wie dann wann wirs auch thäten, wäre es nicht auch recht oder ist es uns zum exempel geschrieben, das wir auch also thun sollen? Nein, dann ich habe ia offt gnug gesagt, man solle nicht auff die Werck sondern auff die Person Iacob sehen. Bistu auch ein Ierkel, so thue es auch. Gott will es nicht leiden, daß wir die Werck unter die hände nehmen, darum stellet er sich so närrisch mit der heiligen Werck, uns zu wehren, das wir nicht darauff fallen.* Hæc Lutheri atque Ochini de polygamia est sententia.

§. XVIII. Neque tamen hæc polygamia exemplis in republica Christiana destituitur a Iure

* *ad cap. XXX. Tomo IV. Altenb. p. 194.*

a Iureconſultis æque atque Theologis comprobatis. Sufficiet nobis iam vnicum Philippi Haſſiæ Landgrauii exemplum, de quo Thuanus * teſtatur: *eum fuiſſe triorchin, quod poſt mortem compertum, inſpecto a medicis corpore: itaque cum tanta eſſet fœcunditate, vt vxor eum, quoties opus erat, admittere non poſſet, virum alioquin caſtum, & qui vagis libidinibus minime oblectabatur, tandem negotio cum paſtoribus communicato, concubinam vnam ſuperinduxiſſe, cujus conſuetudine ardorem aliqua parte domando vxore moderatius vteretur.* Antonius Matthæus ** quidem a parentibus ſe accepiſſe dicit, Landgrauium ſolo formæ decore captum, virginem nobilem vxori deformi ſuperinduxiſſe. Maiorem tamen fidem habemus Thuano, hiſtorico alias graui, quam nudæ relationi. De eo ſaltem diſquiritur, an ipſe Lutherus hanc Philippi bigamiam adprobauerit? Adprobaſſe omnino videmus ex conſilio ab eo aliisque Theologis ſubſcripto, quod adducit Hieronymus Brücknerus ***. In eo autem aliud eſſe dicunt, inducere legem, aliud vti diſpenſatione. Legem quidem eſſe laudabilem ab eccleſia acceptandam, neque legem huic contrariam ſtatuendam, certis tamen caſi-

lib. XLI. p. m. 831. ad ann. 1567.
*** de Crimin. cap. VII. p. m. 467.*
**** conſil. matrim. c. XIV. p. 501.*

casibus locum esse dispensationi. *Si quis enim,* inquiunt, *apud exteras nationes captivus, ad curam corporis & sanitatem inibi, alteram vxorem superinduceret, vel si quis haberet leprosam, his casibus alteram ducere cum consilio sui pastoris non intentione legem inducendi, sed suæ necessitati consulendi, hunc nescimus, qua ratione damnare liceat.* Quare & concludunt: *habet itaque celsitudo Vestra non tantum omnium nostrûm testimonium in casu necessitatis, sed etiam antecedentes nostras considerationes* Hæc tamen non propalam sese monere ait, sed in arcano tantum, pro necessitate conscientiarum, ex secreto Confessionis. Ipsa eius verba prout adducuntur a Seckendorffio* audiamus: *Se & antea & postea diuersis vicibus docuisse, reducendam non esse Legem Mosaicam, etsi clam in casu necessitatis vel etiam publice [si magistratus iubeat,] pro exemplo vti illa liceat. Quamuis igitur afflictæ alicuius conscientiæ ex necessitate arcanum consilium daret, vt Mosis lege vel exemplo agat, non tamen ius manifestum aut exemplum statueret, sed respondisse, vt confessionarium [als einen Beichtvater] qui nihil agit publice, sed in arcano pro necessitate conscientiarum: nec procedi debere ad propalationem.* Tandem etiam Landgrauium monet, ne puellam deserat, cuius coniugium, tantæ cum necessi-

* *hist. Lutheranismi lib. III. sect. XXI. §. 79. Addit. 3. p. 280. a.*

tatis & conſcientiæ adlegatione obtinuerit; & claudit: *coram Deo defendi a ſe poſſe cauſſam Landgrauii ex ſecreto confeſſionis & neceſſitate, ſed coram mundo et iure nunc regente ſiue vſitato, nec poſſe ſe nec velle illam defendere.*

§. XIX. Ioannes Brunsmannus * excuſare quidem Lutherum conatur, quaſi non ex ipſius conſilio atque ſuffragio id geſtum fuerit. In auxilium vocans duplicam Io. Friderici Electoris & Principum Proteſtantium, contra Henricum Brunſuicenſium ducem Imperiali Cameræ exhibitam*; in qua ad ea, quod Henricus Iunior Saxoniæ Electorem, atque ipſius academiam Wittebergenſem inculpat, ita reſpondent: *ſo viel aber des von Braunſchweig anziehen berührter Sachen halber den Churfürſten zu Sachſen anlangt: darinnen ſagt der Churfürſt, daß der von Braunſchweig S. Churfürſtl. Gnaden und ihre hohe Schule zu Wittenberg fälſchlich anziehe und andichte, wird es auch nimmer weiſen noch wahr machen können.* Sed hæc facile conciliari poſſunt cum iis, quæ in ſuperioribus, ipſis Lutheri verbis adduximus. Lutherus enim ſe adprobaſſe dicit vt confeſſionarium in arcano, non ad propalationem: immo corã mundo & iure nunc regente ſiue vſitato nec poſſe nec velle

* *monogamia victrice cap. XXIX. p. m.* 244.

** *apud Hortlederum de cauſſis B. German. libro IV. c. XLVIII. p.* 1870.

velle se Philippi polygamiam defendere. Scilicet consilium erat, sub sigillo confessionis, non vt propaletur. Quare & Lutherus in scriptis aliis Landgrauii polygamiam non ita propalam adprobat.

§. XX. Egit autem contra dictum Ochini dialogum singulari scripto Theodorus Betza, quod Geneuæ prodiit 1576. 8. Institutum in hoc libello Betzæ est, vt primum Ochini, quem impurum adpellat apostatam, argumenta refutet, inde vero sua adstruat. Tredecim ex dicto Ochini dialogo excerpsit argumenta, quibus pro polygamia militat Telipolygamus, quæ tamen non omnia, nec ipsam polygamiam simpliciter adprobat Ochinus, sed non nisi pro circumstantiarum ratione. Ad primum ergo argumentum Telipolygami, ab exemplis sanctorum patrum petitum ita respondet Betza: multitudine peccantium excusari non posse peccatum coram Deo, nec vllo temporis spatio posse contra Dei verbum præscribi. Ad alterum, quod nulla expressa lege prohibeatur polygamia, respondet, non de rebus omnibus scriptas esse leges. Ad tertium, quod in historia Dauidis Dominus dicat: dedi tibi vxores domini tui in sinum tuum; hanc formulam potestatem tantum & imperium declarare. Ad quartum, lege esse cautum vt si cui duæ

fuerint vxores, vna quidem dilecta, altera exosa, & exosæ natus fuerit primogenitus, non posse patrem filium dilectæ primogenitum anteponere exosæ filio: tolerasse Deum in populo suo polygamiam, non adprobasse. Ad quintum, iuberi in lege vt frater excitet fratris sine sobole defuncti semen sine addita exceptione, nisi iam antea vxorem habuerit: adeo vt hac lege polygamia etiam præcipi videatur: istam exceptionem per se satis intelligi, imo casum hunc plane esse extraordinarium. Ad sextum, cum Paulus I. Tim. III. episcopum vnius vxoris velit esse maritum, ex eo liquere, aliquos tum in ecclesia fuisse polygamos: non negare se quidem inter gentes atque Iudæos multos illo tempore fuisse polygamos, nullos tamen ad Christianorum communionem admissos. Ad septimum, non ita crebra esse diuortia, si concederetur polygamia: negando, cum potius contrarium oriatur. Ad octauum, numerosiorem esse generis humani multiplicationem: quærendam esse prolem legitimis modis. Ad nonū, admissos olim fuisse polygamos ad baptismum, quod fieri non debuisset, si scortatores vel adulteri essent habiti: plurimū interesse inter scortatorem vel adulterum qui non nisi contra conscientiam peccat, & eum, qui aliorum exemplum secutus, plures alio-

alioquin honeftas vxores prius duxerit quam fe in ea re peccare intelligeret. Ad decimum, vxorem habere, non effe repugnans rationibus ad falutem neceffariis, ergo nec vxores habere, repugnare regno Dei,ad quod admiffi fuerint Abrahamus, Iacobus, Dauid& alii multi polygami: ἀδιάφορον effe coniugium, manendum tamen effe in verbo Dei, quod iubet vt vna vni coniungatur. Ad vndecimum, monftrofam rem non effe, vt vnicum caput habeat multa membra, fed illud plane effe monftrofum, vt vnum membrum habeat multa capita. Itaque vt in mulieribus improbetur, in viris tamen probandam effe polygamiam: ineptam hanc effe conclufionem & contra Dei inftitutionem. Ad duodecimum, multos patres fic loqui de polygamia, vt eam fimpliciter non condemnent: examinanda effe fcripta patrum, ad verbi diuini normam, Ad decimum tertium, miris laudibus efferre Ambrofium Valentinianum Imp. qui tamen duas vxores vno fimul tempore habuerit, nec de eo vsquam legatur, reprehenfum fuiffe ab Ambrofio: argumentum effe infirmisfimum. Quæ refponfiones an fatis vbique rem controuerfam exhauriant quilibet ponderet.

§. XXI. Sed præter Betzam Ioanne

Gerhardus * quoque contra Ochinum nostrum agit, eum Anabaptiſtarum, Turcarumque hac in re fautorem adpellans. Primo quidem polygamiam talibus argumentis quæ pro eadem communiter ſolent adduci, defendit; inde argumentis contradictorum, Ochini præcipue, reſpondet, licet paucisſima tantum tangat. Ad primum quidem ab exemplo patriarcharum petitum reſpondet: patriarchas iſtos ſiue ex inſpiratione vel diſpenſatione diuina, polygami fuerint facti ſiue ex praua temporum illorum conſuetudine, poſteritatis latius propagandæ deſiderio, exemplum N. T. Chriſtianis dare non poſſe, cum a Chriſto & apoſtolis ad primæuam inſtitutionem ſimus reuocati. Ad alterum, vbi Ochinus dicit coniugium iuxta varia hominum dona moderationem recipere ſecundum verba Pauli *I. Cor. VII. v. 7.* reſpondet: Paulum loqui de coniugio contrahendo, an ſatius ſit coniugium inire, an vero in cœlibatus ſtatu manere, atque ibi reſpondet apoſtolus, donum continentiæ non eſſe omnibus commune, ſed vnumquemuis proprium habere donum. Ad tertium, duos filios Abrahæ notare duo teſtamenta, vnum ex Sara alterum ex Agar: hanc autem non fuiſſe adulteram ſed legitimam coniugem Abrahæ, reſpondet: hoc nihil

* *loco de coniugio articulo poſteriori §. 20. & ſeqq.*

nihil aliud probare, quam polygamiam in V. T. fuiſſe vel per diuinam diſpenſationem licitam, vel diuina conniuentia toleratam. Quod ad finem polygamiæ, procreationem ſcilicet liberorum & commodum, bonum quidem eſſe illum, ſed debere eſſe legitimum.

§. XXII. Debita ergo fide, prout hiſtoricum decet, adduximus, quid de polygamia ſentiat Ochinus; & qua ratione argumēta Telipolygami euertere conetur Theod. Betza atq; Gerhardus: cuilibet integrum erit eligere quicquid velit, nos nihil decidimus. Illud tamen dicimus, aliam rationem habendam eſſe temporum N. Teſtamenti ac Veteris. Si enim pro ſtatu rerum, qui nunc eſt, quo vniverſus mundus ingenti hominum multitudine eſt refertisſimus, polygamiam pro lubitu concedere velimus, mundus capiendæ tantæ multitudini haut ſufficeret. Quod ſi etiam cum Ochino omnia ad inſtinctum diuinum limitare velimus, quilibet vel in carnali ſtatu conſtitutus, pro ſeculi noſtri corruptione, inſtinctum ſe ſequi diuinum dicet; cui etiam facile, ſi ita lege introduceretur adſentirentur eccleſiæ miniſtri. Cuiuslibet ergo erit, paternam Dei explorare voluntatem, probare ſpiritus & inſtinctus, ne vel oriantur ſcandala, vel ipſe ſibi anteuertat condemnationem.

 §. XXIII.

§. XXIII. Nihil amplius addimus, quam nondum elapsis triginta annis, fuisse quendam Theophilum Alethæum, vel potius Ioannem Lyserum, quod verum eius nomen, qui Telipolygami, partim etiam Ochini argumenta recoxit, noua etiam superaddendo, in suo *de polygamia* tractatu *Friburgi 1676. 8.* edito. Et in alio in Germania excuso cum titulo: *das Königliche Marck aller Länder*: in quibus polygamiam tanquam rem maxime naturalem divinam atque catholicam laudat, immo viam vitæ, quam qui probent, vere sint illuminati. Sed non solum prohibitus hic liber publico edicto, per Christianum V. Daniæ regem, sed & ipse Lyserus omnibus ditionis Danicæ terris cedere iussus est, cum antea pastoris castrensis officium apud Danos obiret. Ipsam quoque Lyseri doctrinam Ioannes Brunsmannus, Theologus Danus, publico scripto, cui titulus, *monogamia victrix**, confutauit, & orthodoxæ ecclesiæ hac de re sententiam explicauit, quod & speciali tractatu fecit Ioannes Musæus. Ipse quoque Hieronymus Brucknerus,** licet in casibus quibusdam necessitatis dispensationem contra legem monogamicā & polygamiæ prohibitiuam, ab his qui legislatoriam habent potestatem, fieri posse adserat, Lyse-

* *prodiit Francfurti 1679. 8.*
** *conf. matrim. cap. XIV. §. 61.*

Lyſeri argumenta pro polygynia pro futilibus atque ſophiſmatibus habet, eaque refutanda peculiari tractationi reſeruat.

§. XXIV. Sed pergemus ad reliquos Ochini dialogos. Dialogus XXII quemadmodum ob adulterium fieri liceat diuortium, tractat. Meſchinus enim, alter ex collocatoribus, queritur, ſe vxorem cum altero coeuntem deprehendiſſe, cui remedium præſcribit Ochinus repudium, * quod tamen religioſe ſe poſſe facere negat Meſchinus; qui vero fieri poſſit, inſtruit Ochinus. Vrget primum ex *I. Cor. VII.* vxorem non habere ſui corporis poteſtatem, ſed virum: ſimiliter & virum non habere ſui corporis poteſtatem, ſed vxorem. Quod ſi autem datam viro fidem frangat vxor, maritus liber ſolutusque fit, ita vt honeſtum ſui corporis vſum alteri fœminæ ſibi matrimonio copulatæ poſſit concedere. E contrario obiicit Meſchinus, ſi promiſſio aut donatio citra vllam conditionem fuerit facta, ſemper ratam eam eſſe etiamſi pars altera fidem fallat. Et quoniã in matrimonio tum ab vxore tum a viro promittatur plane, & nulla conditione adhibita, honeſtus vſus corporis, fieri, vt licet alter fidẽ fallat, non iccirco ſit alter a fide data liber. Dein obiicit Ochinus verba Chriſti *Matth. V.* ob vxo-

* *Conſ. matrim. cap. XIV. §. 61.*

vxoris adulterium ſolui matrimonium. Et cum reſponderet Meſchinus, in euangelio Ioannis nullam eius fieri mentio nem, immo potius Marcum & Lucam ex ore Chriſti dicere, ſi quis uxorem repudiaverit, alteramque duxerit, eum fore adulterum, *nulla* addita vel adulterii vel alterius rei exceptione; *ill*ud quoque diluit Ochinus, quod multa ſint ab aliquo ex Euangeliſtis prolata, ab alio omiſſa. Alia dein obiecta diluit, maxime vero repudium ob ſpirituale quod vocant coniugium, dum quis fit monachus, eſſe illicitum, & Papæ auctoritatem hac in re nihil valere, Chriſtiani autem magiſtratus: cum illius auctoritas Chriſto contraria; huius a Deo ordinata.

§. XXV. Dialogus XXIII. eosdem habet collocutores, quæſtionem autem tractat, an ob infidelitatem diuortium poſſit fieri? quod ex verbis Pauli *1. Cor. III.* concludit Ochinus. Paulum tamen ex eo Chriſto non eſſe contrarium adſerit, quod Chriſtus dicat, ſolius adulterii cauſa repudium eſſe licitum, cum ibidem & de carnali & ſpirituali adulterio, quando animæ in Deum ſunt infideles, loquatur. Sed opponit Meſchinus, contra interpretationem dicti Paulini a recentioribus factam, illud maxime, quod cum Paulus antea oſtenderat, vxorem non debere a marito ſe-

ab-

abiungere, dicat; *non ego hoc pracipio, sed Dominus*; postea vero vbi de eorum coniugio loquatur, quorum maritus aut vxor infidelis esset, dicat: *his ego dico, non Dominus:* quasi vellet dicere, mihi quidem sic videtur, sed de eo nullum oraculum habeo. Et si vel maxime dicamus, Paulum & eo loco ex oraculo diuino fuisse locutum, non tamen præcipit, vt diuortio ab infideli facto alteram iuste ducere liceat vxorem; sed mentem talem esse, si a viro fideli abscedat vxor infidelis, non icciro peccare maritum Christianum, sic ab vxore separatum, cum non ipsius culpa facta sit hæc separatio. Separatum itaque eum viuere liceat, non vero alteram ducere. Nec etiam communem istam sententiam a patribus adprobari, nisi ab Ambrosio solo. Et cum reiiceret Ochinus, suffragari tamen doctores recentiores, qui sacrarum litterarum maiorem habeant cognitionem, quam antiqui, sicuti constet tum ex eorum libris, tum ex ecclesiæ reformatione, qua Deus eam per illos nostro hoc tam tenebrioso tempore collustrauerit: hac ex re occasionem adripit Meschinus, de auctoritate doctorum edisserere, cuius verba, cum ad nostra apte conveniant tempora, hic quoque libet adponere. *Mihi vero*, inquit, *fecisse videntur*, (doctores recentiores, de quibus agit) *vt solent capra, quarum ea est natu-* p.263

ra

vt si salit vna, præsertim quæ tintinnabulum gestat, cæterisque antecedit, eam sequantur omnes, etiam si in præceps desiliat: vnde exire nequeant, neque huic malo mederi pastor possit. Idem tuis istis recentioribus doctoribus vsu venit. Nam eorum vni venit in mentem dicere, ob infidelitatem fieri posse diuortium: in quo dicto, quamuis in magnum errorem lapsus fuerit, tamen cæteri ministri clausis oculis vtrum ita esset nec ne, & an ille verum vidisset nihil considerantes, ne displicerent, timuerunt, ideoque ipsi quoque in tam immane præceps desilierunt: idemque porro cæcum quoque vulgus fecit, quod suos ministros tanquam deos quosdam suspicit: atque ita omnee ideo errarunt, quia primum illum qui errauerat, errasse non putarunt, quoniam is in tantis tenebris multarum rerum veritatem, quæ tanto tempore sepulta iacuerat, vidisset, & in lucem protulisset. Quod autem primus ille, itemque eum secuti reliqui, errarunt, ex eo natum est, quod Pauli præceptum non obseruarunt, qui ad Corinthios scribens, volebat, vt qui essent in ecclesia, interdum conuenirent, & ibi habendis spiritualibus colloquiis explicarentur S. Litteræ, & minister propositam vnam aliquam ex sacris litteris sententiam explanaret, idem facerent singillatim cæterorum peritissimi quique. Quod si loquente doctorum illorum quopiam, alicui illiterato apertius quam primariis illis fuisset patefacta veritas, tacerent illi & huic audientiam præstarent. Postremo, postquam omnes qui il-

illius dicti cognitionem aliquam haberent, sententiam suam dixissent, iudicaret ecclesia & quod ipsa judicasset, crederetur palamque doceretur. At nunc non ita fit, nam quod minister verum esse iudicat, docetque, id censet omnibus aliis credendum esse tanquam caput fidei, quod si quis contradicit, neque illi citra vllam conditionem fidem adhibet, is hæreticus est. Denique quod noctu somniarunt, id cartis mandant, excudique curant, suaque scripta & verba pro oraculis haberi volunt. Neque est quod eos speres vnquam recantaturos aut sese ecclesiæ suæ subiecturos. Volunt vt ecclesia ipsorum, non ipsi ecclesiæ arbitrio credant, id quod nihil aliud quam se quosdam papas terrenosque deos esse velle & in hominum conscientias tyrannidem exercere, ac dominos esse fidei eorum qui sunt in ecclesia, velleque vt ipsorum arbitratu credant, contra quam ipsimet credunt, vt cum mundo consentiant, neque cum Christo infestentur. Longius hæcce adduxi, quo exinde constet, iam a primo reformationis tempore extitisse papas istos protestantes, qui ad dogmata sua homines cogere & in eorum conscientias tyrannidem exercere voluerunt. Adsentitur interim & in his, & in quæstione superius tractata, scilicet ob infidelitatem non licere repudium facere, Ochinus, licet vterque omnium dicto-*p.269* rum iudicium Christi ecclesiæ permittat.

§. XXVI.

§. XXVI. Dialogo XXIII. disquiritur, quanam pœna afficiendi sint adulteri. Collocutores autem habet Ochinum & Archozelodicum. Ochinus quidem ab initio profert, necessarium omnino esse, vt dum cœpta fuerit renouari religio, etiam ius renouetur, quod etsi & nunc optandum, vix tamen sperandum. Occasionem ita adripit de pœna adulterii disquirendi, quam apud Iudæos fuisse dicit lapidationem, vt adulteri vel adulteræ ab omni populo lapidibus obruerentur, ex
p.281 *Ioan. VIII. Apud nos vero*, concludunt vtrique *vt in adulteros capitalis pœna decernatur, iustum est ob peccati grauitatem, sic tamen, vt arbitrii sit magistratuum pœnam moderare, adhibita norma æquitatis & caritatis, pro adulteriorum diuersitate & circumstantiis, dummodo æquis lancibus id fiat.*

§. XXVII. Singularis est dialogus XXV. qui illud tractat, quænam sit omnium, quæ vsquam vel fuerunt, vel sunt, vel esse possunt pessima secta hæreticorum. Præfatio directa est ad Principes & magistratus, in qua timere se dicit ne in ecclesiis Christi noui Papæ existant, exhortari itaque se cum omnes, tum inprimis magnos & potentes, vt sapiant & oculos apertos habeant, neue nouum Papatum surgere permittant, addit enim: *nam si paruulum illud cornu quod vidit Daniel, videlicet episcopus Romanus, ecclesiam Christi demoliri,*

omnes-

omnesque principes Christianos sibi subiicere potuit, idem posset & aliquis ministrorum nostro um facere. Quare impigros vos & vigilantes præbete, vt soli Deo, non Papis, omnis laus, honor, gloria tribuatur per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Dialogus autem est inter Papanum & Ochinum, qui se Christianum profitetur, probare tamen doctrinam de sacra cœna Zvvingilianam, quippe Christi verbis conuenientem. Probare hic contendit, paparum siue terrestrium deorum sectam esse prauissimam, id quod ex eo patere dicit, quod sectæ omnes hæreticæ natæ sint a diis terrestribus, qui cum Dei sermonem pro regula non haberent sed iudicii sui cœcitati fidem adhiberent, verba sua pro oraculis haberi voluerint, quamvis ignorantiæ & intemperantiæ & libidinum, & ambitionis prauitatisque plena. Istorum autem terrenorum deorum genera facit quatuor. Primos esse dicit, qui ita fuerint superbi, vt dictorum suorum maiorem, quam Dei auctoritatem esse volentes, adsererent, sacras litteras egere correctione & emendatione. Secundos, qui imperfectas dicant sacras litteras, ideoque ab ipsis augendas. Tertios, qui eas non quidem falsas aut imperfectas arguant, sed implicitas atque tectas, ideoque ab ipsis argumentando & consequentias arbitratu suo eliciendo in lucem esse pro-

ferendas. Postremos autem adserere, sacras littetas nonnullis in locis esse obscuras, ipsorumque interpretationibus egere. Quos au-
p.290 tem singulos refutat, dicitque non esse papis patefactas res nouas ad salutem necessarias, sed perfectam rerum cognitionem habere hominem Christianum, vt percipiat, quam longe lateque, quam alte profundeque pa-
p.291 teat Christi caritas. Nec enim ait ad seruandos nos requiri contemplantem speculantemque illam Theologiam, quæ Theologorum est, sed oporteat, vt adsit operans theologia, quæ imperitis & illiteratis conceditur. Hanc autem esse claram, certam, tutam, quippe non solum a Spiritu sancto fidelium cordibus impressam & insculptam, verum etiam ab eodem Spiritu sancto enucleatam: nihil ergo egere theologiam cordi inscriptam emendationibus, supplementis, illationibus siue consequentiis, aut expositionibus humanis, quod dein latius probat atque monet ecclesias reformatas, curent, ne similes papæ inter eos nascantur. Inter errores quidem Ochino imputatos ex hoc dialogo Hottingerus quoque numerat, quod ministros Tigurinæ ecclesiæ in cœtu sacro & cathedra sacra non recitare dicit Symbolum Apostolorum, quod tamen sit falsissimum. Sed siue recitetur, siue non, errorem nullum video.

§. XXVIII.

§. XXVIII. Dialogus XXVI. de ratione agit extruendi regni Christi & destruendi Antichristi: cui præfatio est præmissa ad omnes veros, sinceros, puros, doctos candidosque reformatæ Iesu Christi ecclesiæ ministros. Hanc autem ob causam conscripsisse se hunc dialogum ait, vt ostendat, fieri haut posse, vt Antichristi ecclesia euertatur, quin prius Christi ecclesia fundetur atque extruatur: quandoquidem Christi ecclesia esse non possit, quin eadem opera Antichristi ecclesia corruat. Collocutores habet Christophorum atque Ochinum, qui probant ecclesiam Christi ad sui constructionem atque conseruationem non egere diabolica prudentia & mendaciis atque fraudibus, sed vt omnia pure ac in Dei fiant honorem, necesse esse.

§. XXIX. Dialogus XXVII. de eo agit, quibusnam rebus cognosci possit, quænam ecclesia vere Christi & sincera, puraque sit aut non sit. Dicauit eam omnibus ecclesiis, quæ se Christi ecclesias esse profitentur, ea ex causa, vt in hoc quasi speculo maculas vitiaque sua videntes corrigant, & indies magis magisque crescant. Eusebius quidam in hoc Ochinum conuenit, qui se magno captum esse desiderio ait, vt bonus fieret Christianus, eamque ob causam ex Vngaria pro- *p.330*

fectum, quæsiuisse omnes Christi reformatas ecclesias, eo consilio, vt in omnium sanctissima perfectissimaque sedem sibi caperet, sed in omnibus inuenisse, & quod placeat, & quod displiceat: vt ergo ipsi idem vsu venerit, quod columbæ illi a Noe emissæ, quæ nusquam nacta locum vbi pedem figeret, in arcam ergo fuerit reuersa. Sic & se in Vngariam esse reuersurum, ibique constituturum ecclesiam ab omnibus iis, quæ in cæteris ecclesiis displicuerant, intaminatam. Hoc & ipsum inter errores retulerunt Tigurini, sed quam bene, videant & alii. Peragret & hodienum Eusebius ecclesias Protestantium, certe nullam reperibit *apostolicam*, cum visibilem in terris Christus nunc non habeat ecclesiam. Pergit autem Eusebius tradendo, quidnam ad sanctitatem ecclesiæ requiratur: Deum scilicet ex omni cordis adfectu amare supra omnia. Deinde examen instituit ecclesiæ pontificiæ, in qua sacramenta, prout a Christo instituta, non administrari ait, in quo vtrique consentiunt. Quid vero de Anapabtistarum causa sentiat, iniicit Ochinus: cui respondet Eusebius, eam talem non esse, qualis communiter habeatur: licitum enim esse iterum baptizare, cum primus baptismus non fuerit verus. Ad baptismum enim requiri fidem, pueros autem dum bapti-

baptizantur, nec iudicio nec fide esse prædi-
tos, & cum se credere testari haut possint, i-
deo baptizari non posse, & quemadmodum
infantes baptizentur, ita & iuste iis posse cœ-
nam dari. Cui tamen fidem infantum alia-
que opponi alias solita, obiicit Ochinus. Dein
Eusebius communem refellit opinionem, v-
bi per cœnam & baptismum peccatorum ad-
quiri venia dicitur; fidem enim ante bapti-
smum, antequam quis sacra vtatur cœna, re-
quiri, ait, ideoque si quis viuam fidem habeat,
fatendum esse, eis condonata esse peccata.
Tantum enim credenti promissum est, ait, i- p.357
taque si quis simulatque credidit, nondum
baptizatus moreretur, saluus esset, sicut ex
bono illo latrone patet, qui aqua tinctus non
fuit, & tamen saluus euasit. Igitur baptizari
ideo debemus, non quia à baptismate pen-
deat salus nostra, sed quia statuit Christus, vt
qui credit baptizetur, seque credere testetur.
Itaque si quis baptizari nollet, is se non crede-
re ostenderet: si enim crederet, baptisma
non contemneret, sed baptizaretur, vt Chri-
sto obediret. Baptizamur ergo non vt pec-
catorum veniam obtineamus, quæ baptizan-
dis promissa sit; sed vt Christo obediamus.
Tangit post hæc Eusebius corruptos eccle-
siæ mores, circa sacræ cœnæ administratio-
nem, vbi ait: *audiui vos cœnam malis æque ac bo-* p.354

nis nullo discrimine dare: vt sicut ad concionem sic & ad cœnam admittatis omnes: id quod nunquam in prisca Christi ecclesia fuit vsitatum, in qua dum cœna celebrabatur, etiam tyrones ex ecclesia eiiciebantur. Deinde damnat morem ecclesiarum Helueticarum, qui ægrotis sacram denegant communionem, sed eam in templis tantum administrari volunt. Dein damnat simulacra in templis, venerationem nominis Iesu, dum caput aperiatur hoc adpellato nomine, quem honorem soli nomini exhiberi ait. Concludit tandem, ecclesias Protestantium vix haberi posse pro Christianis, cum in iis desint viua fides, charitas & fraterna castigatio quæ ad propagandum regnum Christi, armis corporeis potius vtantur, quam spiritualibus. Obiicit contra hunc dialogum Hottingerus, eum caussam anabaptistarum ita tractare, vt quiuis facile videat, ipsum non esse hostem anabaptistarum, aut certe ineptissimum disputatorem: Pædobaptismo quidem non plane subscribit, cum in baptizando fidem requirat, anabaptistarum tamen caussam non in omnibus defendit Eusebius alter ex collocutoribus; il-
p.485 lud potius innuit, non nisi adultos esse baptizandos, cui autem regerit semper Ochinus, Monachismum quidem & Theologiam Scholasticam eum quam maxime commendare

con-

contendit Hottingerus, sed nec illud video, cum potius dicat, in scholis scholasticis esse p. 374 errores, & plerumque occupari eas, indagandis rebus nihil ad salutem pertinentibus, licet multarum rerum veritas in iis enucleetur, quæ res non parum conducat ad mentem viamque aperiendam.

§. XXX. Dialogus XXVIII. Sigismundo II. Poloniæ Regi est dicatus, cuius rationem in præmissa præfatione adsignat, quod in regno Poloniæ apertam esse euangelio portam cognouerit, idque iam fatum edere fructum, vereri tamen, ne Satan, vt solet, aliquam ibi seminet hæresin; libellum itaque hunc ita dicandum putauerit, quo Rex quid sui hac in parte sit officii, cognoscat. Tractat enim quæstionem, quo pacto tractandi & quando occidendi sint hæretici, atque interlocutores habet Pium IV Pontificem, & Moronum Cardinalem. Pontifex primum Moroni Cerdinalis expetit consilium, quid sui circa hæreticos putet esse officii, videre enim se, quando magis isti fuerint vexati, tanto magis eos creuisse, quo fiat, vt ipsi incesserit suspicio in eos sic sæuiri, rem esse, quæ Deo displiceat. Qua occasione Moronus, hæreticus quis sit, explicat: vbi primum hæreticum eum adpellari ait, qui rem aliquam sibi constanter credendam sequendamque deligit,

eam bonam veramque eſſe exiſtimans. Quod ſi ea res vera bonaque ſit, eum bonum eſſe hæreticum: atque hoc pacto veros bonosq; Chriſtianos merito vocari hæreticos, poſtquam euangelicæ veritati conſtanter adhæreant, & tales quidem non infeſtandos, ſed defendendos eſſe & fauore proſequendos.
p.381 Quod ſi qui autem errent in re ad ſalutem non neceſſaria, eos comburi non debere, ne-
p.382 que pro Dei inimicis haberi. Nec & eum, qui in fidei fundamentis quidem erret, ſed imprudens, libenter vera amplexurus, erroremque ſuum, ſi ſciret, emendaturus. Itaq;
p.384 imprudenter peccantium verum vnicuique remedium eſſe hoc, ſi de vetitate doceantur ac pro eis oretur. Eſſe enim hæreſin errorem quendam in mente hominum, ideoque rem ſpiritualem & indiuulſam, quæ non Scalpris, non lanceis ac ne igne quidem auelli queat ex animo, ſed duntaxat luce ſermonis
p.386 Dei. Quare remedium verum nullum eſſe dicit, quo poſſint ab errore ſuo auocari hæretici, niſi diuinæ doctrinæ lucem atque preces, vita proba concomitante. Docere etiam experientiam ait, vt quanto plures interficiantur hætetici, tanto eos magis propagari,
p.401 ex quo perſpicuum ſit, non placere Deo, vt interficiantur. Veram tamen cauſſam, cur hæreticos interfici iubeat Papa, hanc adſi-

gnat,

gnat, quod & se Antichristum & ecclesiam Romanam meretricem magnam adpellent. Quam vero tanquam spuriam reiicit Moronus. Cui tandem requisita quædam, vt hæreticus possit interfici, supponit. Principio p.406 necesse esse dicit, vt qui hæreticum curet interficiendum, princeps sit & magistratus. Principis enim esse curare, vt subditi in religione Christiana instituerentur, quod ex sacris ita probat: *Moses is fuit, non Aaron, qui in* p.407 *Israelitica republica religionis res instituit, quinimo Mosen voluit Deus esse Aaroni pro Deo: eique semper subiectus fuit Aaron. Et post Mosen incubuit cura religionis vna cum magistratu non Eleazaro sacerdoti, sed Iosua, qui erat tribus non Leui sed Ephraim; Dauid quoque curam gessit non solum profanarum rerum, sed etiam sacrarum: itidemque Salomo, Iosaphatus, Ezechias aliique Reges. Peccant igitur, & quidem grauiter, quicunque principes & magistratus in rebus ad religionem pietatemque Christianam pertinentibus iudicium relinquunt, aut committunt episcopis nostrisque legatis & quæsitoribus & sacrificis, & monachis siue fratribus.* Alterum requisitum dicit, vt hæreticus eius Principis magistratus- p.408 ve, a quo tollitur, sit subditus. Tertium, vt crimen hæreseos disseminauerit in Principis ditione. Quartum, vt Princeps ad tollendum hæreticum impellatur a Spiritu Sancto,

studioque honoris Dei; quo illum sine suo
peccato interficiat, non odio aut inuidia, ne-
que item quia imperium nostrum ab illis e-
verti videas, si prauum est. Quintum, vt
erret hæreticus, existere enim interdum hæ-
reticos sanctos, qui nullam aliam ob causam
tollantur, nisi quia vero constanter adhære-
scant. Sextum, vt non ignorans erret. Se-
ptimum, vt in errore sit pertinax. Octauum,
vt præter ea, quæ iam enumerata, ea dixerit
feceritue hæreticus, quæ Dei lex capite san-
xit. Interdixit enim Deus, ait, in vniuer-
sum omnibus homicidio: exceptis quidem
certis criminibus, ob quæ magistratui Prin-
cipiue liceat hominem interficere: sed in iis
criminibus non recensetur, vt si quis siue in-
sciens, siue sciens errat, interficiatur. No-
num maxime necessarium ait, vt conatus
quis fuerit alios a veri Dei ad falsorum
Deorum cultum pellicere, atque ita demum
ex Dei praecepto talem esse interficiendum,
non solum quia erret, sed quia homines,
relicto vero Dei cultu, ad deastrorum cul-
tus pellicere velit; aut ipse sit cultor alieno-
rum deorum, deastrisque sacrificet, aut in
Deum impia dicat. Ex hisce requisitis, quae
p.412 vix reperiuntur, facile quae mens sit Moro-
ni poterit cognosci. Sed decimum insuper
addit, non sufficere, vt quae falsis diis sacra
fe-

fecerit, aliosque ad eos colendos inuitauerit, sed & requiri, vt Princeps idem compertum habeat, vel ex ipsius ore haeretici, vel certe duobus tribusue fide dignis testimoniis. Vndecimum, vt certo sciat, eum eo crimine, cuius accusatus, meritum esse mortem: idque sciat non ex verbis hominum, qui mendaces sunt, quibusque qui confidunt, exsecrabiles, fiunt; sed ex Dei sermone, qui verax est. Quare necesse esse ait, vt Princeps ipse cognitionem habeat legis Dei & sacrarum litterarum, & ex iis exploratum habeat, eum, qui apud ipsum accusatus est hæreseos, errare, & quidem in iis errare, ob quæ eum mori iubeat diuina doctrina. Duodecimum quoque dicit esse necessarium, vt haereticus ille, professus fuerit admittere se sacras litteras, Deumque & Christum cognoscere. Gentilem enim, qui ad cultum solis; Turcam qui ad cultum Mahumætis incitaret; Iudæum qui a Christo auocaret, non esse interficiendum. Concludit tandem, Christi & apostolorum exemplum imitari nos debere, qui aduersus hæreticos non vsi fuerint armis corporeis, sed spiritualibus, vt sermone Dei, probis moribus, miraculis, ardentibus precibus, modestia, patientia, charitate cæterisque christianis virtutibus nec etiam hæreticum plane vitare nos debere, p. 415

sed

ſed eundem admonere, corrigere, emendare & ad bonam frugem ducere. Haereticorum vero libros caute & cum iudicio non niſi a viris Chriſtianis legi debere.

§. XXXI. Ipſum hoc quoque inter errores Ochrini computat Hottingerus, quod inclinare videatur in eorum ſententiam, qui haereticos, nomen Dei blaſphemantes tolerandos eſſe dicant, & non plectendos gladio. Sed latius eiusdem modo adduximus opinionem. Haereticos non trucidandos dicit, ſed tolerandos atque emendandos, nihil tamen commercii eſſe debere cum iis, qui Deum blaſphement, vel homines ad deaſtrorum cultum vellent ducere, ſed & illos ſi alia accedant requiſita, trucidandos. Sed error dicitur, quia contra communem erat opinionem, quam alias contra Martinum Bellium late defendit Theodorus Betza, ſingulari hac de re edito tractatu, haereticos a ciuili magiſtratu eſſe puniendos.

§. XXXII. Dialogus XXIX de praeſtantia agentis Theologiae agit prae contemplante. Directus eſt ad omnes ſacrarum litterarum ſtudioſos, quibus veram, hoc eſt, agentem optat theologiam. Sacrarum quidem litterarum ſtudium omnibus aliis eſſe praeferendum primum ait, cum in profanis libris mortui nos adloquantur; in ſacris Moſes

ſes, caeterique vates & Apoſtoli, Chriſtus etiam, atque adeo ipſemet Deus. Hanc au- p.423
tem agentem theologiam non niſi precibus diſci ait, dum cum Deo familiariter, opera chriſti ſermocinantes oramus, vt efficiat, quo adhibita actione atque experientia, animo ſpirituque verum illud guſtemus atque ſentiamus, quod aut in ſacris libris legimus, aut ex iis audiuimus, qui id nobis explanarunt. Quare etiam omnes ſacrarum litterarum ſtudioſos hortatur, vt cum audiendo corporis auribus externo Dei ſermoni ab hominibus pronuntiato vnam horam impendunt, tres precibus impendant, vt animi ſpiritualibus auribus interiorem ſermonem, Deo ipſo per Chriſtum eiusque ſpiritum pronuntiante, audiant, & contemplantem Theologiam ſeruae; agentem vero ſponſae loco habeant. Colloquuntur autem Philoſophus & Ochinus. Ille primum Deum cum eſſe negaret, Ochinus hunc ex operibus atque miraculis editis cognoſci probat. Philoſophus autem cum miracula facta negaret, nec profanarum hiſtoriarum adſumeret auctoritatem, Dei ſermonem adhibet Ochinus, ſacras producens litteras, in quibus tot deſcripta legantur miracula. Sed cum & harum auctoritatem reiiceret Philoſophus, Ochinus argumentis alias adduci

ſo-

ſolitis, eandem firmare conatur, quorum ta-
men vltimum idemque & optimum facit in-
ternum ac nunquam fallens teſtimonium
Spiritus Dei, qui veras illas eſſe teſtetur Spi-
p.452 ritui ſuo. Neque neceſſe eſſe ait, vt quis
omnia ſciat, quae ſacris litteris fuere man-
data, ſed duntaxat quae ſunt ad ſalutem ne-
ceſſaria, quae ſola fide viua cognoſcantur.
Apoſtolos autem ait libere, aperte, clare do-
cuiſſe, ſolius gloriae Dei rationem haben-
tes, atque vti Paulus dicit, euangelium ſuum
pereuntibus eſſe tectum, id non vitio euan-
gelii fieri, quippe quod ſit per ſeſe clariſſi-
mum: ſed reiectaneorum vitio & coecitate,
quorum mentes eccoecauerit Deus. Agen-
tem itaque requiri theologiam atque inte-
riorem ſermonem, lumen, teſtimonium
Spiritus ſancti, ſine quo fieri non poſſit, vt
quisquam bonus ſit Chriſtianus.

§. XXXIII. Dialogus XXX & vltimus
ad monachos fratresque pontificios eſt ſcri-
ptus, vt exinde aliquem ſpiritualem guſtum
percipiant atque vtilitatem. Agit autem de
humana diabolicaque arrogantia; & collo-
cutores habet Raphaelem medicum, Naba-
lem fratrem. Directus potiſſimum eſt con-
tra religioſos pontificios, qui ſolis operibus
ſalutem quaerunt, quorum perſuaſionem

varius

variis adductis sanctorum exemplis grauiter impugnat.

§. XXXIV. Latius haec adduximus, vt de vera Ochini mente eo melius pateat. Vidimus autem quam pie sentiat de Christi diuinitate; quam grauiter eum esse promissum Messiam adstruat, qua ratione nos redemerit, & expiauerit; qua ratione per Iesum fiamus salui: quam bene de peccato originali, eoque in Spiritum Sanctum sentiat. In secundo libro Trinitatem contra omnium obiecta grauibus argumentis probatam videmus Quam bene criteria verae falsaeque ecclesiae, agentis Theologiae praestantiam prae contemplante, demonstret, ex ante dictis cuilibet patebit. Vt taceam errores quos detegit, qui in reformatorum irrepserant ecclesias: quantum praesumtam illam adrogatamque ecclesiae doctorum auctoritatem destruat, aliaque moneat ad vitae morumque integritatem satis vtilia. Et licet de polygamia quibusdam secus sensisse videatur, nec tamen in eo talem meretur reprehensionem, & tanta quibus a quibusdam adficitur, conuitia; cum satis caute non solum de ea loquatur, sed etiam adsentatores habeat viros graues atque auctoritate praeditos: quid quod? ipsum Lutherum. Certe excusabit Ochinum vitae integritas, excusabit ipsa doctrina. OBSER-

OBSERVATIO II: DE BERNARDINI OCHINI SCRIPTIS RELIQVIS.

§. I. *Apologorum libri editiones* §. II. *in quinque centurias est diuisus* §. III. *ex ipsis patet, Ochino pontificiorum superstitionem satis fuisse perspectam.* §. IV. *Sermonum Ochini recensio.* §. V. *Sermone primo quid Deus sit, dicitur* §. VI. *qua ratione Deus ex creaturis cognoscatur* §. VII *an Philosophia ad veram conducat Theologiam* §. VIII *qua ratione scriptura sacra vti debeamus* §. IX. *an scientiæ humanæ sint necessariæ bono Theologo.* §. X. *de præparatione mentis ad Theologiæ studium.* §. XI. *quid sit studendum* §. XII. *Christus cur nihil scripserit.* §. XIII. *Christus in rebus supra naturalibus unicus noster magister* §. XIV. *Deus non nisi in Christo & per Christum cognoscitur.* §. XV. *Quid Christus sit, & cur in mundum venerit?* §. XVI. *Christum qua ratione optime contemplamur.* §. XVII. *an quis saluari possit sine Christo.* §. XVIII. *Spiritualium & carnalium hominum querelæ inter se conferuntur* §. XIX. *quæ caussa Christum mouerit, vt in cruce moreretur* §. XX. *meditatio passionis Christi quomodo instituenda* §. XXI. *Christi triumphus inter omnes maximus* §. XXII. *in adnuntiando euangelio quis ordo sit seruandus* §. XXIII. *euangelium prædicare quid sit* §. XXIV. *Christus mundo*

mundo scandulum ex hominum impietate. §. XXV. Christiani ex nulla re scandalum debent sumere. §. XXVI. Ochini sermo de iustificatione recensetur. §. XXVII. Ochini reliqua scripta referuntur. §. XXVIII. epilogus.

§ I.

SVperiori obseruatione dialogorum libros duos recensuimus, pergimus ad alia Ochini scripta: inter quæ forsan non vltimus est eiusdem apologorum liber. Prodiit iste Italice cum addita latina Sebastiani Castellionis translatione in octaui forma, anno editionis non addito. Postea per Christophorum Wirsungium in germanicam translatus linguam, anno 1569. 4. Inde quoque Belgice versus Dordraci 1607. 8.

§. II. Quinque autem libros siue centurias apologorum continet, qui idololatriam, auaritiam, & varios abusus pontificiorum subsanno naso rident. Singula iucundioris lectionis gratia sub apologis proponit, ad morem veterum, quibus autem pontificiorum vitia ita detegit, vt vnicuique satis pateant. Plerique apologi ipsæ sunt historiæ, quæ vel gesta Pontificum, horumque dicti profana continent: vel episcoporum aliorumque ex clero; vel politicorum quorundam, qui sedis pontificiæ & cleri Romani fastum atque superstitionem salse suggillarunt.

§. III. Omnes hosce hic recensere longum foret: satis hæc arguunt, Ochino Pontificiorum superstitionem maxime fuisse cognitam, cum tam acute eorum vitia arguat. Quod nos credere facit, ei nunquam fuisse animum ad pontificiorum castra iterum transire.

§. IV. Progredimur ad eiusdem sermones, quos Italico sermone primum habuit, atque diuersis vicibus edidit. Primi sunt, quos edidit 1543. 8. anno postquam reliquisset monasterium: postea notante Gesnero, quatuor voluminibus ac dein tomis duobus, quorum prior 50. posterior 60. sermones complectitur, Italice Basileæ excusi per Isingrinium. Nobis prima vice tantum editi sermones obuenere, quos, cum multa contineant singularia, hic recensebimus.

§. V. Sermone primo reprehendit communem hominum ignorantiam de Deo, cum tamen fundamentum sit veræ salutis: & licet cordibus nostris sit insitum Deum esse, nos tamen mente nostra finita, Deum qui infinitus, non posse concipere. Inde omnes nostros conceptus aliter dirigi non posse, quam vt intelligamus, quid Deus non sit, quam vt positiue dicamus quid sit. Si qui tamen fuerint conceptus positiui eos esse idola mentis æque *Exodi II.* a Deo prohibita, ac materialia. Concludit tandem, quod essentia Dei in summa-

ma perfectione sit concipienda, tanquam lux spiritualis, purissima, clarissima, simplicissima, æterna, immensa, quæ mutari non possit, atq; sine passione sit, infinito alias modo perfecta & plena iustitiæ. Nostros autem conceptus ad Deum non esse nisi tenebras, oportere tamen cum Aarone intrare sanctum sanctorum, & cum Mose in diuina resistere caligine,

§. VI. Alter sermo agit, qua ratione Deus cognosci possit ex creaturis: in quo demonstrat omnipotentem esse Deum, cognosci ex huius vniuersi machina tam constante: perfectissimam autem sapientiam ex ordine rerum admirabili.

§. VII. Tertius verò sermo plane egregius est, & de eo agit, an philosophia ad veram conducat Theologiam & quomodo. Dicit autem, vti ratio nostra per peccata nostrorum parentum infirma sit, cœca & phrenetica, ita etiam eius philosophia in naturalibus saltem ipsi relictum aliquod lumen habeat. Quare antiquum prouerbium esse dicit: *gran philosopho gran heretico: la ratione naturale non sanata per fede e phrenetica e stolta: magnus philosophus magnus hæreticus: ratio naturalis per fidem non sanata est phrenetica & stulta.* Hanc rationem semper Deo esse inimicam, dicit: esse serpentem qui primos parentes seduxerit: Abelem occiderit: turrem Baby-

lonicam ædificauerit. Pergit dein, ac dicit, ecclesiam Christi,quæ sola fide regnante fuerit paradisus, ratione humana sibi imperium vindicante, euasisse confusam Babylonem.

§. VIII. Sermo quartus de eo agit, quomodo scriptura sacra vti debeamus ad cognitionem Dei? Hanc autem ad cognoscendum Deum sufficientem esse negat, nisi fides, spiritus & viuum lumen de Deo accesserit. Quare dicit: *Non hauiam adunque ahauer le scripture sacre per nostro vltimo fine, ne per nostre supreme regine & imperatrici, ma per mezi & ancille, che seruano alla fede, allo spirito, & alla vera cognitione di Dio: non habeamus igitur scripturam sacram pro fine nostro vltimo, nec pro suprema regina & imperatrice, sed pro medio & ancilla, quæ seruit fidei, spiritui & veræ Dei cognitioni.* Sermo quintus de corruptelis agit, quæ natæ sunt & quotidie nascuntur vitio hominum, qui sacra scriptura vti nesciunt. Inculpat autem homines,quod rationi suæ in lectione Scripturæ sacræ tantum tribuant, quæ cum sit non solum corrupta, sed etiam diuersa, varios errores, pro cuiuslibet phantasia, pariat, multisque sectis præbeat occasionem.

§. IX. Sextus sermo quæstionem indagat an scientiæ humanæ sint necessariæ bono Theologo. Et quidem communem dicit esse

se ertorem, doctos solos esse Theologos veros. Si enim Theologia dependeat a scientiis humanis, nec sanctos omnes, nec Mariam nec apostolos fuisse veros Theologos, qui tamen aliis vera vitæ & doctrinæ præcepta, tradiderunt, immo ne Christum quidem. Scientias itaque humanas ducere quidem ad quandam scientiam, quæ tamen indigna sit, vt adpelletur Theologia, sed potius metaphysica, quæ nec habet, nec dat tantum lumen de Deo, quod sufficiat ad salutem. Veram enim & supranaturalem Theologiam esse scientiam infusam, donum quoddam & lumen supranaturale, quod a Deo venit per gratiam eius. Scientiæ inquit humanæ implent mentes nostras fumis & superbia, atque ita occupant, vt distractæ cum Martha, non sint intentæ cum Maria, ad se implendum cognitione Dei. Christus est verum fundamentum Theologiæ, non scientiæ humanæ, vnde Ioannes præcursor Christi, non Aristoteles.

§. X. Sermo septimus de mentis præparatione agit eius, qui sacris litteris studere cupit, atque Christum contemplari in se & sua cruce. Rectam inprimis, sinceram & puram requirit intentionem, Deum & eiusdem summam caritatem nostramque miseriam cognoscendi, vt accendamur diuino amore, discamus viuere Christiane, aliosque docere, &

hæc omnia ad gloriam Dei. Deinde summa reuerentia nobis id esse adgrediendum, vt mater Christi summa cum veneratione corpus Christi tangebat: Simeon cum tenebat infantem in brachio; Iosephus & Nicodemus quando Christum sepeliebant; & alii quando tangebant corpus Christi. Insuper cor esse debeat mundum, limpidum, clarum, cum Spiritus Dei non habitet in mente impia. Nam sicuti in speculo maculato stellæ relucere nequeant, sic nec in corde vitiis obruto relucere possint species rerum diuinarum. Cum enim Deus iusserit, vt populus Israel sese mundaret per triduum ad audiendas leges, quæ puritas conueniet ad audiendum euangelium, veram illam & cœlestem Theologiam, in terris per Christum promulgatam. Tandem exeundum esse ex mundo, & ex seipso atque cum alis fidei, spei & charitatis, in Spiritu, cum Zachæo eleuandum esse iudicium, ingenium & discursus; lumen etiam naturale sub verbo Dei esse captiuandum. Omnia bene esse indaganda: animalia enim, quæ non ruminantur, in Veteri Testemento fuisse immunda, sic & illos, qui verbum Dei non intime ruminantur. Vnde Maria omnia, quæ dixerat Christus, ruminabatur in corde, & meditabatur. Non ergo

opus

opus esse studijs, nec ingenio nec laboribus, nec angelis, sed solo Christo.

§. XI. Sermo octauus modum præscribit, quid debeamus studere, vt breui tempore & modo facillimò omnia, quæ vtilia & necessaria ad salutem, sciamus. Ostendit primum, quod ignorantia in rebus vtilibus & necessariis ad salutem sit pestilentissima, vnde mala omnia reliqua pendeant: atque vt in communi vita qui præsumat artem quandam, vt nauigare, quam tamen nesciat, perdat vitam; sic ille, qui viuere nesciat, perdat diuinos thesauros, veram gloriam, vitam, paradisum, Deum & gratiam suam in æternum. Et postquam adduxerat varias philosophorum sententias, quid sit studendum, concludit tandem, quod breui tempore possimus euadere docti, atque vnicus liber sufficiat. Christus in sua cruce, in quo omnes veritates quæ vtiles & necessariæ sunt ad salutem, reperiantur in compendio. In quo studuere angeli, patriarchæ atque prophetæ

§. XII. Sermone nono de eo agit, cur Christus scripserit nihil? Ad quod posse præsumi ait, vt si Christus propria manu quædam scripserit, hæc omnia eius fuisse auctoritatis & tam clara, vt homines nullam malæ interpretationis habuerint occasionem. Quod autem non scripserit, esse in quit, quod Chri-

ſtus non vt homo politicus, vel alter legislator venerit, nec vt magiſter litterarum, ſed vt magiſter ſpiritus, lucis, veritatis, vitæ, caritatis, fidei, ſpei, humilitatis & reliquarum virtutum Chriſtianarum, vt hæc omnia interne doceret, & in corda imprimeret. Et quia, nec ſpiritus, nec lux, nec fides chartis poſſint inſcribi, ſed ſoli cordi, non erat Doctor litterarum, ſed Spiritus inflammans & accendens animas; ſcribebat ſemper, quod per Ieremiam promiſit: *dabo legem meam in viſceribus eorum & cordibus ſcriptam.* Scripſit & in cruce, vtens pro charta cordibus, pro atramento lacrimis, ſudore & ſanguine; pro penna, clauis, lancea & cruce: manus eius ſanctus erat ſpiritus.

§. XIII. Sermo decimus diſquirit, quomodo in rebus ſupranaturalibus vnicus noſter eſſe poſſit magiſter? vbi citat Chriſti verba: *vnus eſt veſter Magiſter:* & illa: *hic eſt filius meus, quem audietis.* Rationem adſignans hanc, quod nullus niſi Chriſtus poſſit eſſe Magiſter in rebus ſupra naturalibus, quia ab hominibus carnalibus non poſſint comprehendi.

§. XIV. Sermone vndecimo agit, cur Deus non poſſit ſe cognoſcendum dare, niſi in Chriſto & per Chriſtum? Cuius hanc reddit rationem, quoniam Deus extra Chriſtum no-

nobis est inaccesfibilis atque intolerabilis,vtpote in sua essentia in se ipso atque in fonte claritatis suæ est absconditus, vti Esaias nec ipsum vidit,nisi tectis alis Seraphim. Et Paulus dicit : *habitat in luce inaccesfibili.* Qui igitur Christum non habet, vitam non habet, quia Deum non habet, qui est vita nostra.

§. XV. Sermone duodecimo quærit,quid sit Christus & cur venerit in mundum? Ad quod respondet, quod sit liber, in quo comprehensi sint omnes thesauri sapientiæ & scientiæ de Deo, speculum in quo videamus omnem veritatem : fontem, ex quo hauriamus omnem dulcedinem : arcam, in qua lateant omnes thesauri; gemmam plenam omnis virtutis : & tandem diuinum obiectum nobis adæquatum ; quod impleat, satiet, satis faciat & beet quemlibet, qui habet viuam fidem.

§. XVI. Sermo decimus tertius tractat, quomodo debeamus Christum contemplari in cruce? Et quidem Deum nos in Christo contemplari debere dicit , secundum suam omnipotentiam, quæ etsi in omnibus creaturis sit deprehendenda, in omnibus tamen iis non ita sit adaperta , ac in solo Christo : Deus enim, dum crearet mundum,nihil inveniebat, quod resisteret; quod in conuertendo homine secus est. Quare in saluan-

do mundo per Chriſtum ; Deus maiorem monſtrauit potentiam. Deinde venerari nos debere ait, Dei ſummam liberalitatem, eandemque maiorem, ac ſi creaſſet infinitos mundos, & eorundem nos feciſſet poſſeſſores quietos, quod ſcilicet Deus nobis abiectis & vilisſimis, miſeris, & ingratis creaturis donaverit filium in ſummos cruciatus, ad nos lavandos proprio ſanguine ab omni iniquitate. Deinde in Deo nos poſſe contemplari eius ſummam charitatem & miſericordiam maximam. In ipſo vero Chriſto nobis licere contemplari Chriſti dulcedinem, quæ nec in faſciis, nec in brachiis Simeonis tanta adparet, quanta in cruce. Dein in Chriſto contemplemur nobilitatem animæ. Quod ſi enim Chriſtus mortuus eſt pro anima, anima eius eſt ſoror atque ſponſa, immo filia Dei. Sermone decimo quarto vero probat, quod non ſit bonus Theologus, nec verus Chriſtianus, niſi qui intrinſecus ſentiat Deum in ſe viuentem atque operantem.

§. XVII. Sermone decimo quinto disquirit, an quis ſaluari posſit ſine Chriſto? In quo examinat illorum opinionem, qui exemplo Adami & Patriarcharum, qui ſine lege vixerunt, inducti, concludunt, ipſos ſine Chriſto eſſe ſaluatos. Eos vero tanquam hæreticos reiicit, cum contra ſcripturæ doceant aucto-

ri-

ritatem. Ipse neminem nisi per fidem viuam in Christum posse saluari adseuerat. Sermone decimo sexto optimam & securam viam, per quam quis ad Deum veniat, Christum esse dicit in cruce.

§. XVIII. Sermone decimo septimo carnalium atque spiritualium hominum lamentationes inter se comparat. Illos quidem ita inducit loquentes: Domine, via ad cœlum adeo est arcta, vt pauci saluentur: præcepta enim quæ dedisti, tanta sunt, vt a nobis perfecte teneri nequeant, vt Deum diligamus toto corde & animo, abnegemus mundum, nosmetipsos & cruce nobis imposita sequamur Christum, & tamen qui offendit in vnum præceptum, reus est de Deo. Hi vero dicunt: Domine, nullus pater est, qui diligit filium, nec dux, qui suum militem, quin committat ipsi opus quoddam difficile, vt inde inclarescat: tu vero nobis leuasti omnes difficultates, vt nec difficilis nec laboriosa sit opera, etiamsi omnia præcepta tua adimpleamus. Mandasti amare Deum: quæ vero difficultas amare summam bonitatem, sine qua nulla alia est in toto mundo: impossibile mihi foret, si nec præcepisses, non amare Deum. Mandasti etiam, vt tibi confidam: sed dic mihi, quæ i li laus, qui ne mergatur flumini, adprehendat arborem firmam, non vero

ro eius vmbram. Prohibuisti amare mundum: sed quid difficultatis, quid gloriæ, non amare phreneticum, obstinatum, proditorem, cœcum, vti est ipse mundus? Quæ gloria erat Israëli, vt relinqueret Aegyptum, vbi passus erat; eadem & mihi. Mandasti vt diligamus proximum, sed cum leones se mutuo diligunt, quidni nos hominem, creaturam nobilissimam? Vis etiam vt simus humiles, quam facile illud, quam iucundum: cum inde nobis ipsis reddamur quieti, pacifici, diuites, firmi, felices, qui in superbia nil nisi timorem, anxietatem, paupertatem inuenimus. Vis, vt simus patientes, sed quid illi laudis, qui cum exspoliaretur in comœdia, æquo id ferat animo?

§. XIX. Sermone decimo octauo agit de caussa, quæ Christum mouerit, vt moreretur in cruce, non absolute, ac si Deus nullum aliud nos saluandi habuisset medium, sed quod a Deo ita determinatum erat, ad maiorem sui gloriam cum ex eo ipso summa eius bonitas, caritas & reliquæ diuinæ virtutes perfectissime eluceant. Pergit dein sermone decimo nono demonstrando, quod mors Christi verum fuerit remedium contra statum hominis deprauatum. Dicit autem fidem aliam plane obseruare viam ac rationem: cum enim hæc ad supranaturalia sese eleuare

ve-

velit, illa de Deo descendat ad hæc inferiora, dicendo: placuit Deo, vt Christus moreretur in cruce, ideoque fuisse verum remedium, & si tale non fuerit, Deus tamen voluit in quo sibi satisfacere potest fides.

§ XX. Sermone vigesimo Deum in Christum omnes nostras iniquitates ita collocasse dicit, ac si ipse Christus eas commisisset. Sermone vero vigesimo ptimo docet, quomodo Christi passionem debeamus meditari. Omnem quidem hic reiicit superbiam illorum, qui meditationes suas de passione alios docere volunt, item cogitationes de impietate Pilati, ingrata & crudeli mente Ebræorum, quin etiam, qui se ad lacrymas cogunt, & multas fictas, apocryphas, pueriles, abiectos & Christo indignas meditationes fingunt. Porro qui Deum inde crudelitatis & summi rigoris arguunt, quod filium suum vnigenitum & innocentissimum pro nostris peccatis dederit. Potius esse ait, vt viua fide consideremus, quod ille, qui patiatur, sit filius Dei vnigenitus, summe a patre dilectus, in quo sibi complaceat, sit innocentissimus, qui non patiatur pro suis, sed pro nostris peccatis. Quod claui, quos habeat in manibus suis, sint tristia nostra opera: quos in pedibus, tristes adfectus nostri: lancea, odium erga proximum: spinæ, pessimæ nostræ cogita-

tio-

tiones & desideria : acetum & fel, crapula & ebrietas: sputum, nostra vanitas : crux nostræ deliciæ.

§. XXI. Sermone vigesimo secundo summe gloriosum ex omnibus rebus immo triumphis huius mundi Christi esse dicit triumphum; idque ex eo, quod solus superauerit omnes persecutiones, iniurias, calumnias, mortem, mundum, sensus, peccata, dæmonem & omnem prudentiam carnalem, idque relictus ab omnibus, ab ipso etiam patre.

§. XXII. Sermone vigesimo tertio de ordine agit, qui seruari debeat in adnuntiando euangelio. Eum quidem esse tenendum ait, vt reuocetur in mentem auditoribus summa ipsorum infirmitas; explicentur hinc leges per Mosen latæ & a Christo magis explicatæ, atque tunc demum adnuntietur euangelica promissio. Quod si pastores semper de lege verba faciant, illorum exploratorum instar eos esse, qui ad terram promisionis missi, renuntiabant, vrbes omnes summe esse munitas, nec spem adesse, vt occupari possint. Hunc quoque morem esse ait ipsius Satanæ, qui in momento mortis, non nisi legem & peccata hominum ad desperationem vsque illos excruciando, obtrudat oculis. Qui ergo verba facere velit aliis, eum non Mosis personam solum, sed & Christi agere debere dicit.

§. XXIII.

§. XXIII. Sermone vigeſimo quarto quid ſit prædicare euangelium explicat. Et quidem plures cum fuiſſe dicat, qui euangelium docuerint, ipſi non ſolum quatuor euangeliſtæ, ſed etiam Paulus, Philippus, Bartholomæus, immo & ipſi prophetæ, Moſes, Dauid, nec tamen niſi vnum ſit euangelium, vti vnus eſt Deus, diſquirendum omnino putat, quid ſit illud euangelium. Propterea adnuntiare larga, felicia, glorioſa, cœleſtia, angelica & diuina noua, quæ habemus a Deo per Chriſtum: quomodo Deus per Chriſtum nos amat amore infinito, continuo, æterno, perpetuo, ſtabili & gratuito, quod ſemper de nobis cogitet, nos elegerit; & ſimus eius filii, quod electi non poſſint perire, quod Deus peccata noſtra in Chriſtum poſuerit, & ipſe in cruce ſua pro nobis ſatisfecerit, ſuo ſanguine nos lauerit, ab omni malo liberauerit, & cum Deo reconciliauerit.

§. XXIV. Sermo vigeſimus quintus agit, quod Chriſtus etiamſi fuerit, vt ſemper futurus ſit, ſcandalum ipſi mundo, nihilominus nunquam tale det, vel ſit daturus. Monſtrat enim, quod Chriſtus tum vita ſua, tum operibus, euangelio & prædicationibus fuerit & adhuc ſit ſcandalum hominibus: illud tamen non Chriſti culpa fieri, quippe qui ſit ſanctiſſimus & in omnibus virtutibus perfectiſſimus, ſed

sed ex hominum impietate, cuius regnum hoc modo destruatur. Quare & Christum simplicem vitam egisse dicit, quo omnes facilius eam possint imitari.

§. XXV. Sermone vigesimp sexto & vltimo probat, Christianos ex nulla re scandalum debere sumere. Christi exemplum in hoc sequi eos debere ait, qui nunquam id fecerit, etiamsi data occasione, ita vt etiam Petrum *Matth. 16.* qui ipsum a morte retrahere volebat. de eo increparet. Idem imitari debere Christianos ait, etiamsi totus mundus plenus sit peccatis. Quod si autem hominem peccare videant, cogitent, quod is forsan ex numero sit electorum, & Deus permiserit, vt peccet, vt eo melius se suamque infirmitatem adgnoscat, & aliorum exemplum excitet, virtutem magis exercendi.

§. XXVI. Præter hosce sermones coniunctim editos alios quoque in latinum versos debemus Cœlio Secundo Curioni, de quibus vnicum tantum, qui nobis obuenit, hic recensebimus. Adiectus is est Curionis Araneo, seu de prouidentia Dei libro, qui Basileæ prodiit 1544. 8. atque de eo agit, quid sit per Christum iustificari, tum qui iustificationis sit modus. Deum quidem dicit hominem iustificare non vt tyranuum, qui sæpe flagitiosum hominem, si inter suos clientes, excusat atque

atque tuetur, nec vt bonum principem, qui innocentes tuetur & iustos pronunciat. Neque etiam ex operibus nostris, vel partim nostra, partim Christi satisfactione saluos nos fieri, sed sola Dei gratia, & Christi merito, cui nil debeat detrahi. Nec etiam opera, quæ iustificationem antecedunt, quidpiam conferre; sed & ipsa esse peccata, cum arbor mala fructus bonos ferre non possit. Postremo per Christum iustificari nos ait, non tanquam per patronum & aduocatum, qui impetret a Deo remissionem, sed quod nostra peccata in se transtulerit, quasi ipse ea commisisset omnia, nobis e contrario dederit iustitiam sanctitatemque suam. Quam sola fide adipisci nos concludit.

§. XXVII. Alia quidem restant scripta Ochini, a Sandio atque Gesnero memorata, quæ cum ad manus nondum peruenerint, solum horum Catalogum nobis hic exhibere licebit. Prodiit enim eius expositio epistolæ Pauli ad Romanos italice, a Sebastiano Castellione latine versa, & Geneuæ atque Augustæ Vindelicorum apud Philippum Vlhardum 8. edita. Commentarius in epistolam Pauli ad Galatas Italice scriptus & Germanice versus. Libellus de beneficio Christi. Sermones tres de officio Principis. Quinque declamationes sacræ, quas cum prioribus

latine vertit Cœlius Horatius Curio, Cœlii, Secundi filius, quas Operinus Basileæ 1550. edidit cum Marsilii Andreasii, de amplitudine misericordiæ Dei, oratione. De purgatorio dialogus Italicus & latinus, Thaddæo Duno interprete, Tiguri apud Gesneros 1555. 8. & gallice sub titulo: dialogue de M. Bernard. Ochin Senois, touchant le purgatoire 1562. tandem quoque Belgice versus. De Cœna Domini homiliæ & contra Ioachimum Westphalum tractatus, Italice & latine, Duno interprete. Labyrinthi de prædestinatione & libero arbitrio, Basileæ 8. Dialogus rationis & hominis, quem quidam ex sermonibus eius excerpsit, & germanice edidit. De eius catechismo anno 1591. recuso, de quo testatur Bzouius atque Ræmundus, supra iam diximus, eius non esse, cum annus editionis non conueniat cum auctoris vita, nec etiam eum adhuc videre contigit.

§. XXVIII. Hæc ergo sunt, quæ de Ochino dicenda erant. Iudicet qui velit ex vita, ex doctrina, an Ochinus talis fuerit, qualis dicitur. Per me liberum erit cuilibet iudicium, si modo omnia accurate pensitet. Mihi sufficit veritas, quam sectari omnes conuenit.

OBSERVATIO III.
NESCIRE PHILOSOPHOS ADHVC QVID SIT AER.

Svmmaria.

§. I. N*Escire Philosophos, quid sit aër, probatur ratione, & testimonio Du Hamel. §. II. Hebrei ignorarunt, quid sit aër, quia in V. T. eius non sit mentio, neque in lingua Hebraica extat vocabulum, quod aëris vocabulo respondeat. §. III. In versionibus vox aëris reperitur quidem, sed in fonte non item. §. IV. Rabbini inepte voci Ruach notionem aëris imposuerunt. §. V. Ægyptii aërem masculum & feminam agnouerunt; sed naturam ignorarunt. §. VI. Persæ quid senserint de aëris natura, incertum est. §. VII. Græci in enucleanda aëris natura, semper pueri extiterunt. §. VIII. Poëtæ de illo nihil habuerunt cognitum. §. IX. Ionici plerique aërem pro unico primoque elemento habuerunt, sed definire non potuerunt. §. X. Italici sibimetipsis contradixerunt. §. XI. Eleatici & contradixerunt sibi, & dicta sua consulto tenebris inuoluerunt. §. XII. Plato hic suam professus est ignorantiam, quicquid etiam videatur Apuleio. §. XIII. In Aristotele nulla reperitur vel aëris, vel alterius rei naturalis exacta definitio. §. XIV. Aristotelici definiunt, elementum moderate calidum, humidissimum, complens omnem locum, nullo cor-*

pore repletum. §. XV. Sed hæc definitio nec vera est, nec perspicua. §. XVI. Aër enim non videtur esse corpus. §. XVII. Nec corpus simplex homogeneum. §. XVIII. Item non corpus ex quo res concretæ componuntur. §. XIX. Porro non corpus calidum. §. XX. Non humidissimum. §. XXI. Non complens omnem locum. §. XXII. Non corpore nullo repletum. §. XXIII. probatur, definitionem Aristotelicam obscuram esse. §. XXIV. Pyrrhonii in Ἀπολογίᾳ fatentur suam ignorantiam. §. XXV. Epicurei definire non audent. §. XXVI. Stoici obscurum per æque obscurum explicant. §. XXVII. Cartesiani sibimetipsis contradicunt mirifice. §. XXVIII. Neque clare & distincte aëris naturam percipiunt.

§. I.

QVod Tom. IV. obseruat. XVI. de igne diximus, id idem de Aëre debere dici, tam manifestum est, quam quod manifestissimum. Etenim si istud elementũ occultum nobis est, quod sensibus est obvium; quanto occultius erit illud, quod a sensibus percipi non potest? Sane id tam procul a cognitione nostra abest, ut Heracliti dicta citius, quam eius quidditatem intelligamus. Et recte scribit Hamelius Tr. 1. c. 3. Phys. Gen. p. 83. *Naturam aëris magna ex parte* (quin potius omni ex parte) *nos fugere, cum nec sub oculis cadat, nec seorsim, ut*

cætera

cætera elementa, spectari possit, aut vasis destillatoriis contineri. Quod & ipse repetit l. 3. de consensu Vet. & Nov. Phil. c. 3. p. 723. & reliqui Philosophi volentes nolentesque confitentur.

§. II. Etenim vt ab HEBRAEIS, quorum Philosophia procul dubio est antiquissima, (1) faciamus initium, hi Aëris naturam usque adeo ignorarunt, ut ne nomen quidem habuerint cognitum. Et obseruatu profecto est dignissimum, in vniuersa Scriptura S. V. T. aëris non fieri mentionem. Nec ullum in lingua hebraica extare vocabulum, quod *Aëris* vocabulo exacte respondeat.

§. III. Nam licet in versionibus interdum vox occurrat AERIS, vt Deut. 28. v. 22. vbi Moses Israëlitis comminatur, der Herr wird dich schlagen mit gifftiger Lufft. Et Ierem. 14. v. 6. das Wild schnappet nach der Lufft. Tamen in versionibus occurrit solummodo, in fonte ipso non item. Nam in priori loco extat צרפון (tziddaphon) quod non corruptum aërem significat, ut cum interprete vulgato Lutherus vertit, sed ἐμπυρισμὸν seu uredinem, eine Dürre oder Verjengung vt rectius cum τοῖς ὁ transtulit Tremellius & alii ἑβραϊκώτεροι. Et si in locum posteriorem inquirimus profundius, ibi vox רוח Ruach reperitur

(1) Clemens Alexandrinus L. 1. Stromat. p. 302.

tur, quæ communi Lexicorum consensu non aërem, sed ventum denotat, & quidem h. l. ventum eiusmodi, qui refrigerandis Draconibus & Onagris accommodatus est. Quod de *aëre* dici non potest, qui neque calefacere potest quemquam, neque frigefacere, nisi vento commoveatur.

§. IV. Equidem non nescio vocabulum רוח (Ruach) a Rabbinis etiam usurpari pro *aëre*, ut quando R. Moses Maimonides c. 4. Constitut. de fundamentis legis p. m. 37. Edit. Amstelod. scribit; *quatuor corpora* אש ורוח ומים וארץ (*Esch Veruach Vmaiim Veeretz*) esse elementum omniū creaturarum. Sed tantum abest, ut hæc significatio sit ἔγγραφος ut potius sit ἄγραφος, & ab Aristotelizantibus Rabbinis demum conficta. Hi enim cum contra instituta maiorum (2) Philosophiæ Gentilium se dederent; & Aristotelem cumprimis Ducem imitandum sibi proponerent, quē scrinia Salomonis compilasse existimabant, (3 non poterant non Hebræam linguam nouis terminis coinquinare, & vocibus antiquis nouas significationes imponere, vt conceptibus Philosophicis exprimen-

(2) vid. Ziroldi Einleitung zur gründlichen Kirchen-Historie c. 3. p. 268. seq.

(3) Hackspanii Addidamenta ad Lipmanni Nizachon c. 3. p. 434.

mendis sufficerent. Adeoque auctoritas eorum in hac re non magis movere debet nos, quam Hieronymi vel alterius recentioris auctoris, si contra consensum antiquitatis voci alicui latinæ significationẽ nouam & veteribus incognitam impertiat. Accedit quod ipsi Rabbini suæ causæ diffidentes, pro voce רוח Ruach, subinde vocem Latinam אויר Auer substituunt. Vid. Kabbala denud; Tom. I p. 55.

§. V. Ægyptii quidem teste Seneca l. 3. Quæst. Natur. c. 14. p. m. 771. QVATVOR Elementa fecere, deinde ex singulis bina, Marem & fæminam, AEremque marem iudicarunt, qua ventus est, fæminam qua nebulosus & iners; *Sed de veritate vel natura eius hominem audacter loqui non posse existimarunt, cum animal imperfectum sit membris imperfectis constans, & multis diuersisque corporibus constitutum corpus gerens*, vt clare docet Hermes Trismegistus apud Stobæum Serm. XI. de Veritate p. m. 137. Adeoque nec hoc fortassis audacter potest cum Iamblicho de Mysteriis Ægyptiorum p. m. 25. affirmari; *Quod Aër summus sit igneus:* imprimis si quis recogitet, supremam illam regionem aëris non magis esse cognitam & perlustratam Physicis, quam terra Australis incognita nostris est Geographis.

F 4 §. VI

§. VI. Persae quid senserint de Aëris natura, incertum est. Nam licet in Zoroastri Oraculis p. m. 30. b. supersint quædam ἀηρολογίας vestigia, ut quando dicitur; *Aerem supra terram & aquam esse positam*; & quæ sunt huiusmodi: tamen γνησιότης huius libri non magis certa est, quam Zoroastri patria, quæ teste Huetio propos. IV. Demonstr. Evangel. p. m. 151. est incertissima.

§. VII. Et quid de Græcis exspectas? An eos naturam Aëris felicius rimatos esse, existimas? sane egregie hallucinaris, si ita sentis. Tantum enim abest, ut illi rem acu tetigerint; vt potius cum illo barbaro apud Clementem Alexandrinum l. 1. Stromatum p. m. 303. fatendum sit; Græcos vt in reliquis, ita & in hac re ἀεὶ παῖδας id est, semper pueros extitisse.

§. VIII. Poëtæ enim licet Aëris frequentem mentionem iniiciant, eumque Iunoni dicatum fuisse tradant; tamen magis muti, quam pisces sunt, si naturam eius ab eis condiscere discupias. Quippe

Viuunt Carmine Insani Poëtæ,
Si nugas adimas, fame peribunt,
His mendacia sunt opes & Aurum,
Fingunt quæcunque volunt, putantque palmam
Mentiri bene gloriosiorem.

§. IX.

§. IX. Sed ii fortassis sapientiores sunt, qui reiecto hoc pallio ignorantiæ mysteria naturæ a fabulis purgare occeperunt? IONICI scilicet, ELEATICI, Italici & alii, qui titulum σοφῶν vel φιλοσόφων deinceps excogitarunt? Ast falleris, mi Amice, & vana spe teipsum decipis. Etenim si IONICORVM axiomata Physica indagas profundius, eos quidem plerosque (plerosque dico: omnes enim appellare non audeo. Et prorsus in ea opinione sum, eos procul abesse a veritate, qui sectam Ionicam vnam fuisse sectam existimant, quæ propter diuersitatem principiorum cum essendi, tum cognoscendi sectarum potius multarum farrago fuit atque congeries.) AEREM pro primo vnicoque rerum naturalium Elemento habuisse deprehendes, ex quo attenuato ignis, inspissato aqua, & crassescente terra procreetur. Sed quia eos claram atq; distinctam aëris definitionem tradere potuisse vix vllibi conspicies, similes videbuntur, hi homines circumforaneis, qui de virtutibus herbarum operose disserunt, quas ipsi non cognoscunt, vel illis, qui multa blaterare solent de vrbibus, quas nunquam oculis vsurparunt. Atque idcirco accidit iis interdum, quod nescio cui Thrasoni eveniebat quondam, qui multa nugatus de Venetiis, interrogabatur tandem, an vnquam vidisset vrbem

elegantissimam? Et cum pudore suffusus negare non auderet, respondebat, se aliquando curru mercibus onusto per eam transiisse, **Er wäre einmahl mit einem Frachtwagen durch gefahren.** Sic enim multa de raritate & densitate Aëris expromunt IONICI, & si quidditatem eius ex iis cognoscere desideres, vel obmutescunt protinus, vel ineptissima quæque effutiunt.

§. X. Quod quidem si emendare possent Italici, facile daremus Scheffero hanc veniam, & eos tantum inter philosophos reliquos eminere adcrederemus, quantum lenta solent inter viburna Cupressi. Sed quia eos in eodem cum aliis inhærere luto deprehendimus, non equidem dispicimus, quare aliis præferre deberemus. Etenim vt de sola Ἀηρολογίᾳ agamus in præsenti (quam Schefferus cum tota Physiologia Pythagorica silentio præteriit) quid habent magnopere, quod palmam mereri possit? Aërem ψυχρὸν αἰθέρα a Pythagora vocatum obtendis? (4) Bene facis. Sed quæso te, quid est Æther? quid frigus ex mente Pythagoræ? Et si frigidus est Aër, cur Ocellus Lucanus γνησίως Pythagoricus (5) eundem θερμὸν, seu calidum appellat? An idem simul esse potest & non esse? Non puto

(4) Lâertius in vita Pythagoræ l. 8. p. 584.
(5) de vniuersi natura c. 2. p. 34.

to te illud affirmaturum. Nec te iuuabit, si dicas, Pythagoricos (6) Aëri mollitudinem, leuitatem, læuorem & tenuitatem tribuere. Hæc enim omnia eadē facilitate reiiciuntur qua proponuntur, nisi ex ipsa Aëris essentia demonstrata fuerint. Plane vt frigus Saturni, quod crepant magno clamore Astronomi, sed nullo idoneo argumento demonstrare pollent, quia essentia huius planetæ nobis est ἀπόκρυφος.

§. XI. Et plane iisdem tricis Eleatici impediuntur. Præterquam enim quod sibimetipsis contradicunt quam maxime, dum vnus (8) Aërem Elementum esse affirmat, alter (9) denegat; Vnus ex igne procreatum, (10) alter ex Atomis conflatum (11) clamitat; tanta vbique est dictorum brevitas & obscuritas, vt omnia ab vno Heraclito provenisse videantur. Qui teste Laertio (12) *Librum de Natura in templo Dianæ deposuit, de industria obscurius scriptum, vt soli eruditi eum legerent, ne, si a vulgo passim legeretur, contem-*

pti-

(6) Lucanus l. 1. p. 30.
(7) Sturmii Phil. Electiv. part. 1. Exerc. 13. p. 635.
(8) Xenophanes apud Laertium l. 9. p. 640.
(9) Parmenides apud Laertium l. 9. p. 641.
(10) Heraclitus apud Laertium l. p. 63:.
(11) Democritus apud Laertium l. p. 658.
(12) l. 1. p. 630.

ptibilis esset. Eruditos 1) se mutuo non subsannaturos existimabat (Denn wer die Kunst kan verrâch den Meister nicht) sed potius se defensuros inuicem, sicut aruspex aruspicem defendere solebat quondam, ne artis pretium vilesceret; Sed si indocta plebs arcana physica perspiceret, videretque, quam misellis fulcris inniteretur, facile putabat fore, ut omnis eruditorum honor euanesceret, & Laici clerum philosophicum adorare desinerent.

§. XII. Sed ad *Platonem* pervenio. Qui sicut proram & puppim philosophiæ suæ in ignorantiæ professione constituit; vt docet egregie Conringius in Hist. Vniuers. Manuscr. C. 2. Ita vel solus Stobæi locus, quem Tom. 4. Obferv. ib. §. 11. citauimus, testari potest, quam parum in Aëris descriptione, suam *ἀκαταληψίαν* dissimulauerit. Nec obstat, quod in Timæo multa de Aëre occurrant dogmatica. Nam 1) Timæi hæc sunt, non vero Platonis placita. 2) Timæus ipse p. 534. scribit: *Difficile esse, certum aliquid & firmum de IV. Element. asserere*; Et p. 528. l. 1. ait, *esse quasdam species Aëris ἀνωνύμους, quarum ne nomen quidem indicare posset.* Et sane si recogitasset Apuleius, hunc Dialogum non tam exponere, quid Plato & Socrates, quam quid Timæus Pythagoricus de vniuerso statuerit;

Non

Non tam audacter fortasse, de dogmatis Platonis Physicis scripsisset, dixissetque, eum statuisse 1) Aerem, Ignem & aquam habere suam originem & principium ex Trigono. 2) Aerem habere formam in se octangulam &c. Hæc enim a professione ignorantiæ Socratica & Platonica tam procul absunt, quam Oriens ab Occidente distat.

§. XIII. Sed quid de *Aristotele* dicam? Equidem si iis fidem habere velimus temere, qui se pro γνησίως Aristotelicis haberi volunt, quique se inuicem tam impudenter exscribunt, vt omnem frontem amisisse videantur, dicendum esset vtique, Aristotelem l. 2. de Gen. & Corrupt. c. 3. definitionem Aeris dedisse: Sed quia Tom. IV. obseru. 16. §. 12. iam vidimus, quam malæ fidei testes sint hi homines, nolumus arenæ inædificare, sed sapere potius cum Piscatore icto & locum citatum ipsi inspicere. Ibi autem nihil minus habetur, quam definitio Aeris. Et sane sicut referente Bodino in præfatione Dæmonomaniæ p. m. 18. Cardinalis de Aliaco *defendit rationibusque certis confirmauit, nullam extare in vniuerso Aristotele demonstrationem necessariam, præter eam, quod demonstrauit, vnicum esse Deum*; Ita parum abest, quin credam, in vniuerso Aristotele non extare definitionem exactam. Quippe quæ vel ipso teste l. 1. Post.

Anal.

Anal. c. 8. p. m. 109. ἡ ἀρχὴ ἀποδείξεως ἡ ἀπόδειξις θέσει διαφέρουσα ἡ συμπέρασμά τι ἀποδείξεως. Et si in mentem mihi reuoco quam cœcutierit in phænomenis naturæ explicandis, non equidem ineptam opinor esse imaginem, qua veteres eundem depingere consueuerunt. Denn die mahleten hinter das Contrafei des Aristotelis ein Weib/ die mit einem Schleyer das Antlitz verdecket gehabt und Physis daß ist die Natur geheissen. Damit anzudeuten/ daß Ihm das schönste von der Natur sey verdecket geblieben/ und daß er nichts denn die Euserlichkeit an Kleidern habe erblicket und gesehen. Vid. Præfat. Bodini a Iohanne Fischasto e Gallica in Germanicam linguam translata, p. 20.

§. XIV. Neque etiam *discipuli* super MAGISTRVM sunt, nisi quod definitionibus magis abundant. Quæ tamen ita comparatæ sunt, vt vel seipsos euertant mutuo sexcentis contradictionibus repletæ, vel facile ab iis euerti queant, qui verum a falso discernere didicerunt. Quæso enim te, Lector Beneuole, qualis hæc est definitio, qua *Aerem* definiunt: *Elementum moderate calidum, humidissimum, complens omnem locum, nullo alio corpore repletum*? Sane Otum esse oportet, & ingenio plus quam Peripatetico instructum, qui eius næuos & παροράματα insulsissima non per

perſpiceret, queis ita conſpurcata eſt, vt quid primo, quid poſteriori loco reprehendi, in ea debeat, vix intelligam.

§. XV. Equidem non latet opus periculoſæ plenum eſſe aleæ, Philoſophiæ Ariſtotelicæ tetigiſſe ulcera; quippe quæ tot nutritores habet adhuc, *Quot cœlum ſtellas, quot habebat Roma puellas*; Sed quia veritas non timet mendaciorum myriades, non expaueſco eorũ multitudinẽ, nec me a confutatione communium errorum deterreri patior; Quin potius in ea conſtantiſſime perſevero & aſſerta veritate falſitates omnes ὀβελίζω, & in eum locum coniicio, vbi mendaciorum parens habitat. Quo quidem an etiam hæc definitio aëris releganda ſit, tunc quidem apparebit perſpicue, ſi a nobis probatum erit, eam eſſe falſiſſimam & obſcuriſſimam.

§. XVI. Vt autem a veritate capiamus auſpicium, quæ quaſi definitionis eſt anima, quid magis alienum ab ea eſſe poteſt, quam dixiſſe, Aerem eſſe *Elementum moderate calidum & humidisſimum, complens omnem locum, nullo alio corpore repletum*! Profecto Elementum ſi eſſet Aër, corpus eſſet ſimplex homogeneum, atque corpus ejusmodi, ex quo res concretæ primo componantur, & in quod vltimo reſolvantur. Quæ omnia ſic quadrant in Aërem, vt Anguli in Circulum &

Ro

Rosæ in hyemem. Etenim si corpus est Aër, cur Aristoteles Lib. de Sensu & Sensili c. 5. dicit, eum plane non posse σωματȣ̃σϑαι? Cur reliqua permeare potest corpora? Cur solus ex omnibus corporibus maioribus humanos sensus effugit? Cur iuxta tuam hypothesin רוח seu Spiritus in Sacris appellatur? Cur denique materiæ & formæ est expers? Nam si affirmas habere materiam & formam, dic sodes, quæ sit illius materia? quæ forma? Dic qua ratione res concretæ resolui possunt ultimo in Aërem, si ulterius resolui possunt in materiam & formam? Dic cur videri non possit Aëris materia? Cum omnis materia, si debitam habeat magnitudinem, videri queat, ut docet egregie Thomasius c. 2. vom Wesen des Geistes th. 7. p. 26. Dic cur spiritum concipere non possit, nisi sub forma aërea, extensum scilicet per particulas minutissimas?

§. XVII Vt vero aër corpus non est, ita nec corpus simplex esse potest, tum quia diserte docet Aristoteles l. 2. de Gen. & Corrupt. c. 3. aërem non simplicem, sed mixtum esse; tum quia omnes fere statuunt Aristotelici, aërem posse corrumpi & putrescere, quod in corpus simplex non cadit, cui accedit, quod contra naturam corporis simplicis ex alio elemento est compositus vel ipso Aristotele

tele docente l. 4. Auscult. Phys. c. 5. vbi ait, aquam esse aëris materiam. Et quoniam iudicio Hamelii Tr. 1. Phys. Gen. c. 3. p. m. 83. *Non vbique sui est similis, sed alibi purior, alibi crassior, interdum grauior aut leuior, aliquando salubrior, interdum pestilentior, adeo vt multis nihil videatur esse præter terra & aqua velut quandam lanuginem ex omnis generis effluviis conflatam*, simul cum simplicitate funeratur ejus homogeneia & absconditur.

§. XIIX. Quod vero dicunt, ex Aëre componi concreta omnia & deinceps resolvi rursum, id tam ieiunum est & frigidum, vt pueris vix persuaderi possit. Quis enim lapides, & alia huiusmodi corpora siccissima ex elemento humidissimo constare existimet? Quis niuem, pruinam, grandinem & alia frigidissima ex moderato calido concreta dicat? Si dicis in *illis* prædominari terram, quæ sua siccitate humiditatem Aëris absorpserit; in his vero aquam, quæ sua frigiditate calorem ejus extinxerit: admitto hoc tuum effugiū, sed hoc insimul contendo; cum his aëris affectionibus essentiam ipsam aut esse extinctam in his adductis corporibus, aut non esse. Si non est, dabitur in iis aër nec humidissimus nec moderate calidus, quod definitioni Aëris repugnat; Si vero est, dabitur corpus concretum, quod ex Aëre non est composi-

tum, quod definitionem elementi evertit.

§. XIX. Sed ſatis multa de genere diximus, ad differentiam nunc accedendum, qua Aër moderate calidus, humidiſſimus, omnem locum complens, nulloque corpore repletus creditur. Quod æque verum eſt noſtro iudicio, atque ſi appellatur elementum. Nam primo iam conſtat ex *obſerv. 16. Tom. 4. §. 22.* calorem non in obiecto, ſed in ſubiecto, hoc eſt non affectionem eſſe corporis, quod noſtros ſenſus afficit; ſed ſenſationē ipſam per motū corporis in noſtra mente excitatam. Tum ſi vel maxime faceremus miſſum hoc πυράδοξον, & quandam tactilem qualitatem aëre ineſſe fingeremus, tamen frigus potius cum Stoicis, quam calorem cum peripateticis eidem attribuere deberemus: Partim quia ipſi docent peripatetici, eū in reſpiratione cor refrigerare, quod ſine eo ob motum perennem caloremque immoderatum incendio abſumi deberet; Partim quia Hamelius Tr. 1. Phyſ. Gen. c. 3. p. 87. iuxta ac Sturmius Phyſic. Conciliatr. Part. ſpec. c. 2. p. 111. de aëre ita diſſerunt; *Cum hyeme aër infimus ſit frigidiſſimus, & in media regione ſemper torpeat; de ſumma vero plaga aëris nihil nobis conſtare poſſit, palam eſt aëra, ſi quem habeat calorem, eum vel a lumine Solis reflexo, vel ab igneis portionibus mutuari. Cumque detracta eius puriori*

cauſa

causa frigidus sit, certum est, naturá sua frigidum potius esse quam calidum. Cum quo præter Bodinum l. 2. Theatr. Nat. p. m. 556. consentit Helmontius Tr. de Aëre, p. m. 60. seq. Vbi non inepte probat, Aërem non posse dici calidum 1) quia ignis Elementaris, a quo Scholastici putant aërem calorem suum mutuo accipere, est Non-Ens. 2) quia etiamsi ab eo calorem acciperet, tamen per se non esset calidus, sed per accidens. 3) quia si aër per se esset calidus, nulla possit reddi ratio, cur media eius regio, quæ maxima est & vastissima, frigeret. 4) Quia & Scriptura docet & experientia, niuem tempore hyemis propterea de cælo descendere, vt fruges a frigiditate aëris defendat. (Quare & ipsa videtur niue frigidior) 5) quia si calidus esset aër, animantia omnia tabescerent, ac paruo momento interirent. Quippe calor igneus in corde conceptus nulla inspiratione aut respiratione temperari, nec a pulmonibus refrigerari posset; Neque enim vapores in nubes aut niues aut grandines vnquam concrescerent, sed ab aëris calore dissiparentur.

§. XX. Quod idem de humiditate eius statuendum. Quippe tantum abest, vt aër humidissimus vocari possit, vt ne humidus quidem appellari queat. Primum quia humiditas est aquæ proprium, tum quia non hu-

mectat corpora, sed exsiccat potius. Nec est, quod dicas, eum suis terminis, difficulter alienis facile contineri; hoc ipsum enim non humiditatem, sed fluiditatem eius indicat, vt docet Anonymus apud Thom. Braun in ψευδοδοξία Epidemica p. m. 102. quando scribit. Die Jenige/ so der Lufft deswegen die höchste Feuchtigkeit zuschreiben / daß sie sich gar schwerlich in eigen/aber gar leicht in frembden Schrancken halten läst / irren gar weit. Denn dieses ist eine Eigenschafft/dünner und flüßiger/ aber nicht feuchter Cörper. Und käme demnach dem Feuer und dem Himmel/ als deren Naturen noch dünner sind/mehr zu/ als dem Wasser oder der Lufft/denn die lucken und dünnen Cörper/ weil sie gar leichte hin und wieder fliessen können/ in ihren eigen Schrancken nicht stehen bleiben / und müßen demnach frembde haben. Die dicken / und festen Cörper allein bleiben in ihren Begriffen/ und Umfang stehen/ welches die subtilen nicht thun können/weil sie vor Dünnigkeit zergehen und sich zertheilen/ und zwar je dünner sie sind/ je mehr sie zerfliessen/ und je weniger sie stand halten. Daher folget/ daß die Lufft zwahr ein sehr dünne aber nicht ein sehr feuchter Cörper sey. Si vero exinde aërem humidiorem esse aqua autumas, quod sui compressione & congressu aquam generet; probandum tibi erit antecedens, quod tantum a vérita-

ritate abeſt, vt ſclopeta Pneumatica manifeſto teſtentur contrarium. Vid. Helmontium l. c.

§. XXI. Et vereor, ne idem contingat aëris omni præſentiæ, quod eius Calori & humiditati euenit. Si enim omnem locum complet aër, vt Ariſtotelici in definitione eius iactitant; cur eum in principio loci ignis finiri perhibent? cur ſpatia quædam inania comminiſcuntur? cur reliquis elementis, cum omnib9, tum igni imprimis, locum peculiarem tribuunt? Etenim ſi aër omnem locum occupat, reliqua corpora omnia erunt nullibi, quia impoſſibile eſt, duo vel plura corpora in vno eodemque eſſe loco.

§. XXII. Neque etiam diſpicio, quo ſenſu Aër nullo corpore repletus dici poſſit a Peripateticis, cum ipſorum iudicio eius intima regio omnis generis effluuiis ſit refertiſſima, media pluuiam, niuem, grandinem & alia Meteora aquea contineat. Suprema ſi qua eſt. (Gaſſendus n. Tom. I. de V. & M. Epicuri p. 551. diſerte negat) a nobis adhuc ſit ignotiſſima, vt æque periculoſum ſit dixiſſe, eam corporibus repletam eſſe, ac non eſſe.

§. XXIII. Et tandem ſi hæc omnia ita ſe haberent cum Aëre, prout Ariſtotelici in definitione ſua indicant; tamen res nondum confecta eſſet. Non enim ſufficit, vt definitio

G 3 ſit

ſit vera & conformitatem habeat cum re; ſed etiam requiritur, vt ſi clara & perſpicua. Et definitio, quæ clara non eſt, ne quidem nomen definitionis mereri poteſt, quia rei eſſentiam non explicat, ſed implicat, eamque inuoluit magis, quam aperit. Quod hæc noſtra facit quam manifeſtiſſime. Vt enim conceptum *Caloris & humiditatis* tacitus prætereeam, quorum *alter* ex mente Ariſtotelis ſic comparatus eſt, vt frigori etiā cōueniat, *alter* ſic inſtitutus, vt etiā ad ſiccitatem accommodari poſſit; quid poteſt eſſe obſcurius & intricatius, quam notio loci & corporis? Ariſtoteles l. 4. Auſcult. Phyſ. c. 2. text. 16. ait, χαλεπὸν εἶναι γνωρίσαι τί ἐστιν ὁ τόπος, faterurque C. 1. l. c. text. 2 eius notionem habere πολλὰς ἀπορίας. Et ſi definitionem corporis Ariſtotelicam perſpicuam eſſe exiſtimas, lege ſis diatriben noſtram *Hiſtorico-philoſophicam, quam nuper publicauimus de ἀσοφία philoſophorum omnium, quam in definiendo corpore naturali vel volentes confeſſi ſunt, vel nolentes confiteri coguntur.* Non enim vacat in præſenti Cramben bis coctam recoquere.

§. XXIV. Pyrrhonii vt in aliis, ita etiam in ἀπειρολογία ſuam lubentes agnoſcebant ignorantiam, adeoque cum definitionibus *Dogmaticorum* Phyſicis nihil quicquam habe-

bant

bant commercii. Quatenus autem omni orationi oratio æqualis opponi poteſt, eatenus etiam in Phyſiologicis perturbationis vacuitatem ſectabantur. Vt docet Sextus Philoſophus l. 1. Pyrrhon. Hypotheſ. c. 9.

§. XXV. Epicvraei quoque licet Aëris frequentem mentionem iniiciant, vt in Lucretio L. I. de natura p. m. 557. & Epicuri Epiſtolis apud Laertium l. 10. videre eſt; tamen definitionem eius tradere non audent, vel quod definitiones in Philoſophia naturali non adeo neceſſarias exiſtimant, vel quod naturam eius eſſe ἀπερίληπτον arbitrantur. Quippe nec Gaſſendus ſolertiſſimus alias Philoſophiæ Epicureæ inueſtigator definitionem Aëris ex Epicuro afferre potuit, nec ipſe quampiam per ſe formare. Et in laudato opere de V. & M. Epicuri p. m. 424. ne affirmare quidem auſus eſt, *an aër ſpeciale corpus ſit, an vero ſolummodo vaporum, corpuſculorumue ex terra & aqua continenter exhalatorum contextura?*

§. XXVI. Stoici in eo conſentiunt cum Ariſtotelicis, quod Aërem Elementum eſſe docent, eique tres regiones attribuunt, ſupremam, mediam & infimam; Sed tamen in eo ab iis diſſentiunt, quod Elementum frigidiſſimum exiſtimant, eique quandam Spiritualitatem ineſſe arbitrantur. Vid. Senec. L. 2.

Nat. Qv. C. 6. seq. pag. 745. seq. Lipsii Manud. L. 2. differt. 15. p. 110. seq. Quæ postulata, si vel maxime concedere vellemus hominibus acutissimis; tamen a scrupulis non liberamur. Nam primum Elementi definitio, quam tradunt Stoici apud Lipsium in Manud. l. 2. differt. 11. p. m. 97. sic comparata est, vt nodos non soluat, sed nectat potius: Deinde frigoris naturam sciunt cum ignarissimis: Et tandem obscurum per æque obscurum explicant, dum interrogati, quid sit Aër, respondent; esse *Elementum frigidissimum Spiritualitate quadam præditum.* Et iterum interrogati, quid sit Spiritus, reponunt: *Esse aërem leniter fluentem.* Vid. Senec. l. c. 13. p. 806.

§. XXVII. Sed quid nouelli nostri Philosophi, qui ex CARTESIO habent vocabulum, de aëre differunt? Sane si promachum eorum interrogaueris, quam sibi ideam de Aëre formauerit, responsi loco accipies; se eam quam clarissime & distinctissime concipere, *vt congeriem particularum tertii Elementi, tam tenuium & a se mutuo disiunctarum vt quibuslibet motibus globulorum cælestium, obsequantur, adeoque putare, esse corpus valde rarum, fluidum & pellucidum.* Vid. Cartesii princip. Part. 4. thes. 45. p. 115. Quæ verba dici non potest, quam habeant verisimilitudinem. Depin-

gunt

gunt enim aëris materiam & formam tam dilucide & perspicue, vt audita hac definitione quasi coram spectari videatur. Sed siste gradum, Viator, & audi, quos circa hanc tuam definitionem adhuc habeamus scrupulos. Primum enim non possumus concipere, qua ratione Aër ex particulis tertii Elementi compositus dicatur a Cartesio, cum iuxta ipsum Part. 3. Princip. Phil, th. 52. p. m. 55. partes tertii elementi non pellucentes sint, quales iuxta definitionem sunt aëreæ, sed relucentes solummodo. Tum nec istud percipimus, qui aëris particulæ figura & motu Elementi tertii carere queant, & tamen elementum tertium constituere. Etenim si particularum motus & figura tanti est in corporibus, vt ab iis formarum & specierum dependeat diuersitas, vt ipse Cartesius diserte docet (vid. Voiage du Monde de Cartes Part. 2. p. m. 134.) vix abesse a particulis tertii Elementi poterunt, quin ipsum simul destruatur. Adeoque cum aëris particulæ vel ipsis Cartesianis fatentibus [Vid. Claubergii Phys. Contracta Part. Spec. c. 26. §. 745. p. 140.] secundi Elementi motum sequantur, figuramque particularem elementi tertii habere nequeant; quia hæc iuxta Cartes. l. 2. th. 52, p. 54. ad motum est ineptissima; non sane ad tertium hoc elementum pertinere poterunt.

Adde quod Claubergius l. c. §. 803. dicit, aërem esse corpus mixtum ex variis particulis celestibus & terrestibus (quæ specie differunt iuxta Cartes. princip. Phil. part. 3. th. 52.) corpusculis, omnisque generis particulas ad eius constitutionem concurrere. Tandem si vel maxime concedere vellem Cartesio, aërem ex solis particulis terrestribus esse compositum; tamen nescirem adhuc, quæ particularum aërearum figura sit, quique motus, tum quia seorsim spectari nequeunt, & prorsus sunt inuisibiles, tum quia figura quam Aëri assignat Cartesius, cum eius motu, & motus cum figura non potest consistere. Habere enim figuram angulosam, & tamen moueri celerrime, sunt mera ἀσύςατα.

§. XXVIII. Esto tamen, hæc omnia tum inter se, tum etiã cum rebus ipsis amice conspirare, tamen imbecillitati mentis nostræ nondum est consultum. Quæ quia per P.O. amisit facultatem, res naturales clare & distincte cognoscendi; per philosophiam Cartesianam non potest in integrum restitui. Et meræ profecto sunt præstigiæ, quando hi homines iactitant, se claram & distinctam cum rerum naturalium omnium, tum aëris imprimis habere ideam. Certissimus enim sum, eos æque ac reliquos Philosophos ignorare adhuc, quid

quid ſit corpus, quid rarum, quid fluidum, quid pellucidum.

Quod operoſe probare contra eos iam poſſemus, niſi conceptum eorum corporis in ſupra citata Diatribe noſtra iam deleuerimus, de raritate autem fluiditate & pelluciditate agere ex legibus Obſeruationum noſtrarum prohibeamur in præſenti, quæ nobis latius exſpatiari non ſinunt. Quare hæ diſquiſitiones futuris obſeruationibus, ſi fata ſinent, reſeruabuntur.

OBSERVATIO IV.

NESCIRE PHILOSOPHOS QVID SIT AQVA?

SVMMARIA.

§. I. NEſcire Philoſophos, quid ſit aqua, probatur teſtimonio Scharffii. §. II. Hebræorum Definitio latet, diviſio autem ſic comparata eſt, ut ignorantiam ſolummodo nobis exprobret. §. III. Ægyptii aquam diuidunt in marem & fœminam, ſed eſſentiam comprehendi non poſſe fatentur. §. IV. Perſarum Magi & Indorum Gymnoſophiſtæ in naturalibus fuerunt Aporematici. §. V. Sinenſes naturam aquæ non habuerunt perſpectam. §. VI. Poetæ in hydrologia ſibimet ipſis mirifice contradicunt. §. VII. Thales quidem aquam pro unico rerum naturalium habuit principio, ſed hoc ipſo ſuam manifeſtauit ignorantiam. §.VIII. Pythagorici de aquæ natura vix quicquam videntur tradidiſſe. §. IX. Eleaticorum vero ſenten-

tentia de ea incerta est. §. X. Plato ut in aliis, ita etiam in doctrina de aqua fuit Eclecticus. §. XI. Aristoteles definire eam non ausus est. §. XII. Aristotelici definiunt Elementum grave, frigidum & humidum, terram undique ambiens & interfluens, sed inepte. §. XIII. Non enim elementum esse potest, quia non est corpus simplex, nec homogeneum. §. XIV. Neque omnes res concretæ componuntur ex aqua primo vel resolvuntur ultimo. §. XV. Item non est corpus grave §. XVI. nec frigidum. §. XVII. vel humidum. §. XVIII. Neque terram undique ambit vel interfluit. §. XIX. Et si hæc omnia ita essent, tamen definitio inadæquata & obscura est. §. XX. Epicurei etiam hic suam profitentur ignorantiam. §. XXI. Nec non Stoici. §. XXII. Cartesiani autem ridicule definiunt congeriem particularum tertii elementi &c. §. XXIII. Probatur, aquam non esse congeriem particularum tertii elementi ex particularum qualitate. §. XXIV. tum ex motu & figura. §. XXV. Ostenditur, inepte probari à Cartesio, quod particulæ aqueæ sint instar angvillarum, & eadem ratione posse demonstrari, eas nec glabras esse, nec teretes.

§. I.

IN πυρολογίᾳ & ἀερολογίᾳ cæcutire Philosophos, docuimus; nunc ad lippitudinem eorum hydrologicam accedemus. Quæ tanta est, vt Scharffius alioquin δοκησισοφώτατος

L. I.

L. 1. phyſ. ſpec. recognitæ C. 8. p. 521. & p. 160. tabul. Phyſic. fateri non dubitet; *formam aquæ latere incognitam.* Et licet plerique ab eo diſſentiant, ſibique naturam aquæ manifeſtam eſſe exiſtiment; tamen hæc noſtra διάσκεψις oſtendet, eos nimis mature ſuum εὕρηκα, εὕρηκα protuliſſe.

§. II. Etenim ſi *Hebræorum* Cryptas Philoſophicas, qua fas eſt diligentia perreptamus, de diuiſione quidem aquarum hinc atque hinc quædam veſtigia deprehendimus, ſed de definitione earundem, ne γρὺ quidem. Et ipſæ quoque diuiſiones ſic comparatæ ſunt, vt nobis ignorantiam noſtram exprobrare videantur. Vt enim de diuiſione Rabbinica & Kabbaliſtica nil dicam in præſenti, qua aquas in maſculas & fœminas diſponere conſueuerunt; vid. Lib. Iezirah p. m. 201. & Kabbalæ denudatæ Part. I. p. 529. quamque ipſi Myſtæ & Profeſſores huius Philoſophiæ nondum ſatis intelligunt; quis quæſo circa diuiſionem aquarum Moſaicam, qua in ſuperiores & inferiores diſponuntur, ſuam non aperte deprehendit ignorantiam? ſane auctores hiſt. Eccleſ. Gothanæ l. 1. c. 1. p. 4. ſi ad eam perueniunt, ſcribere non verentur; *aquarum iſtarum ſupra cœleſtium naturam & vſum vt ignoramus, ita easdem propter ſacri textus auctoritatem negare non audemus.* Et Auctor Libri

co-

cosri Part. 4. p. 311. ſcribit; Ratiocinatio Philoſophorum aquas ſupra cæleſtes non apprehendit. Ac ſatius omnino eſt profiteri id, quod neſcias, quam ſimulare ſcientiam, & tamen rem ipſam ſcire cum ignariſſimis. Quippe non pudor eſt, nil ſcire, pudor, nil diſcere velle.

§. III. Aegyptii quoque vt ex ſingulis elementis marem fecere atque fœminam, ita & aquam virilem vocarunt mare, muliebrem omnem aliam. Vide Senecæ l. 3. quæſt. natur. c. 14. p. 771. Ac licet hoc ipſo non meliores videantur Rabbinis noſtris, & Kabbaliſticis Doctoribus; in eo tamen eosdem antecellunt, quod fatentur, *rerum naturalium eſſentias a nobis comprehendi non poſſe. Et imitationem quidem veritatis fieri, ſi Phantaſia deſuper influxum habuerit, absque hac autem cæleſti actione nil niſi mendacium nobis relinqui.* Vide Hermetis Triſmegiſti Librum de Veritate p. 249.

§. IV. Persae quid docuerint de aquæ natura, vix per nebulam videre poſſumus. Etenim & ſcripta perpauca de dogmatis eorum philoſophicis ſuperſtitant, & quæ ſuperſtitant, ad ſpecialia eiusmodi ſe vix demittunt. Interim ſi coniecturis locus eſt, ita ſentimus; Perſarum Magos non minus, quam Indorum Gymnoſophiſtas fuiſſe Aporematicos, tum quia

quia Scepticorum parens Pyrrho ab iis institutus est, vt docet Laërtius l. 9. p. 647. Hesychius de Viris Claris p. 45. & dogmatum Parallelismus; tum quia Gymnosophistæ expresse dixerunt; eos, qui ad naturæ cognitionem animum appellant, stultos esse, vt qui factis, quam verbis malint se bonos demonstrare. Vid. Kortholti Tract. de Orig. & Progressu Philos. Barbaricæ, p. 42.

§. V. SINENSES elementa quidem quinque enumerant, *aquam, terram, ignem, lignum, & metallum,* aquamque ex imperfecto & perfecto principio constantem hac figura adumbrare solent ⚌⚍ Vide Procem. declarat. in Confucii Phil. p. 13. Sed quia ipse Confucius in senectute sua non obscure confessus est, se Hieroglyphica hæc naturæ schemata non satis accurate cognoscere, vt loco citato p. 14. habetur, neque nobis erit integrum, hæc ænigmata explicuisse. Non enim minus cauti sumus, quam Confucius, qui *de quatuor rebus rarissime & breuissime loquebatur; de rebus scilicet exoticis, insitatis, peregrinis, de monstris atque prodigiis. De factionibus atque dissidiis & perturbationibus publicis. Denique de spiritibus, quod eorum virtus, efficacitas, natura usque adeo subtilis ac sublimis sit, & ab humano sensu remota, vt de illa debite loqui sit periculum.* vid.

L. c.

L. c. L. 3. §. 2. p. 41. Adde quod ipse l. c. §. 3. p. 17. sic scribit, *sciens rerum & esse & haberi desideras, o mi discipule, yeu age nunc ergo docebo te scire, siue docebo te, quis vere sciens rerum dici queat. Scis quippiam? profitere, quod id scias. Non scis? ingenue fatere, te nescire, seu sic te gere, vt qui id nescias. Hoc enim scire est & rerum scientem esse. Neque enim hoc exigitur, vt caussas omnes ac naturas rerum perspectas quis habeat, cum eas nec sancti quidem exhaurire cognoscendo queant; sed vt ea, quae officii sui sunt, intelligat ac perdiscat, incognita pro cognitis non habeat, hisque temere assentiatur, & quod deterius est, aliis errores suos venditet, tam sibi, quam aliis imponens &c.*

§. VI. GRAECI vt omnium populorum φιλοσοφικώτατοι videri gestiebant; ita & in ὑδρολογία se punctum omne tetigisse acu autumabant. Quod vereor vt confirmare queant. Enimuero si POETAS primum consulimus, quorum Philosophia putatur antiquissima, tot sane tantasque contradictiones, futilitates & ineptias deprehendimus, vt Cornelius Agrippa c. 4. de vanitate scientiarum non inepte dixisse videatur; *Poësin esse artem ideo tantum inuentam, vt lasciuientibus rythmis, syllabarum numeris ac ponderibus, nominumque inani strepitu, stultorum hominum aures demulciat, ac fabularum oblectamentis, mendaciorumque centoni-*

nibus decipiat animos. Iam enim aquam ceu elementum quoddam Veneri sacram faciunt, Natal. Comes. l. 4. c. 19. p. 352. Iam Deum, ex ea faciunt, quem Oceanum appellant, & omnia producta ab eo esse somniant. Conf. Iustin. Martyr. Orat. ad gentes p. 46. Ioh. Boccatii Genealog. Deorum c. 1. l. 7. p. 54. Iam quendam Neptunum ex ea sibi effingunt eumque ceu Numen adorandum delineant. Vid. Clem. Alexandr Admon. ad Gentes p. 42. Natal. Comes l. c. l. 2. c. 8. p. 113. Quo sicut inconstantiam & levitatem suam produnt quam maxime, ita toto, quod aiunt, cœlo errant, qui hosce nugiueridulos solida doctrina imbutos fuisse opinantur;

Verba misella tenent, prætereaque nihil.

§. VII. Quam fabulam & ii luserunt postea, qui *non-fabulosi* appellari voluerunt; nam & illi ignorantiam suam infucata sapientia coloraverunt, & ἀνυπόςατα ϗ κενὰ τῶν πραγμάτων ὀνόματα lectoribus suis apposuerunt. Cuius rei exemplum nobis præbet *Thales Milesius* sectæ Ionicæ stator & auctor celeberrimus. Hic enim licet magno verborum apparatu docuerit, *Aquam rerum omnium esse originem, orbemque terrarum hoc elemento sustineri, & vehi more navigii, mobilitateque ejus fluctuare, cum tremere putetur*; Diogenes Laërt. l. 1. p. 18. Seneca l. 3. Quæst. Natur. c. 13. p. 771.

tamen non magis explicare potuit, quid Aqua ſit, quam cæcus, quid ſit albor vel nigror. Quid quod hac ipſa hypotheſi ſuam in rebus naturalibus lippitudinem manifeſtauit quam maxime. Nam primum ſi aqua ſola & unica eſt corporum naturalium principium, qui fit, vt quædam eorum ſint ſolida? Neque enim ab aqua ſoliditatem habere poſſunt, quæ ipſis fatentibus eſt humida & fluida, neque ab alio principio, quia ſecundum illos præter hocce aliud non datur. Equidem reſpondent Patroni hujus Paradoxi, eſſe principia quædam actiua quæ materiam hanc coagulent & conſolident; ſed parum hæc ſufficiunt. Si enim vlterius progredimur & inquirimus cuiusnam naturæ ſint illa principia, an corporeæ, an vero incorporeæ, reponunt, principia illa eſſe quidem Entia inuiſibilia, interim tamen corporea. Vnde naſcitur argumentum. Si principia illa aquam condenſantia & conſolidantia ſunt corpora, aut erunt aquea, cum ſecundum illos aqua ſit omnium corporum materia, aut habebunt aliam materiam. Sed aquea eſſe non poſſunt, quia diſtincta ſunt ab aqua, & aliam plane, condenſautem nempe naturam, habent, quam aqua elementalis ſecundum illorum conceſſa non habet, nec habere poteſt, niſi ſtatuere velint, aquam elementalem coagulare ſe ipſam. Ergo ſemina

hæc

hæc vel principia erunt diuerſa ab aqua. Coguntur itaque volentes nolentes concedere, præter aquam dari materiam adhuc aliam, quæ qualis ſit, dicere quidem non habeo, hoc ſcio, aquam in tot rerum formas & ſpecies ſe conuertere vix poſſe, niſi alia quoque principia & ab ea plane diuerſa agnoſcimus. Vid. Du Hamel de Corp. Affect. l. 1. §. 14. p. 25. Crauſii Scrutin. Phyſiol. §. 24.

§. VIII. Sed neque ITALICI ſaniora docuerunt. Nam quanquam ii Pythagoræ diſcipuli, qui propter naturæ contemplationem θεωρητικώτατοι vocabantur, *Schefferus c. 11. p. 103.* nil niſi puram aquam bibere ſolebant l. c. c. 14. p. 149. tamen de natura eius vix quicquam præcepiſſe videntur, præterquam quod Præceptor tradiderat apud Laërtium l. 8. p. 582. eſſe ϛερεὸν σῶμα. (Etenim ϛοιχεῖα vocem quam habet l. c. Laërtius vix vſurpaſſe videtur Pythagoras, tum quia Plato eam excogitauit primus, vt docet idem Laërt. l. 3. p. 201. tum quia in Ocello Lucano aliisque Pythagoræ diſcipulis non reperitur.) Quo conceptu ſi aquam illuſtratam eſſe exiſtimas, lege quæſo *Diatriben noſtram Hiſtorico-Philoſophicam de Aſophia Philoſophorum in definiendo corpore naturali p. 6.* & videbis nil definitione corporis pythagorica eſſe obſcurius. Et ſane incredibili teneor deſiderio vi-

dendi M. Ioh. Iacobi Syrbii introductionem in physicam pythagoricam, cuius Catalogus Francofurtensis nuper mentionem fecit, vt tandem videam, an hic Pythagoram extra sindonem noscendum nobis sistere & docere queat, quid Corpus, quid aqua ex mente Pythagoræ sit & qua ratione hi nodi dissolui queant, quos illi in citata Diatribe circa *σωματολογίαν* Pythagoricam fecimus. Equidem si Ocellum Lucanum euoluimus, hic de qualitatibus aquæ subinde inspergit quædam, sed de essentia eius ne γρῦ quidem habet. Et qui ex Empedoclis *ὑδρολογία*, qua aquam *amicitiam* vocauit, teste Plutarcho *de primo frigido* p. m. 952. naturam eius velit cognoscere, eum capite cucurbitino oporteret esse præditum. Adeoque tamdiu putabo, Pythagoram & Pythagoricos nesciuisse naturam aquæ, donec a Syrbio probetur contrarium.

§. IX. ELEATICI quid de aqua docuerint, difficile admodum est dictu, tum quia scripta eorum sunt deperdita, tum quia auctores tam diuersa & dissona de iis tradunt, vt ipsa elementa non magis disconuenire sibi possint. Si enim Laërtium interrogas, quid Xenophanes sancierit de principiis rerum naturalium, respondet l. 9. p. 640. eum quatuor rerum omnium elementa statuisse; si Sextum Empiricum, ait l. 5. hypothes. pyrrhonicar. c. 4. p. 136.

p. 136. eum duo tantummodo enumerasse; *terram*, & *aquam*. Et si deinceps scire desideras, quid porro de rebus aliis tradiderit, respondet Hesychius p. m. 40. de claris viris & Sotion apud Laertium l. c. eum docuisse omnia esse incomprehensibilia. Quæ sane ita conspirant inter se & consentiunt, vt contrarius ignibus humor; atque lupis sæuis hædi, vitulisque leones.

§. X. Equidem quod ad PLATONEM attinet, Apuleius de Dogmat. Plat. p. m. 8. auctor est, eum docuisse, aquam esse elementum ex Trigono ortum, figuram sphæræ vicennalis habens; Sed quia & locus Stobæi Tom. 4. Obseru. 16. §. 11. citatus & ipsa Platonis opera testantur, eum non tam dogmaticum fuisse in rebus Physicis, quam Aporematicum, non sane maiorem fidem hæc Apuleii commenta apud nos inueniunt quam ea, quæ de asino aureo somniauit. Sed tamen hæc condonanda esse putamus Viro Optimo, quippe qui eo seculo vixit, quo quilibet Philosophia Platonica inescatus, Platonem Academicum transfigurare volebat in Dogmaticum.

§. XI. Sed ad summum nunc ARISTOTELEM descendimus. Qui sicut experientia didicerat, *nostrum intellectum ita se habere ad res manifestissimas, vt Vespertilionum oculi se habent ad lumen diei percipiendum* l. 2. Meta-

 phys.

physſ. c. 1. ita definitionem aquæ vix vnquam tradere auſus eſt. Et ſycophantantur eius diſcipuli, quando in compendiis ſuis Phyſicis prouocare ad l. 2. de Gener. & Corrupt. c. 2. ſolent, quaſi eandem ibi, quam ipſi habent, definitionem aquæ tradidiſſet. Præterquam enim quod eorum definitiones tam diuerſæ ſunt atque πολύμορφοι, vt ex ſolo aſpectu iudicari poſſit, non vnum habuiſſe parentem; in l. c. Ariſtotelis vix quicquam habetur aliud de aqua, quam eam eſſe frigidam & humidam. Quo quidem ſi aquæ eſſentia abſoluitur, inepte Ariſtotelici hinc inde attexuerunt aliquid ſin; dici non poteſt, Ariſtotelem aquam definiviſſe.

§. XII. Eſto tamen in hydrologia iis præluxiſſe & aquam vt ipſi ſolent l. c. definiuiſſe; *elementum graue, frigidum & humidum, terram vndique ambiens & interfluens.* Num propterea eandem ἀναμάρτητον eſſe autumant? toto profecto, quod aiunt, cœlo errant, ſi hoc perſuaſum ſibi habent. Homo enim cum fuerit Ariſtoteles & quidem homo eiusmodi, *qui ambulauit in vanitate mentis ſuæ, tenebrisque obſcuratum habuit intellectum, propter ignorantiam, quæ fuit in natura eius & propter cæcitatem cordis ſui Epheſ. 4.* non potuerunt non ipſius meditationes humanis erroribus coinquinari.

§. XIII.

§. XIII. Et quidem vt huius definitionis appareat infirmitas, recogita quæso primum illius genus, & inquire, an aqua sit elementum, vel quod idem est, an sit *corpus simplex homogeneum, ex quo res omnes concretæ primum componuntur & in quod rursus resoluuntur*? sane si Aristotelem audis *lib. de sensu & sensili* vix corpus appellari potest, quia non potest σωματῶδές τι συςῆσασθαι. Et si verum est quod scribit vir φυσικώτατος Crausius in scrutin. physiol. §. 19. *aquam omnino pellucidam, & prout videtur, homogeneam, centies sæpiusue destillatam, in fundo tamen Vasis vel lateribus eiusdem terrestrem materiam relinquere*; æque fortassis verum erit, aquam corpus simplex esse, ac liquorem Alkahest, res omnes in aquam elementalem conuertere. Etenim vt hic à Chymicis inuentus nondum est, ita aqua fortassis nondum nata est, quæ simplex vocari possit. Et recte dubitat Du Hamel. l. 3. c. 4. de consens. Vet. & nov. Phil. p. 738. *an aqua in rerum natura omnino pura & ab omni alio secreta elemento inueniri possit, cum aqua pluuiatilis, quæ naturæ artificio destillatur, non modo putrescat, quod in corpus simplex non cadit, sed etiam ex se varia gignat animalia.* Quo ipso sicut eius simplicitas subruitur omnis & euertitur, ita etiam homogeneia collapsa ruit, quæ illius est consequens & quasi consectarium.

§. XIV. Et o quam puerile eſt, quando dicitur, ex aqua conſtare res concretas omnes & reſolui rurſum. Etenim ſi hoc eſt, & ignis & aër ex aqua conſtabunt non ſolummodò, ſed & in aquam reſoluentur, quoniam hæc eſſe corpora concreta docuimus. Et quid de pumice dicemus? an etiam hunc ex aqua humida conflatum eſſe ſtatuis; qui vero fit, vt humectari non poſſit? An aquæ humiditatem a prædominantis terræ ſiccitate abſorptam eſſe contendes? non puto, te hoc affirmaturum, alias enim reſpondendum tibi, denuo ad iſtud dilemma, quod §. 18. de aëre obiecimus, dicendumque, an cum humiditate hac deleta ipſa aquæ eſſentia deleta ſit? quod ſi affirmabis, dabitur corpus concretum ſine aqua, quod definitioni elementi repugnat, ſi negabis, dabitur aqua non humida, quod definitionem aquæ euertit.

§. XV. Sed manum de tabula, generis differentia iam adeſt. Quæ dici non poteſt quot quantiſque commaculata ſit vitiis. Etenim nec grauitas, nec frigiditas, nec humiditas, nec illa terram vndique ambiens fluiditas aquæ naturæ reſpondet. Et quidem vt a grauitate faciamus auſpicium, ipſe Ariſt. l. 4. de cœlo c. 5. p. 679. & Ariſtotelici, vt Magirus l. c. fatentur, grauem eſſe aquam comparate tantummodo reſpectu aëris & ignis,

quibus

quibus subiicitur; ad terram autem collatam leuem dici posse. Quo ipso sicut manifesto satis innuunt leuitatem aquæ non minus quam grauitatem συγκριτικῶς vel comparate competere; ita non possunt non concedere eandem æquo iure elementum leue ac graue dici posse. Quo sane nihil est puerilius. Accedit, quod nihil in se est graue vel leue, sed tantum respectu ad aliud. Quod tum probabimus cum Deo, si ad grauitatem ventum fuerit. Quam ob rem grauitatis in definitione aquæ plane mentio non debuisset fieri quia ipsi extra essentialis est. Et si fas esset, ea, quæ rei non ἁπλῶς vel simpliciter competunt, sed tantum συγκριτικῶς definitioni inseruisse; licebit etiam Aristotelem definire; hominem insipientissimum. Quippe talis fuit respectu Salomonis, licet respectu asini vocari possit sapiens.

§. XVI. Neque etiam aliter de frigiditate aquæ iudicandum est. Vt enim non dicam, hanc ipsam non magis fortassis inesse aquæ, quam calorem igni, de quo iam observ. 16. Tom. 4. docuimus, eum non in obiecto, sed in subiecto esse, adeoque non tam affectionem ignis, quam sensationem quandam per ignem in nostra mente excitatam, qui quæso aquæ frigiditas cum motu eius posset consistere? sane vbi motus est, ibi etiam est

est calor, sicut posita causa ponitur effectus. Ac licet ille respectu motus in igne tam tardus sit atque remissus, ut etiam frigidulus videatur; tamen non simpliciter frigidus appellari potest; sed comparate tantummodo quia minorem calorem, quam ille excitat. Et plane assentior Gassendo de V. & mor. Epicuri Tom. I. P. 147. quando scribit: *si aqua competeret frigus ex sua natura, non facile admitteret in se extremum calorem, quo ebullit; quemadmodum, si reciproce esset calida secundum naturam, non tam facile admitteret extremum frigus, quo conglaciat. Neque dicas, aquam, postquam excalefacta est, reducere se ad nativum frigus. Nam aqua quidem, summoto igne, amittit sensim calorem ab igne conceptum, donec corpuscula caloris indita sensim exhalantur; at nunquam tamen reducet sese ad ullum frigus, nisi aër circumstans fuerit frigidus, ipsamque frigefecerit. Et vis id melius percipere? considera in flumine, quando congelascit, ut glacies incipiat a superficie, sive qua parte contingitur ab aëre frigido: cum si esset frigida, tota ex natura sua deberet potius ab ipso usque vel fundo vel medio aqua incipere, aut saltem non tardius, quam a superficie formari. Et, si aqua est, ut Aristoteles & cæteri volunt, summe frigida: quomodo potest ipse aër reperiri aqua frigidior, inducens nempe frigus in aquam majus frigore, quod in aqua sit?*

quomodo possunt corpuscula nitri in aquam infusi illam præter morem adeo frigidam reddere: imo & per æstatem etiam congelare; dum nitrum vivi, glacieive detritæ commistum, lagenæ circumponitur; ipsaque præter corpus lagenæ penetrant in aquam contentam? eccur vero non aqua maris, non fluminum, non cæteræ sunt semper, aut saltem maxima ex parte duratæ gelu? si summum frigus est in ipsis proprium, ac plane secundum naturam, possuntne toto auo durare præter natiuam durationem, ac tam solum degere naturaliter, & per paucas quidem particulas, cum frigidus aër infrigidat ipsas? itaque videtur aqua esse humida quidem: at non calida, neque frigida ex sua natura: sed calefieri solum aut frigefieri ex corpusculorum, caloris aut frigoris introductione. Neque indignum lectu est quod habetur in ψευδοδοξία Epidemica Braunii Part. I. §. 63. p. 99. Die Kälte liebet die Trockenheit/&c. &c. &c. Dannenhero streitet es wieder das Gesetze der Natur/ daß man dem Waßer die höchste Kälte zueignen solte.

§. XVII. Verum te expectare video quid de humiditate aquæ existimemus. Habe igitur ex mente Aristotelis, nos eam siccam potius quam humidam judicare debere. Etenim & suis terminis continetur facile & alienis non nisi difficulter contineri potest. Quod tum ex eo constat, quod flumina suas ri-

ripas amant & aqua in vitro pleniori in tumulum malit aſcendere,quam terminos præſcriptos transgredi, tum etiam eo apparet manifeſtisſime, quod firmisſimis aggeribus vix ita coerceri poſſit ut non perfluat & rimulas elabendi conquirat. Et quid de aqua congelata putas an hanc etiam humidam affirmabis? Sane hæc neque humectat quippiam, nec ſuis terminis continetur difficulter. Neque eſt, quod dicas, eam non aquam eſſe, ſed glaciem. Hoc enim idem eſt atque ſi dicerem Ariſtoteli definitionem hominis non poſſe tribui, eo quod non homo dicatur, ſed Ariſtoteles,imo potius quia Ariſtoteles ſimul eſt homo ergo definitio hominis ipſi competit. Et quia glacies eſt aqua docentibus Ariſtotelicis vid. *Magir. L. 4. c. 1. p. 316.* definitio aquæ ipſi debet accommodari.

§. XVIII. Tandem nec illud bene dicitur, quod Terram undique ambiat & interfluat. Etenim & ſenſu cognoſcimus, non omnem terram aquæ immerſam eſſe, & experientia de zona torrida & arenoſis Lybiæ regionibus docet contrarium; Et ratio oſtendit,aut hanc hypotheſin aut definitionem terræ tollendam eſſe, de qua dicitur, eam ſimplicem eſſe & ſiccisſimam. Mitto quod hoc neque omni aquæ, neque ſoli, neque ſemper poſſit tribui, quod debuiſſet maxime, ſi ejus eſſentiam ingrederetur.

§. XIX. Sed finge hæc omnia, distinctionibus quibusdam Metaphysicis (quæ utramque faciunt paginam in physica Aristotelica) aboleri posse, quæ ipsi intentavimus vitia, tamen obscuritas & inadæquata ejus, ratio detergi non potest, quippe & aëri accommodari potest, quod malum est, & quod pejus, explicari nequit, quid sit elementum, quid gravitas, quid frigus, quid humiditas, quid terra. Fac enim periculum, si potes & expone alicui hæc verba, quid sibi velint, & vide an non indoctior multo ac imperitior sit futurus. Equidem quid sit aquam ex fonte petere (Waßer aus dem Brunnen holen) illiteratæ mulierculæ per se intelligunt. Si vero ancillæ tuæ dicas, Mädgen gehe hin und hole einen Eymer voll von dem Element das schwer/ kalt und naß ist/ und das die gantze Erde ůmbgiebet und durchfließet/ Iouem iuro lapidem, eam, quid tibi velis, vix intellecturam. Et si perrexeris deinceps, & dixeris eidem, ich verstehe durch das Element einen einfachen Cörper / der aus gleichförmigen Theilen bestehet/ daraus die gemischten Dinge zu erst gezeuget / und davon sie zuletzt wider resolviret werden. Die Schwere nenne ich eine solche qualität die aus der Kälte ihren Ursprung hat und dadurch sich ein Cörper zu den Mittel-Punct der

der Erden neiget. Die Kälte ist eine von denen vornehmsten activen qualitäten / welche gleichförmige Dinge zusammen knüpffet. Durch die Näße bezeichne ich eine qualitatem patibilem, dadurch sich Cörper in seinen Grentzen / nicht gar zu gerne in frembden Revieren auffhalten läßet &c. si inquam indoctiori ancillæ vel alteri etiam Aristotelica philosophia non imbuto definitionem aquæ ita illustraveris, spondere non possum, an non te insanum sint inhabituri.

§. XX. Sed satis de Aristotelicis, ad EPICUREOS nunc accedimus. Qui licet aquam ex atomis inter se collidentibus & immutatis fieri putauerint, ut ex Diogene Laërtio *L. 10. p. 769.* didicimus; tamen hoc ipso suam satis profitentur ignorantiam, quod dicunt, *atomos, ex quibus corpora concreta constant, esse incomprehensibiles*; l. c. p. 734. *figuramque eorum & magnitudinem & grauitatem sensu percipi non posse, l. c. p. 735.* Ac licet *p. 776.* dicatur, aquæ particnlas interdum rotundas esse, interdum autem angulosas & acutas, hoc tamen non de atomis, sed particulis maioribus intelligendum est, quæ sub sensus cadunt. Adeoque ii operam & oleum perdunt, qui in fragmentis Epicuri definitionem aquæ inquirunt, tum quia sagacissimus hic Philosophus corporum aqueorum qualitates & ne-

xus

xus se nescire confessus est; tum quia vana axiomata & νομοθεσίας philosophicas in aliis reprehendit. Vid. Diog. Laert. p. 761. Quanquam Gassendum excusare vix possumus, qui hydrologiam Epicuri in opere suo vastissimo tam tacitus præteriit, ac si nihil prorsus de ea in Laertio, Lucretio & aliis extaret. Nam quanquam ea, quæ habet de aqua Lucretius l. 5. p. 156. vix digna lectu sunt; in epistolis tamen Epicuri, quas conseruauit Laertius, hinc inde quædam extant, quæ obseruari merentur ab eo, qui Philosophiam Epicuri ab interitu vindicare, & in lucem aspectumque proferre satagit.

§. XXI. Stoici quoque licet cum Thalete easdem fere tibias inflauerint, & ex aqua omnia surrexisse docuerint, vt patet ex Seneca l. 5. quæst. nat. c. 13. p. 770. hoc ipso tamen & suam prodiderunt ἀσοφίαν, quod eam definire non sunt ausi.

§. XXII. Ast vtinam & ii de aquæ natura tacuissent, qui alios a præiudiciis auctoritatis abducturi ad suum CARTESIVM manu ducere consueuerunt; tum enim fortassis mansissent Philosophi, & opinionem sapientiæ apud plerosque retinuissent: sed quia in vulgus sparserunt Eleusynia sua sacra & arcana mysteria; vereor profecto, ne clarissime & distinctissime ab ANTI-CARTESIANIS intelligatur

gatur, quam parum cum ſemet ipſis & phænomenis naturæ cohæreant. Sic autem hi homines naturam aquæ deſcribunt; quod ſit, *congeries particularum tertii Elementi, oblongarum, teretium, glabrarum & flexibilium instar anguillarum.* Ac licet perſuaſum ſibi habeant, ſe reperiſſe in hac hydrologia non quod pueri in faba; tamen quia vel ipſo Carteſio iudice Part. I. princip. §. *prudentia eſt, nunquam nimis fidere iis qui nos vel ſemel deceperunt*, vtile erit fortaſsis eandem pro dubia & falſa habuiſſe aliquantisper, quia Pyrologiam & Aërologiam Carteſii magis fallere & falli quam ſenſus ipſos deprehendimus.

§. XXIII. Primum autem hoc videntur loqui lapides, quod aqua congeries particularum tertii elementi dicitur. Cum enim teſte Carteſio, *c. 3. Meteor. p. 135.* & ipſa experientia ſuffragante, particulæ aqueæ ſint pellucidæ; particulæ autem tertii elementi iuxta eiusdem *Part. 3. princ. §. 52. p. 54* non ſint pellucidæ, non quidem poſſum diſpicere, qui illa ex tertii elementi particulis congeſta eſſe queat. Nam quod obtendere ſolent atque dicere, aquam reddi pellucidam a globulis ſecundi Elementi, quæ circa eius partes undique ferantur; id tam putidum eſt & ieiunum, ut horum Philoſophorum non miſereatur amplius, ſed pudeat. Quis enim ſpondebit

bit primum, partes aquæ non ita nexas esse, quin per illas materiæ subtilissimæ liber transitus pateat? Sane si recogitamus, aquam compressionem omnem respuere, particulas eius non distantes inter se & continuas concipere debemus. Esto tamen inter eas intercedere quædam spatiola, quæ elementum tertium impleant. Wie denn die Cartesianer das Feuer/ Lufft/ Waßer und Erde nicht anders concipiren/ als daß so genante Läuse und Flöhe zeug/ da die schwartzen Wöllenen Faden mit weißen Leinewands Fäden vermenget sind. Und meinen sie es wären die Particulæ secundi und tertii elementi allenthalben unter die particulas primi elementi gestreuet/ damit sie dieselbe bewegen und erleuchten möchten. Esto inquam, hoc ita se habere; tamen non omnis scrupulus exemtus nobis est. Primum enim non aquam, sed interfusum solummodo elementum tertium pellucidum esse sequeretur. Plane vt videmus in reticulis atque clathris interspersum quidem aërem, non autem lignum vel ferrum ipsum esse lucidum. Quod est contra experientiam & ipsius Cartesii confessionem qui c.5. Meteor. p. 135. aquæ ipsi pelluciditatẽ tribuit. Tum non dari potest ratio, cur non terræ etiam particulæ appareant pellucidæ, cum & iis elementum secundum est inter-

ſperſum. Et tandem ſequeretur, glaciem non poſſe eſſe pellucidam, quia ejus particulæ quieſcunt. Quod fieri non poſſet, ſi interfuſum ſibi haberet elementum ſecundum & tertium, hæc enim corpora, per quorum, interualla feruntur, agitare nunquam ceſſant iuxta hypotheſin Carteſii.

§. XXIV. Porro ſi aqua ex particulis tertii elementi conſtat, qui fit, vt tam facile moveatur, vt tam rapide decurrat per decliuia, vt tam celeriter a nobis dilatari queat? ſane tertium elementum eſt ad motum ineptiſſimum fatente Carteſio l. c. & quia aqua mouetur facillime, ad tertium elementum pertinere non poterit. Accedit quod particulæ elementi tertii non ſunt ſphæricæ iuxta Carteſium l. c. at enim particulas aqueas eſſe tales, tum ſenſus docet, qui guttulas exacte rotundas eſſe indicat, tum ratio, quæ iſtud ex facilitate motus non fruſtra colligit.

§. XXV. Equidem iam occlamare audio Carteſium ac dicere, particulas aqueas eſſe anguillarum inſtar, adeoque non ſphæricas, ſed oblongas, ſed teretes, ſed glabras & flexiles; aſt Hercules hic eſt pomarius. Præterquam enim quod hoc ſenſibus & rationi repugnare docuimus, argumenta queis hanc figuram anguillarem probare ſatagit Part. 2. Epiſt. 8. p. 24. tam ſunt ficulnea & puerilia

vt

vt enumeraſſe ea ſit refutaſſe. Quæſò enim te, Lector benevole, quæ hæc eſt colligendi ratio? *ſi aqua eſt magis fluida & difficilius coagulatur quam oleum, indicium eſt, hoc ex partibus ſibi inuicem facile cohærentibus, quales ſunt rami arborum, illam vero ex magis lubricis, quales ſunt eæ, quæ habent figuras anguillarum, conſtare; ſed experientia teſtatur hoc E. Item ſi panni aquæ madefacti facilius ſiccantur, quam qui oleo inuincti ſunt, indicium eſt, aquæ partes habere figuras anguillarum, quæ facillime panni poros egrediuntur, & partes olei habere figuras ramorum, quæ iisdem poris magis implicantur; ſed experientia teſtatur hoc. E. &c.* Profecto ſi nihil aliud ad demonſtrandam figuram particularum aquearum afferre poteſt Carteſius, nihil dico amplius, cauſa dicta eſt. Quippe eodem modo poſſet aliquis colligere, ſi aër magis eſt fluidus & difficilius cohæreſcit, quam aqua, indicium eſt, hanc ex partibus ſibi inuicem facile cohærentibus quales ſunt rami arborum iſtum vero ex magis lubricis, quales ſunt eæ quæ habent figuras anguillarum, conſtare. Experientia teſtatur hoc E. Imo ſi fas eſt ex effectu de cauſa & e poſteriori de priori ferre iudicium, particulæ aqueæ neque glabræ omnino neque teretes fortaſſis permanebunt. Sic enim ad modum Carteſii argumentamur: ſi aqua pertinaciter adhæreſcit

corporibus (quod in humectatione fieri conspicimus) & sordes expurgat feliciter, indicium est, eam non ex partibus glabris, quales vult esse Cartesius, sed ramosis potius & hamatis constare. Experientia testatur hoc. E. item si guttam aquæ exacte globosam esse comperimus, indicium est, eam ex particulis oblongis vix posse constare. Experientia testatur hoc. E. Taceo, alia quæ hic afferri possent, nisi iniquis spatiis excluderemur. Interim quia nec Hebræi, nec Ægyptii, nec Persæ, nec Sinenses, nec Græci, nec Latini, nec ulli alii Philosophi naturam aquæ explicare potuerunt; recte omnino coniecimus; Philosophos nescire, quid sit aqua: id quod erat demonstrandum.

OBSERVATIO V.

CONSIDERATIONES AD CLAVSVLAM ARTICVLI IV. PACIS RYSWICENSIS.

SVMMARIA.

Verba Clausulæ. Methodus dicendorum §. I. Obiectum Clausulæ remansio religionis Catholicæ. §. II. Tres illationes inde factæ §. III. Libertati religionis Euangelicæ per clausulam nihil detractum esse §. IV. Confirmatio dictorum. §. V. 1. quia verba clausulæ sunt strictissime accipienda

da §. *VI.* 2. *quia qui legem contractui dederunt, non clarius locuti sunt.* §. *VII.* 3. *quia verba articuli tertii pacis Ryswicensis id volunt.* §. *VIII.* 4. *quia Catholici status clausulam ipsimet stricte interpretati sunt* §. *IX.* 5. *imo & ipsi Galli* §. *X.* 6. *quia idem suadet vox remansionis* §. *XI.* 7. *arg. art.* 5. §. 12. *Instr. Pac. Monast.* §. *XII. Retinent tamen Catholici templa nouiter extructa & reditus de proprio a Rege Galliæ assignatos* §. *XIII. Subiectum Clausulæ sunt loca sic restituta.* §. *XIV. Quænam illa loca, & cur iura restituta hic non repetantur.* §. *XV. An & loca, quæ durante bello via facti occupata sunt?* §. *XVI. Clausulam non pertinere ad ducatum Bipontinum & Principatum Mompelgardensem.* §. *XVII. Neglectus specificationis singulorum locorum* §. *XVIII. Specificationis a Rege Christianissimo editæ quæ efficacia* §. *XIX. Restituta dicuntur, id est restituenda.* §. *XX. Restitutio præsupponit possessionem* §. *XXI. vnde eximuntur secundum articulum tertium quædam loca cis, & trans Rhenum* §. *XXII.* §. *XXIII. Modus remansionis comprehenditur verbis : in statu, quo nunc est.* §. *XXIV. Status quid hic denotet?* §. *XXV. Quid si Religio Catholica Euangelicam durante bello plane exturbauerit?* §. *XXVI. Non licere hic argumentari a dispositione pacis Westphalicæ,* §. *XXVII. vbi notantur interpretationes cauillatoriæ clausulæ* §. *XXVIII. An Catholica religio retinuerit*

etiam statum suum in aliis rebus, quam locis, §. *XXIX. & an in reditibus Ecclesiasticis?* §. *XXX. Obiectio contra negatiuam ex pace Westphalica?* §. *XXXI. Cui tripliciter respondetur* §. *XXXII. XXXIII. XXXIV. Accessit interpretatio ipsius Regis Galliae,* §. *XXXV. Idem de templis, scholis & similibus dicendum* §. *XXXVI. nisi de nouiter extructis.* §. *XXXVII. Idem dicendum de Iurisdictione Ecclesiastica in Protestantes* §. *XXXVIII. Idem de Edictis contra libertatem conscientiae* §. *XXXIX. contra potestatem Parentum in liberos* §. *XL. & Tutorum in pupillos,* §. *XLI. de baptizatione infantum,* §. *XLII. de conuentis* §. *XLIII. Quid* NVNC *in clausula denotet* §. *XLIV. Est 30. Octobr. 1697.* §. *XLV. Non tamen praecise intelligitur punctum noctis, vbi pax subscripta.* §. *XLVI. Quatenus ipsa Dies ciuilis intelligatur* §. *XLVII. XLVIII. Non confundendum esse statum Religionis Catholicae cum eius exercitio* §. *XLIX. nec actus continuos, cum discontinuis.* §. *L. In modo acquisitionis & amissionis nihil interesse.* §. *LI. Duplex genus amissionis,* §. *LII. Turbatio scilicet & prohibitio,* §. *LIII. & derelictio aut neglectus* §. *LIV. Abusus duplex in interpretatione clausulae cauendus.* §. *LV. Per statum quo nunc, nequaquam intelligi, quacunque a belli parte* §. *LVI. Non pertinere clausulam ad exercitium religionis Catholicae saltem pro praesidiis regiis,* §. *LVII. Clausulam non esse extendendam*

dam §. LVIII. sed strictissime accipiendam §. LIX. LX. LXI. Summa hactenus dictorum §. LXII. & vis totius clausulæ, §. LXIII. quæ non diutius obligat status Imperii, quam pax cum Gallis durat. §. LXIV.

§. I.

HÆc Clausula sic habet. *Religione tamen Catholica Romana in locis sic restitutis in statu, quo nunc est, remanente.* Ubi tria imprimis consideranda sunt I. Obiectum 2. Subiectum 3. Modus.

§. II. Obiectum est remansio Religionis Catholicæ. Sic enim ait Lex: *Religione tamen Catholica remanente.*

§. III. Ex his tria deduco 1. De Religione Euangelica hic nihil esse pactum 2. Remansionem Religionis Cathoiicæ, seu exercitii eius arguere violentum & illegitimum statum, quem ante pacem habuit. Adeoque 3 hunc solum statum hac pace nunc firmari, cui ante eam illis locis pace Westphalica interdictum fuerat.

§. IV. Cum igitur Catholicæ Religioni nihil quicquam datum sit vltra facultatem remansionis, siue exercitii liberi, secundum statum temporis conclusæ pacis, consequens est, libertati Religionis Euangelicæ cum annexis per Clausulam nihil detractum esse. In-

quo si conuenimus, de reliquis facile transactum iri confido.

§. V. Quæ nunc diximus, confirmantur sequentibus argumentis.

§. VI. Primo corrigit hæc lex aliquomodo pacem Westphalicam pro norma perpetua Status Religionum in Imperio toleratarum constitutam, cum nempe Religioni Catholicæ potestatem remansionis in iis locis facit, quam per dictam pacem non habebat: adeoque strictissime est accipienda, & ita interpretanda, in quantum per verba eorumque sensum fieri modo potest, ne per id res Euangelica incommodis oneretur. Id est, relinquenda aut restituenda sunt Euangelicis statibus & subditis omnia, sine quibus Catholica Religio remanere potest in locis ita restitutis, etsi retentione eorum commodiús forte ageret. In illis enim conuentionibus, & pactis, quæ onus continent, & necessitatem alteri parti adferunt patiendi aliquid, aut præstandi, quod pati per leges vel præstare ante hac non tenebatur, intra strictissimam verborum significationem subsistitur. Præcipue cùm non omnino liber ad talia consensus adhibitus est, sed extortus metu maioris mali: puta belli imminentis. Tunc enim sicvti quoque non licet restitutionem ob metum nobis incussum petere, at postulare saltem

tem licebit, ne pars aduersa verbis abutatur, quæ ipsa præscripsit, ad licentiam sensus adeo enormis, de quo nec mihi cogitatum erat, & quem initio producere alterum etiam puduit.

§. VII. Deinde si Clausula hac intentione in medium allata & peruicta est, vt non modo Religioni Catholicæ ibi locorum nouum statum afferat, sed & Euangelicæ vno opere suum pristinum tollat: id clarius vtique dicendum fuisset. Præsertim cum penes eos solos steterit, qui ab initio illam in scenam produxerunt, legem contractui, quam voluerunt, dicere, Nam Augustanæ Confessionis Statibus vel inuitis consentiendum in omnia fuit, quos a Catholicis derelictos Victor Gallus superbis minis, & intentato belli terrore facile consternauit. Imputent igitur sibi, quod non apertius locuti sunt, neque moleste ferant interpretationem contra se in dubiis fieri, postquam Augustanæ Confessionis Status coëgere ad præscripta verba contrahere.

§. VIII. Iuuat tertio hanc æquitatem Articulus III. Instrumenti pacis Ryswicensis, vbi pax Westphalica pro basi & fundamento nuperæ Pacis in sacris & profanis substrata est, executioni plene mandanda & posthac sarta tecta conseruanda, nisi quatenus nunc a-

liter *expresse* conuentum. Iam de Religione Catholica Romana conventum quidem certo modo, articulo sequenti. De Euangelica autem ibi ne verbum quidem. Manet itaque huius Status sub disciplina & Regula Pacis Westphalicæ, quatenus manere vna potest.

§. IX. Hanc iustitiam agnouere quarto ipsi Catholici, cum primo sermones in Comitiis Imperii de Clausula iniicerentur. Non modo enim testabantur publice dolorem suum, culpa iniquissimæ rei in Gallos reiecta; Verum etiam sub specie officii solari nos voluisse visi sunt modestia interpretationis, & vsus temperantia: dum vno omnes ore clamabant, paratos se scripto etiam cauere, clausulam; quæ nunc hos motus & turbas dat, ita intelligendam esse, ne nimium abeat a sanctione pacis Westphalicæ, per quam Status Religionis per totum Imperium compositus est. Vnde interpretationi maxime restringenti, modo per eam ipsa Clausula non eludatur, hic auscultandum esse, super ipsam rationem, nos etiam aduersariorum confessio docet.

§. X. Accedunt quinto Testimonia Gallorum, qui & Ryswici, & aliis locis, quoties mentio huius rei facta, verba dederunt, Regem suum hac Clausula Catholicæ quidem

Re-

Religioni voluisse prospectum, sed & Protestantium rebus nihil quicquam detractum cupere. Augustanæ Confessionis Consortes conseruaturos omnia, quæ ex Pace Religiosa habent; adeoque commodum, quod inde ad Catholicos redundaturum sit, rem esse parui momenti, nec paci Westphalicæ vllam afferre mutationem. Ita enim Plenipotentiarii Gallici Teste Protocollo Mediatorum Hagæ Comitum, die 14 Novembr. 1697. confecto diserte testati sunt, *que les changements dans les reunions etoient de peu de consequence, & ne donnoient aucune atteinte a la paix de Westphalie.*

§. XI. Sed & Sexto *remansio* Catholicæ religionis, quo verbo Clausula utitur, abunde indicat, exclusam in illis locis Euangelicam non esse, quæ iam per articulum III. & repetitam pacis Westphalicæ Sanctionem restituta fuerat, antequam Catholicæ cautum est, ut remanere possit. Pax igitur Westphalica basis & fundamentum Ryswicensis Religionem Euangelicam postliminio restituit, ubi per belli tempus exulabat. Clausula vero Catholicam iuxta stabiliuit.

§. XII. Confirmantur denique dicta nostra loco prorsus parallelo Instrumenti Pacis Westphalicæ art. 5. §. 12, vers. *Hoc tamen non obstante.* Cum enim ibi sancitum fuisset, ut

illi

illi statuum, siue Catholicorum, siue Augustanæ Confessioni addictorum Vasalli & Subditi, qui exercitcitium siue publicum siue priuatum suæ Religionis, a Religione Domini Territorii diuersum quacunque anni vigesimi quarti parte habuerunt, id etiam in posterum retinere cum annexis debeant, per hæc sola verba non existimatum est, templis eorum, fundationibus, Monasteriis, Hospitaliis, nec non eorum reditibus & accessionibus, quæ dicto tempore in potestate illorum constituta etiam fuere, & quatenus illa exercuerunt, satis fuisse cautum, nisi adjectum etiam esset, *nec minus maneant in possessione omnium templorum, &c.* Apparet ex hac lege non modo expresse distingui religionem ejusque exercitium a Templis, Monasteriis, reditibus, & similibus; Verum etiam a concessione unius ad alterum non valere argumentum, nisi conjuncta per legem ipsam æquo iure sint. Quare si olim Galli, & nunc Catholici nostri cum remansione suæ Religionis in locis restitutis templa etiam, monasteria, Scholas, ædes Pastorum, fundationes, reditus, & cætera, quæ forte tempore conclusæ pacis contra Religiosam & Westphalicam occupata ab illis & obsessa fuere, retenta deinceps in solidum etiam voluissent, non satis erat constituisse, ut Religio Catholica *re-*

ma

maneat: Sed addi oportuisset, maneant etiam in possessione templorum, &c. quatenus illa dicto tempore possederunt. Hoc autem, quia hic in Clausula omissum est, intra proprietatem verborum merito subsistimus, & pro non dictis tenemus, quæ expresse conventa non sunt. De obiectione, quæ ex statu, quo possessa sunt, affertur, suo loco dicemus.

§. XIII. Interea, si qua templa reunionum aut occupationis tempore Galli suis impensis extruxerunt, vel collapsa vetera, in quibus nullum religionis Euangelicæ exercitium a pace Westphalica huc usque fuit, restaurarunt; Item si quos reditus aut salaria Rex Christianissimus de proprio Pastoribus assignarit, erogaritque, in illis Catholicis relinquendis nulla erit inuidia. Cum quod hæc sola Plenipotentiarii Gallici initio exceperint: tum quia Euangelica Religio redire per pacem Ryswycensem postliminio in ea templa non potest, in quibus nullum statum exercitii Religionis suæ ante mutationem habuit. Tantum de objecto.

§. XIV. Subiectum, altera pars nostræ considerationis, *sunt loca sic restituta*. Hic primo quærendum, quænam sint illa loca? & deinde, quid sibi hæc verba velint, *in locis sic restitutis*.

§. XV.

§. XV. Loca sunt, *quæuis tam durante bello, & via facti, quam vnionum seu reunionum nomine occupata, quæ extra Alsaciam sita, & in indice reunionum a Legatione Gallica exhibito expressa sunt.* Hæc locutio quo impeditiori est sensu, eo maiori attentione indiget ad eruendam veritatem voluntatis paciscentium. Ante omnia illud probe obseruandum, cum restituuntur quæuis tam durante bello & via facti, quam vnionum, seu reunionum nomine occupata *loca & iura*, in clausula non repeti, nisi *loca sic restituta*, vbi Catholicæ Religioni remansionem stipulantur: iura itaque omissa, & eo ipso excepta. Hinc Religioni Catholicæ in iuribus restitutis nulla remansio, nullus status est reseruatus. Quæ noua est probatio, reditus Ecclesiasticos sub Clausula non comprehendi.

§. XVI. Deinde, & si duplex hic constituatur locorum genus, & quæ durante bello & via facti occupata sunt, & quæ vnionum seu reunionum nomine, quæritur, an in illis omnibus remanere possit Catholicæ Religionis exercitium? Equidem non ignoro, hic discrimen nonnullos facere, qui allegatis eam in rem actis Ryswicensibus constare contendunt, Clausulam ad primum genus locorum non pertinere, neque id a Gallis vnquam postulatum fuisse. Enimuero cum in

ipsis

ipsis Pacis Tabulis Articulo LV. vtrumque locorum genus coniungatur per verba, *in locis sic restitutis*, idcirco mihi nondum liquet, quo fundamento hæc satis nitatur distinctio, quanquam neque illis qui in contraria sunt opinione, per hæc quicquam præiudicatum velim. Quin paratum me promtumque offero in eandem sententiam, manibus pedibusque ire, ex quo hanc mentem paciscentium fuisse demonstratum fuerit. Id saltem bona fide confiteor, in ipsa Clausula me nihil inuenire; quo eiusmodi discrimen defendere ausim.

§. XVII. Quemadmodum vero hactenus Clausulam suo sensui & valori relinquimus; ita ex aduerso speramus, alios pari nobiscum æquitate & iure acturos, atque consensuros esse, excipi ab hac regula, & dispositioni Clausulæ, non subiici, quæ in articulis sequentibus excepta esse constat. Quare cum Ducatus Bipontinus & Principatus Mompelgardensis Ille art. LX. *liber & integer, cum omnibus Iuribus, quibus olim Comites Palatini & Duces Bipontini gauisi sunt, aut gaudere potuerunt, ad normam pacis Westphalicæ*: Hic vero Art. XIII. in pristinum *Statum, Iura & prærogatiuas* ita restitutus sit, *vt deinceps Principes* Wurtenbergici *frui libere omnibus eodem pertinentibus reditibus, tam secularibus, quam Ecclesiasticis possint*

sint, quibus ante pacem Neomagiensem fruebantur; ex eo concludimus, Clausulæ in his locis nullam esse auctoritatem, adeoque Regem Sueciæ, & Ducem Mompelgardensem ad tolerandam in his suis ditionibus Religionem Catholicam, nullo vinculo ex pace Ryswicensi obstringi. Quin iniuriam potius vtrique fieri, quando posthæc Galli contra claram literam dictorum articulorum nunc ibi præsidium Catholicæ Religioni ex Clausula petere volunt. Quod si præterea vis adhibetur peruincendis postulatis, iam ipsum etiam pacem impeti non est dubium, quanquam sæpe infirmior aduersus potentiorum vexationes exiguum solamen in iuris disceptatione inveniat. Rex Sueciæ super hæc omnia peculiari adhuc prærogatiua nititur. Quia enim in Clausulam nunquam consentit, & ob eam solam causam ratihabere pacem Ryswicensem constanter recusauit, ideoque illi in Ducatu Bipontino hæc lex dici non potuisset, etsi comprehensus ille quoad cetera sub clausula, neque exceptus fuisset, quod tamen factum.

§. XVIII. Singula loca illa sic restituta nominatim recensere nec huius est loci, neque in nostra potestate. Ad Executores Pacis hæc res pertinet, quam tanto tempore neglectam eo magis dolemus, quo maiori contem-

tu

tu auctoritatis & nominis Imperii hactenus multis in locis Gallis occasio data est, Status Imperii immissis militum cohortibus ad placitorum suorum obsequium paulatim assuefacere in conspectu Comitiorum, vbi quibus Religio, sine cura Reipublicæ, cordi est, rident ad hæc indigna, & maiestatem Imperii nescio cui male temperato zelo immolant.

§. XIX. Interea edidit Rex Christianissimus indicem seu Catalogum a se confectum omnium locorum, quibus Clausula suo arbitratu legem dicere existimat. Sed quicquid tandem de eo sit, id pro comperto tenemus, eiusmodi recensionem ab vna parte, altera inaudita, & forte etiam in detrimentum eius factam, pro norma seu indice tantæ litis dirimendæ esse vix posse, antequam rationibus paci Ryswicensis accommodatis, & libero in idem consensu transactum fuerit. Hoc munus esset Tractatuum de pace exequenda, cuius executio articulo III. stipulata quidem, sed hactenus prauis consiliis neglecta: cum omnino ad dignitatem, & existimationem pertinuisset, tam necessario studio in quo tranquillitas publica vertitur, admouere manum, & exulceratos Protestantium animos moderatæ saltem Clausulæ vsu delinire. Nunc tot annos abiecta huius rei cura desides sedemus, manibusque in sinu com-

plicatis, forſan etiam animo applaudente, e Comitiis proſpectamus, qua interim auctoritate Rex Galliæ in Imperio diuerſis locis Cæſarem in exequenda Clauſula agit.

§. XX. Loca, vbi Clauſula regnat, ſunt *ſic reſtituta*. Dicuntur autem reſtituta, non quod Gallia hæc, cum Tabula Pacis conficeretur, iam reſtituiſſet; Sed quod reſtitui poſt pacem conuento tempore ſine mora aut tergiverſatione certo debeant, itaque *loca reſtituta* hic idem ſignificant, ac reſtituenda, & id quidem extra dubium eſt poſitum.

§. XXI. Reſtitutio autem præſupponit poſſeſſionem: neque hoc loco eam, quæ animo retinetur: huius enim in bello nullus eſt vſus, ſed cui actu & corpore inſiſtimus. Nam quod ita poſſeſſum non eſt; de eo reſtituendo fruſtra promittitur.

§. XXII. Omnia igitur cis Rhenum loca quæ tempore pacis concluſæ in Gallorum poteſtate non fuerunt, ad Clauſulam non pertinent. Sed iuxta articulum III. reſtituenda ſunt ad normam pacis Weſtphalicæ in Sacris & profanis.

§. XXIII. Similiter quæ trans Rhenum recuperato Ebernburgo manibus hoſtium erepta fuere, cum Germanus miles illo tractu terrarum præſidia Gallica late depuliſſet, & vsque ad Wormatienſem Vrbem rerum potire-

tiretur, donec inita pax fuit, eadem ſorte gaudent, & ad Weſtphalicæ pacis dictamen reſtitui debent. Non enim omnia a Gallis per bellum occupata : ſed ea ſaltem, quæ ſic reſtituuntur, vti Articulo IV. conuentum eſt, ſtatum ſuum ex clauſula æſtimant; reliqua antiquum retinent.

§. XXIV. Tertium de quo quæritur, eſt *modus remanſionis*, his verbis comprehenſus: *in ſtatu quo nunc eſt.*

§. XXV. *Status* hic eſt conditio ſeu habitus rei, quem factum Hominis primo contra legem introduxit, poſtea autem lex tranquillitatis publicæ cauſa confirmauit. Incipit vſurpatione & mala fide, cum iniuria & læſione Status aliorum : & deſinit purgatis per legem vitiis in ius & debitum vſum. Talis Status cum origine ſua inter odioſa numeretur, ſunt enim odioſa quæ partem alteram onerant, aut de prioribus aliquid immutant, ideoque rurſus interpretatione eſt coërcendus, quantum id modo verba patiuntur, intra arctiſſimos huius vocis terminos. Nam manifeſta æquitas eſt in reſtrictione, vt onus vitietur, quo caſu aliquando etiam ſermo figuratus admittitur. Adde ; quod eius generis promiſſa, ad quæ metu maioris mali, puta belli minis, a potentiore compulſi ſumus, ſint ſtrictiſſimi iuris, neque vltra extendenda,

quam de quo verisimiliter promittens cogitauit, qui omnino nihil promittere maluisset. Cogitauit autem verisimiliter semper de eo, quod eum quam minime grauat.

§. XXVI. Secundum hæc dicitur Status de Catholica Religione, quem in locis restitutis obtinuit. Cum hoc Statu concurrit, Status Religionis Euangelicæ, auctoritate pacis Westphalicæ iisdem in locis iam pridem, stabilitus, & nunc pace Ryswicensi, per articulum III. restitutus. Neque dubium est, de locis, quibus vtraque sacra tempore conclusæ pacis Statum& exercitium habuerunt. Ita enim vnusquisque retinet, quod exercuit cum hac solum differentia, vt ea religio, quæ pace Westphalica in loco dominans fuit religio, eadem dignitate post Ryswicensem præ altera porro gaudeat: quamuis medio bello vela parumper contrahere. & insultibus inimicorum concedere debuerit. Sed quid dicendum, si occasione belli & inter turbas Catholica alteram exturbauit, occupata sede & arrepta dominatione? Mea sententia res fere eodem recidit. Illam enim Ryswicensis pax & Clausula defendit. Nam Status Catholicæ Religionis articulo IV. institutus, Statum Euangelicæ articulo III. iam plene, restitutum excludere non potest. Res eodem modo comparata est, sicuti in bello ciui-

li

li, cum inter motus animorum & certamina partium, factio seditiosorum Senatum occupauit, & mox reducta concordia placuit, vt factiosi in Senatu maneant Statu quo sunt. Tum enim antiqui Senatores per vim & arma Senatu moti pace non erunt curia exclusi, sed Senatorium Ordinem atque honores eo Statu recuperant, quo ante bellum fuere, imprimis, si eorum restitutio expresse pacta est.

§. XXVII. Obiicient hic forte exemplum Westphalicæ pacis, cuius dispositio de Statu vnius Religionis, quo anno vigesimo quarto fuit, est Status alterius exclusiua. Sed primo hac vti instantia Catholici non possunt, quorum diuersa circa hanc causam principio adeo nota sunt, vt si ad hominem hic disputare vellemus, aduersarios eorum plane armis vincere in promtu esset. Enimuero secundo non opus est, vt ad infirmum adeo præsidium confugiamus. Dispar hinc & inde ratio, eaque manifesta, si diuersos etiam producit iuris & æqui effectus, non est mirum. Scilicet pax Westphalica de Statu vtriusque Religionis tam Protestantium quam Catholicorum agit, & luculenter disponit: *Terminum restitutionis a quo esse diem primam Ianuarii anni 1624.* vel respectu subditorum, *quamuis huius anni partem:* respectu autem

rum, qui ex capite amnestiæ restituendi sunt *Statum quo ante destitutionem gauisi.* Item, *vnicum solumque huius transactionis fundamentum obseruantiæque futuræ* esse debere *habitam die prima Ianuarii anno 1624. possessionem, irritis prorsus exceptionibus, quæ ex introducto alicubi locorum exercitio intermistico, vel anterioribus, aut secutis pactis, generalibus aut specialibus &c. &c. vel aliis quibuscunque prætextibus & rationibus desumi possent.* Item, *Restitutionem esse faciendam plenarie & pure reductione ad Statum dicti anni dieique in omnibus facta.* Item subditos *exercitium siue publicum siue priuatum suæ Religionis retinere cum annexis,* QVATENVS *illa dicto anno exercuerunt aut exercita fuisse probare poterunt.* Item, *nec quemquam a quoquam vlla ratione turbandum.* Item, *Turbatos autem & quocunque modo destitutos sine vlla exceptione in eum statum, quo anno 1624. fuerunt, plenarie restituendos.* Item, *contra hanc transactionem vllumue eius articulum aut Clausulam nullas exceptiones, quocunque nomine aut prætextu excogitari poterunt, vnquam allegandos audiendos aut admittendos.* Denique in recessu Executionis hæc verba leguntur, daß in dem puncto restitutionis ex capite amnestiæ & grauaminum aus dem Instrumento pacis, und nach desselben gesetzter norma Terminorum a quo vniuersali ohnpartheyisch/ohn-

auff-

aufffhaltlich/ und ohne ansehung der Persohnen/ Religionen, Iurium petitorii, oder einiger andern exceptionen, wie sie Namen haben mögen/ nach dem bloßen facto possessionis, vsus, obseruantiæ, & exercitii die Casus zu fördersambster Richtigkeit zu befördern. Ex his locis & aliis pluribus, quæ in Tabulis Instrumenti pacis passim occurrunt, planissimum est, Statum vnius Religionis esse exclusiuum oppositi: nam id verborum sensus, & tot cautiones ac formulæ variæ, fere nunquam satis repetitæ, necessario euincunt. Cum ex aduerso Ryswicensis Clausula, de solo statu Religionis Catholicæ statuens huic soli prospexerit, relicto in ceteris statu Euangelicæ Religionis sub pacis Westphalicæ sanctione, prout ille ibi dispositus, & articulo pacis Ryswicensis III. denuo confirmatus fuit. Vt adeo Clausula, si quid multum operatur, Statum coëxercitii saltem introduxerit in iis locis, quibus Religio Catholica exulabat; Statum vero Euangelicæ Religionis non abrogarit.

§. XXVIII, Ex quo intelligimus, quam sibi ipsis non constent illi, qui commoditate temporum allecti inuertunt ista contra rectam rationem & omnes iudicii affectibus vacui leges. Quod enim non hoc est ludibrium, af-

firmare, Statum vnius Religionis pace Westphalica disertis verbis statui alterius oppositum, & tot Cautelarum atque terminorum selectibus contra omnem communionem munitum, Domino Territorii impedimento non esse, quo minus ille suam, ab exercitio Religionis subditorum publico diuersam, & Statu atque obseruantia anni decretorii exclusam Religionem subintroducere possit. Clausulam vero pacis Ryswicensis vix decem verba complexam, & de statu solius Catholicæ Religionis loquentem hoc ipsum impedimentum Religioni Euangelicæ restituendæ afferre, quæ per turbas & bella contra ius fasque pulsa fuit. Cum nemo partium studiis liber fateri non cogatur, conuerti argumentum, & vim illam exclusionis, quam nunc Clausula affectat, in Westphalicæ pacis dispositione quæri debere.

§. XXIX. Talis igitur Status Religionis Catholicæ est *in locis restitutis*. i. e. in prouinciis, vrbibus, pagis, vbi Catholica Religio hoc tempore viguit. Sed num illa Statum etiam in aliis rebus retinuerit, non adeo liquet.

§. XXX. Maxima quæstio est de Reditibus Ecclesiasticis. Scilicet, præsupponitur, pertinuisse reditus illos pace Westphalica ad Consortes Augustanæ Confessionis, eosque in quieta illorum possessione atque perceptio-

ptione fuisse, donec contra istam pacem deiecti ab aliis fuere, quibus emolumenta illa in prædam cessere. Quid igitur de his ststuendum? Videtur cardo omnis rei in eo verti: an Status Religionis Catholicæ, vti articulo IV. nuperæ pacis per clausulam constituitur, sit etiam Status in reditibus? posito, Catholicos interea iis reditibus incubuisse. Negandum id oppido est ex duabus imprimis rationibus. Vna: quod Clausula de locis tantum mentionem faciat, de reditibus ne verbum quidem; & altera, quia articulo IV. pacis Ryswicensis cum restituendorum fit mentio, Rex Galliæ Statibus Imperii restituit quæuis occupata loca & IVRA. Ad iura autem proprie pertinent reditus. Sed Catholica religio per Clausulam *in locis* saltem *sic restitutis*, non item *in iuribus*, Statum aliquem obtinuit. Iura igitur, & cum his etiam reditus relicta sunt sub pacis Westphalicæ lege, quam Ryswicensis pro basi & fundamento suo substernit, statim in Sacris & profanis plene executioni mandandam. Iuxta hæc convenire oportet, reditus illos, qui pace Westphalica Protestantibus expresse addicuntur, Clausula autem Ryswicensi cum locis sic restitutis *expresse* non coniunguntur, quin nunc potius loca & iura separantur, quæ paucis ante lineis, cum sermo de

restituendis secundum regulam pacis Westphalicæ fieret, coniuncta fuerant, penes dictos Protestantes manere debere.

§. XXXI. Sed forsan obiiciet hic aliquis, aliud esse Statum Religionis in locis, aliud, quo Statu Religio in locis illis esse possit: facile convenire, loca non esse reditus; sed absurdum non esse, Statum Religionis, qui tempore conclusæ pacis fuit, reditus etiam comprehendere. Exemplo pacis Westphalicæ, ubi Status anni decretorii non modo exercitio Religionis assignatur, verum etiam pro Regula est definiendi Ius & possessionem percipiendi reditus. Ad hæc respondeo.

§. XXXII. Primo, non existimo, illos hanc obiectionem serio facere, qui laudant & approbant, quæ ante annos aliquot in Palatinatu inferiori de reditibus Ecclesiasticis sunt decreta, cum abrogato Administratorum Magistratu Prouentus omnes conductoribus addicti. Inde diminuta Pastorum Evangelicorum Salaria, noua Catholicis constituta. Interea ne quicquam eius vnquam fieret, obstabant voluntates & suprema mandata Superiorum Electorum: Obstabat Instrumentum Pacis, & Status ille, quo ante motus Bohemicos administratio redituum fuit. Obstabat transactio Hallensis. Obstabant

bant denique promissa Catholicorum Electorum, cum proxime defuncti, tum eius, qui nunc rerum potitur. Tam vniuersali mutatione contra hæc omnia facta vbi nunc est status, quo mansisse res æquum & iustum erat?

§. XXXIII. Deinde est aliqua circa hanc rem inter pacis Westphalicæ sanctionem & Clausulam nostram differentia. Ibi certus *terminus restitutionis a quo* pro norma & regula perpetua ponitur omnium controuersiarum & grauaminum in Ecclesiasticis, aut quæ intuitu eorum in Politicis mutata sunt, Catholicos inter & Augustanæ Confessioni addictos vertentium, statuiturque restitutionem faciendam esse, plenarie & pure secundum illum terminum siue statum habitæ possessionis semper & vbique, nullis exceptionibus admissis. Hic solum de remansione Religionis Catholicæ siue eius exercitio in certis locis paucissima disponuntur. Ibi proventus atque reditus Ecclesiastici magnam partem grauaminum illorum componebant; Hic tota actione Tractatuum Ryswicensium de reditibus Ecclesiasticis, Protestantibus auferendis, & in vsum Catholicorum conuertendis, ne verbum quidem. Ibi solum & vnicum fundamentum Transactionis Westphalicæ est Status possessionis certo anno habitæ

bitæ. Hic idem fundamentum & basis substernitur pacis Ryswicensis, in sacris & profanis plene Executioni mandandæ, & posthac sartæ tectæ conseruandæ, nisi quatenus aliter EXPRESSE conuentum fuerit. Sed ratione redituum nihil expresse conuentum. Imo distincta potius & separata sunt *Iura a locis sic restitutis.* Res igitur omnis relicta est sub Westphalicæ pacis dispensatione.

§. XXXIV. Tertio, in dicta pace Westphalica expressa etiam fit mentio redituum, in quorum perceptione illi, quibus specia-tim cauetur, manere debent; in Clausula de eo altum silentium. Quarto denique pace Ryswicensi art. 46. restituuntur omnes vtriusque partis subditi ECCLESIASTICI & Seculares, Corpora, Vniuersitates, & Collegia non in honores modo, dignitates & beneficia, sed & in omnia iura mobilia & immobilia, census quoque & REDITVS, quibus ante bellum gaudebant, *non obstantibus vllis donationibus, concessionibus, alienationibus, declarationibus, confiscationibus, &c.* Vt adeo hæc ipsa pax disertis verbis hoc loco reditus Ecclesiasticos prioribus possessoribus restituat, neque vllas attendi velit mutationes belli tempore factas.

§. XXXV. Permouit hæc ex Status & iuris diuersitate resultans æquitas, omnium ocu-

lis

lis obuia ipſum adeo Regem Chriſtianiſſimum, ſtrinxitque licet cetera non vsquequaque cauſæ Proteſtantium æquum Iudicem, vt propediem agnouerit bonam fidem, & reditus a Clauſula exemerit, pollicitus, ſuis ſumtibus erogatum iri, quæ exercitio Catholicæ Religionis illic locorum permanſuræ ſufficere poſſunt.

§. XXXVI. De Templis, Scholis, Ædibus Paſtorum, & ſimilibus, ob rationis paritatem idem eſt habendum. Neque enim illa per Clauſulam expreſſe ſunt excepta, quod factum oportuiſſet: Neque Status Catholicæ Religionis, vel ejus exercitii in locis reſtitutis, ſtatus etiam eſt in templis & reliquis, quæ pace Weſtphalica Proteſtantium ſunt propria, atque eis per Ryſwicenſem art. III. & IV. reſtituta. Quoniam vero de Templis maxima inſtare videtur Diſceptatio, quæ vtraque pars ſibi vindicat; ideoque proxima Transactione diſpiciendum erit, quis Status Catholicæ Religionis in iis eſſe poterit. Sed quicunque tandem ille fuerit, potiores ſemper erunt in poſſesſione Euangelici, neque ab illis poſtulari quicquam cum ratione vltra poteſt, quam vt exercitium Catholicæ Religionis iuxta ſe patiantur, temporibus horisque ſibi non incommodis.

§. XXXVII. Qua occaſione repeto, quod ſu-

ſupra etiam n. 13. monitum eſt: Nimirum quæ templa Rex Chriſtianisſimus nova extruxit, aut vetera collapſa, & ab omni cultu vacua reſtaurauit, atque de ſuo dotauit, illa cum fructibus ex liberalitate regia prouenientibus a Catholica Religione non repeti, quanquam Solum ante hæc Auguſtanæ Confesſionis Conſortibus forte proprium fuiſſet. In vacua enim poſſesſione religio Catholica hoc modo ſtatum ſibi comparauit.

§. XXXVIII. Quod Iurisdictionem Eccleſiaſticam attinet, etſi per tempora belli & reunionum, Gallorum indultu factoue exercita ea in Proteſtantes aliquomodo fuerit, dubitare tamen non debemus, quin per hanc pacem inſequutam iam iterum ſuſpenſa ſit. Statum enim quem adepta eſt Catholica Religio, ad ſui ſaltem exercitii libertatem habet; In alienam Religionem non prætendit. Quare hic §. 16. *Ius Diœceſanum*, *art*. 5. *Inſtr. pac. Weſtph.* integer & illibatus firmitudine ſua in omnibus perſiſtit.

§. XXXIX. Idem de libertate Conſcientiæ & mutandæ Religionis tenendum. Hæc libertas Conſcientiæ art. 5. §. 12. vers. *Placuit porro &c.* diſertis verbis cuique aſſeritur. Sed illam Rex Chriſtianiſſimus ſupplicio triremium aliisque indignis ſuppliciis in locis quibusdam, quæ tunc in poteſtate habebat, ſuſtu-

ſtulit, imprimis quando Catholicam Religionem ſemel amplexi, ſiue vi id fecerant, ſiue melioris auræ afflatu, pœnitere deinceps vellent. Nam in hos præcipue odio implacabili ſæuitur, tanquam Relapſos. Hoc tamen non obſtante reducta pace, iſta omnia edicta Regia ceſſent, & ad Weſtphalicam pacem recurritur: per quam Dominis Territorii iam non licet in præiudicium huius libertatis aliquid ſtatuere, quod Regi licuit, infracta ſemel illa pace, potentia & placito ſuo ſubnixo.

§. XL. Similiter Parentibus in educatione liberorum, ſiue ex loci conſuetudine, ſeu pactorum dotalium conditionibus, ſiue denique Patriæ poteſtatis iure hanc ſibi curam, vindicantibus, vis nulla aut impedimentum aliud inferri, multominus liberi eam ob cauſam parentum ſuorum inſpectioni ſubtrahi debent.

§. XLI. Ita etiam Tutoribus & Curatoribus eorumque fidei relinquendi ſunt Pupilli, quibus ſiue teſtamento, ſiue iure agnationis delata eſt Tutela. Quin, vbi dato Tutore opus, is ex ea religione conſtituendus, in qua nati ſunt Pupilli, eorumque Parentes deceſſere. Si quid Galli interea aliud ſtatuerunt, id exemplum facere non poteſt.

§. XLII. Præterea obtinuit quibusdam, in

in locis ſub imperio Gallorum, vt Parentes Auguſtanæ Confeſſioni addicti liberos ſuos baptizandos alio deferre prohiberentur, iuſſi Catholicorum Sacerdotum ope & ceremoniis vti. Id ipſum, quia libertatem Conſcientiæ coërcet, & paci Religioſæ repugnat, iam abrogatum iterum eſſe, rationi conſentaneum eſt.

§, XLIII. Accidit etiam vt Paſtores Evangelici vel exilio multarentur, vel pellerentut ſuo munere, qui ad ſacram cœnam admiſere conuerſos a Catholica Religione ad ſacra Auguſtanæ Confeſſionis. Hoc vero prorſus graue & indignum, cum non modo in poteſtate Paſtorum non ſit, eos, qui ſuo ſe cœtui aggregare, & eandem Religionem, quã pro vera & ſalutifera ipſe profitetur, amplecti expetunt, repellere aut eiicere; Verum etiam quia Sacerdotes Catholici & Ordines Religioſi ſuperos inferosque mouere, nihil dubitarent, ſi quis ad eos profugos repetere, aut ipſos Sacerdotes prohibere vellet, ne officio ſuo fungantur, & ſi nonnunquam de ſeruo corrupto aut fugitiuo occultato iuſtiſſima eſſet actio. Atqui toleranda eiusmodi licentiæ diſparitas eo minus, quod Inſtrumentum pacis VVeſtph. in omnibus, *æqualitatem exactam mutuamque* deſideret, *ita, vt quod vni parti iuſtum eſt, alteri quoque ſit iuſtum*

art.

art. 5. §. 1. De aliis hisce partibus idem esto iudicium.

§. XLIV. Tantum de Statu ipso. Terminus seu regula huius Status consistit in verbis sequentibus : *quo nunc est.* Ubi vis omnis recti sensus fere in hac vnica vocula, NVNC latet. Huius autem duplex esse interpretatio potest. Vna, quæ vsum Clausulæ legitimum docet, & altera, quæ abusum cavendum ostendit.

§. XLV. NVNC, est aduerbium temporis, quo tempus præsens significatur. Hoc itaque loco pro trigesima die Octobris, Styli noui, qua anno 1697. pax in Palatio Ryswicensi conclusa est, sumitur. Sed habet tamen id ipsum nonnihil ambiguitatis.

§. XLVI. Primo enim conclusa est & subscripta pax illa multa iam nocte. Quæritur ergo, an hoc punctum pro termino sit constitutum, vel tota dies ciuilis viginti quatuor horis constans ? Illud nemo facile dixerit, quem cavillarum pudet. Hac enim significatione vox illa effectum post se traheret a ratione alienum, & propemodum vim omnem Clausulæ tolleret, cum haud verisimile sit, multis in locis tam prouecta nocte sacra fuisse peracta.

§. XLVII. Deinde fac totam diem, & quidem, vti dixi, ciuilem, intelligi; nihilominus

nus aliquid dubii hic rursus occurrit. Dies trigesima Octobris anni 1697. fuit dies Mercurii, quo Sacra fieri apud Catholicos in pagis & locis non adeo celebribus insolitum est. Quis vero dixerit, hæc loca sub Clausula non comprehendi, si proxime præterita die Dominica, cultus diuinus ex more celebratus fuerit ?

§. XLVIII. Interea tamen dies illa necessario retinenda pro termino est, adeo, vt si quid pridie conclusæ pacis mutatum fuisset, Religio Catholica non esset amplius illo statu, quo præsidium in clausula habet: Quemadmodum si Protestantium Sacra ante diem primam Ianuarii anni vigesimi quarti, mutationem sunt passa, ex pace Westph. petere restitutionem non possunt.

§. XLIX. Quamobrem hac de re sic habe. Aliud est Status Religionis Catholicæ, aliud sunt eius actus, sicut aliud est Status belli, aliud actus bellici.

§. L. Deinde, sicuti cuiusque professionis aut scientiæ; ita etiam Religionis actus alii sunt continui, alii discontinui. Continui plerumque interni sunt, & habitu constant atque facultate ad exercendam artem, cum occasio adest & officium postulat. Discontinui sunt ipsum exercitium, seu actus imperati & externi, prout scholæ loquuntur, quos produ-

ducit habitus ſeu facultas pro exigentia rei, & qui, etſi peracta re ſtatis temporibus ceſſent; durare tamen & ius continuum in certo quodam ſtatu habere intelliguntur. Ita ſi conventum exempli gratia in aliqua ciuitate eſſet, vt ars medica, vel vt officinæ Pharmacopolarum in ſtatu maneant, quo certa die fuerunt, non illis modo per hoc cautum erit, qui conſtituta die fecere medicinam, aut pharmaca miſcuere; ſed & quibus id facere licuit, quamuis occaſio deerat. Eodem modo Religioni Catholicæ in locis reſtitutis ceſſatio officii aut functionum, tempore concluſæ pacis, fraudi eſſe non debet, quando ſtatum habuit & facultatem exercendi muneris.

§. LI. Quemadmodum autem nunc nihil refert, quo titulo Catholica Religio hunc ſtatum initio ſibi comparauit: modo edictis & mandatis Regis Chriſtianiſſimi in hoc incepto adiuta fuerit: ita etiam haud magis intereſt, qua ratione eundem interea amiſerit. Dummodo probari poſſit, circa illud tempus, de quo Clauſula loquitur, ſtatu ſuo excidiſſe.

§. LII. Amittitur autem Status vel turbatione & prohibitione exercitii; vel neglectu eiusdem & derelictione.

§. LIII. Primum fit, ſi forte Ptoteſtantes ante Clauſulæ conditæ tempus deiectione

 aut

aut expulsione partis aduersæ templorum suorum possessionem recuperarunt, alioue modo Catholicos prohibuerunt, ne in locis illis vacare cultui,&facere sacra solito ritu potuerint. De iure iniuriaue non magis quæritur, quam ante quæsitum fuit, cum harum rerum arbitrium Catholici sibi sumsere in violationem Westphalicæ pacis.

§. LIV. Neglectu & derelictione amissus intelligitur Status, cum per aliquod tempus omissum est religionis exercitium, antehac certis & statis diebus celebrari solitum. Nec valde refert, an prohibente aliquo destitum sit a faciendis sacris; an nemine prohibente. Nam si nemo intercessit aut prohibuit, templa autem per mensem aut annum clausa fuerint, neque aliud exercitium religionis viguerit, superueniente Clausula Religio Catholica, quæ sua culpa & pro animi sententia sui statum priorem dereliquit, sibi imputabit præreptam occasionem corrigendæ negligentiæ; Sin vero prohibentium verbis aut factis cessit atque destitit, eo magis Statum suum perdidisse certum est, cum hac ratione illi, qui sic prohibuerunt, suarum etiam rerum iuriumque possessionem recuperarint, in quibus eos deinceps non modo pax Westphalica, sed & Ryswicensis defendit.

§. LV. Hæc de vsu legitimo & recta inter-

terpretatione verborum, *Status, quo nunc*. Iam de abusu eius cauendo dispiciamus. Sed huius considerationis breuis est & plana demonstratio. Quæ enim interpretatio terminum illum vel restringit nimis, vel extendit, hoc vitio laborat; de ea, quæ restringit, iam actum est, cum horam & diem termini, *quo nunc*, non arctandam nimis esse monuimus. Par fere est ratio eius, quæ extendit, contrariorum enim contraria est natura & conditio.

§. LVI. Duo tamen sunt, quorum meminisse speciatim operæ pretium erit. Vnum est, quod inuenti quidam Cauillatores sint, qui haud erubuere, sine vlla non dicam modo ratione, sed & probabilitate affirmare, in Clausula *Statum quo nunc* idem significare, atque si dictum fuisset, *quacunque belli parte*. Cuius quidem sententiæ absurditatem qui saltem retulerit, refutat. Quis enim sanæ mentis huc vnquam ineptiarum venit, vt terminum aliquem a quo, aduerbio temporis præsentis, *nunc* designatum, & in articulo pacis concludendæ prolatum, pro toto tractu temporis præteriti belli decennalis explicare sit ausus?

§. LVII. Deinde quibus locis Catholica Religio Statum pro incolis & subditis non obtinuit, sed exercita tantum fuit apud præsidia regia, locis illis pro ratione belli imposi-

ta, quibus abductis vna cessauit, ibi restaurari deinde sub prætextu Clausulæ non potest. Hoc enim iudicio statim post pacem testato, abunde apparuit manendi facultatem non suppetere. Quid enim hoc circuitu opus, vt scilicet Religio Catholica conuasata omni sacra suppellectile, & cum præsidio militari emigrans, nec non Sacella templaque, quæ ante occupauerat, vacua destituens, nullo successore relicto, nullo indicio voluntatis redeundi aut retinendi possessionem edito, postquam longo tempore sine vllius querimonia exulauit, mox recuperatoribus Gallis, & vi armata affectare reditum vellet. Non secus ac si æquitatis pœniteret eos, cuius semel publicum testimonium ipso facto præbuere. Ex hac formula Dux Mompelgardensis causam suam iustissime agit contra eos, qui templum in Suburbio Ciuitatis Mompelgardensis occuparunt ad sacra ibi facienda. Quin & Kirnenses possessionem templi maioris iure non inferiore recte sibi vindicarent, nisi vbique locorum hodie hæc praua consuetudo inualuisset, vt supra omne ius fasque in eiusmodi occasionibus præualeret vis & fascinans feruor, cuius proprium est, nunquam æquo cum aliis iure vti velle.

§. LVIII. Denique cum iubeat Clausula Religionem Catholicam in statu remanere,

quo

quo tunc in locis restitutis reperta est, cum pax fieret, ideoque extendi eam vltra hunc Statum cum iniuria Protestantium satis prohibet: resultat hoc iterum cum ex natura & conditione legis correctoriæ; tum ex dispositione Instrumenti pacis Westphalicæ; denique etiam ex ipsa vi & significatione aduerbii temporis, NVNC.

§. LIX. Lex correctoria, sicuti in materia, vbi affirmatiue disponit, arctissimo sensu, qua per verba & mentem legis licet, accipitur; ita tacitam semper cautionem in se continet, mansura cætera, & statum rerum præsentem nullo prætextu, nullo iuris titulo, mutatum deinceps iri. Quod si præterea eiusmodi quid conuentione publica, & ex pacis formula constitutum est, talis promissionis sponsores omnes Compaciscentes esse debent, qui præstandam bona fide pacem receperunt.

§. LX. Id quod multo magis locum habet, cum lege anteriori pragmatica & fundamentali prohibitum vbique prorsus est, quod noua pactio iam certo modo permittit. Nam hac ratione termini strictissime sunt positi, quos mouere perpetua esse religio debet. Quin hoc etiam addo: Etsi forsan superiori lege dubia quædam circa sensum vnius alteriusue articuli fuerint, legem correctoriam superuenientem tollere ista aut explicare. Sic

 exem-

exempligratia esto, de Pacis Westph. dispositione circa ius reformandi, prout illud *art.* 5. §. 12. comprehensum & definitum est, inter Status vtriusque religionis non vsquequaque conuenire: sed de potestate introducendi coëxercitii obtentu iuris territorialis hactenus disceptatum fuisse. Certe in iis nunc locis, in quibus Clausulæ auctoritas regnat, hæc omnis disputatio antiquata est, postquam placuit, Catholicam Religionem mansuram in Statu, quo pace conclusa fuit. Quemadmodum si vniuersali lege per vniuersum Imperium id ipsum Imperator & Ordines tranquillitatis publicæ causa constitutum vellent, omnis protinus ansa superiori dubitationi præscinderetur. Cum alias sine eiusmodi effectu inanis foret & illusoria Cautio.

§. LXI. Sed planissimam rem omnem & conspicuam facit remansio Catholicæ Religionis præcise per aduerbium temporis NVNC definita & constricta. Iam enim incolumi pace Ryswicensi Statum illum mutare nemo potest. Nolumus enim suspicari in verbo *remanente* diuerticulum callide quæsitum esse. Nam *remanere* in omni Latio aliud nihil significat, quam *permanere, persistere, perseuerare, relinqui.* Quod infinitis auctoritatibus demonstrari posset, si opus foret.

§. LXII. Quare, vt in Compendium contra-

traham summam eorum, quæ hucusque dicta sunt, Clausula sensu constat sequenti: *Religione tamen Catholica Romana* i. e. libero exercitio Religionis Catholicæ Romanæ, pro subditis eiusdem Religionis: *in locis*, i. e. in vrbibus, villis, pagis, item templis a Gallia propriis sumptibus ædificatis & fundatis: *sic restitutis*: i. e. a Gallia tempore conclusæ pacis actualiter possessis, & post ratihabitam pacem restitutis, nec quoad punctumReligionis specialiter exceptis: *in Statu, quo nunc est.* i. e. (1) *in statu*, quem sibi habuit, saluo iuxta manente Statu Religionis Euangelicæ, (2) in Statu, quo tempore conclusæ pacis fuit, (3) in statu, qui omnis extensionis sub quocunque prætextu expers, (4) denique in Statu, cui mandata Gallorum, subditorum Catholicorum causa, initium præbuere: non eo qui pro tempore saltem in præsidiis militaribus ad exercitium Religionis erat accommodatus: *remanente*, i. e. saluis tamen templis Euangelicorum, Scholis, ædibus Pastorum, Hospitaliis, Reditibus & aliis iuribus. Itemque suspensa vtique, vt antea, iurisdictione Ecclesiastica, & actibus ab hac profluentibus.

§. LXIII. Ac proinde huius Clausulæ vis in eo omnis consistit, vt Religio Catholica Romana, in locis a Gallia restitutis, in quibus illi per pacem Religiosam & Westphalicam, nul-

nullus ſtatus erat, in certo ſtatu remaneat. Quæ igitur Catholica Religio ſua & propria dicere poteſt, ea retinet. Sed quæ aliorum ſunt, ex aliis transactionum aut pacificationum capitibus merito iis reſtituantur, qui armis poſſeſſione & uſu deturbati fuere.

§. LXIV. Et hæc omnia, quod pro Concluſione addo, non ultra obligant Status, quam hæc pax cum Gallis durat, donec inter Status ipſos Imperii ea de re etiam conventum fuerit. Neque enim Clauſula, de qua agitur, per id, quod art. IV. pacis Ryswicenſis intruſa eſt, etiam pars facta eſt pacis Religioſæ in Imperio velut conſtitutionis perpetuæ & legis fundamentalis. Sed omnis eius obligatio vertitur inter Imperium & Galliam, quam rupta pace diſſolui ſtatim oportet. Quæ Euangelicorum Statuum animi ſenſa eam circa rem ſint, ipſi ſatis declararunt Ratisbonæ ante pacem ratihabitam in communi voto. Ibi ſpondent, pacem ſe cum Gallia ſeruaturos in hoc etiam articulo. Sed negant propterea, ſe cum Catholicis ſtatibus obligationem contractam cupere, vel Clauſulam illam eo loco numeroque habituros, quo ipſis pax eſt religioſa atque Weſtphalica, vinculum concordiæ & norma perpetua Status Religionum in Imperio receptarum, tum reſtituendorum regula. Ex quibus tria con-

consequuntur. Unum, quod ex hac Clausula non sit proposita formula actionis secundum pacem religiosam, auff den Religions-Frieden. Alterum, quod Gallo ab hoc pacto discedente, seu contraria voluntate, seu rupta pace, omnia illis locis in eum statum redeant, quo ante pacem Ryswicensem esse debebant, & quo, cur interim non fuerint, per Clausulam impedita sunt. Et tertium, vt qui Status Imperii in Clausulam non consensere, iis etiam integra omnia in Imperio sint circa religionis negotium, ad præscriptum pacis Westphalicæ dirigenda.

§. LXV. Hinc intelligitur, quam longe alius sit Status, de quo Clausula agit, ab eo, quem Instrumentum pacis Westphalicæ constituit. Hic enim est legis nomen & formula actionis publicæ, secundum quam de possessione Statuque Religionum receptarum Ius dicitur. Ille vero fide unice nititur Gallis data. Galli igitur ex hoc promisso actionem qualem qualem habent. Inter Status ipsos Imperii ea super re nihil adhuc contractum est. Vno verbo. Status Imperii inter se in negotio religionis pacem aliam non habent, quam Westphalicam: cum Gallis etiam Ryswicensem.

OBS. VI.

OBSERVATIO VI.

MEDITATIO POLITICA DE RELIGIONE CATHOLICA ROMANA AD EANDEM CLAVSVLAM.

SVMMARIA.

Ipsos autores clausulæ appositione Romanæ ad religionem Catholicam fateri, præter Romanam & alias religiones Catholicas esse. §. I. Qui Catholicismo suo hodie superbiunt, similes videri veteribus Israelitis tempore Christi & Apostolorum §. II. Examinatur Cyrilli definitio Catholicismi. §. III. Consensum Catholicum & vnionem in Romanâ Ecclesia ipsi prærogativam non tribuere. §. IV. Dannhaueri definitio Catholicismi. §. V. Autoris confesio de Ecclesia Catholica §. VI. Conclusio §. VII.

§. I.

Corollarii loco obseruationem addere placet de Religione Catholica *Romana*, vti in Clausula appellatur: quippe res consideratione digna, quod Romanum nomen adiiciatur Catholicæ Religioni, velut demonstrationis causa, quod alio fini factum esse nequit, quam vt Religio Catholica Romana hac velut nota Characteristica a reliquis Religionibus distinguatur, quæ etsi Catholicæ etiam sint, non sunt tamen

men

men illa Romana Catholica. Absque hoc non intelligo, cui vſui ſit illa adjectio: quia quod vni ſoli competit & abſolute, ejusmodi deſignationibus non opus habet: neque magis commodus eſt ſenſus, ſi cum Religionem Catholicam Romanam dico, id mihi velim, ſolam Romanam eſſe Catholicam, quam ſi eadem ratione Francum Herbipolenſem aut Suevum Auguſtanum nominans negare deinde vellem, nulli præterquam Herbipolenſi vel Auguſtano Franci Sueuique appellationem conuenire: cum potius in diuerſa omnia ſana nos ratio abire iubeat. Eodem hercle modo, qui de Eccleſia ſeu Religione Catholica Romana verba facit, fatetur quidem, Romanam eſſe Catholicam; ſed negare cum ratione non poteſt, dari præter hanc alias etiam Catholicas Religiones. Nam ſi illa Romana ſola Catholica, quid opus addidiſſe Romanam? Cum ab vrbe Roma hoc ſit vocabulum, neque quicquid vbique eſt gentium aut populorum, in Romani nominis cenſum veniat. Sit itaque, ſi vtique ſic lubet, religio eorum, qui Romanum Pontificem ſectantur, religio Catholica. At ſtatim, dum *Romanam* addis, non potes non affirmare, eſſe in orbe Chriſtiano alias etiam Religiones, quæ hoc habent, vt ſint Catholicæ, quamuis a ſede Romana in quibusdam ſeceſſio-

ſionem fecerint,aut in ditionem eius nunquam venerint. Nam τὸ καθολικὸν complexum eſt quiddam ſeu aggregatum, partibus conſtans, cuius vnaquæque pars a toto nomen & appellationem genericam habet. Sicuti non Germanus tantum eſt Europæus, ſed & Gallus, & Italus: & ſic reliqui Populi. Quis Eccleſiæ Orientali detrahet Catholicæ nomen? quamquam deinde hæc non a Romana tantum ſeparata, ſed & inter ſe diverſas in ſectas diuiſa ſit, quarum ſingulæ iterum de Catholiciſmo illo participant. Nam in Colchide etiam ſiue Mingrelia, vbi tanta eſt de cætero tenebrarum ſpiſſitudo & ignorantia, vt populus vix conceptum aliquem de fide & Chriſtiana Religione retinuerit, memoria tamen & reuerentia τοῦ καθολικοῦ remanſit, & caput Cleri, ſeu Pontifex ſummus illius Religionis, ſe κατ' ἐξοχὴν Epiſcopum καθολικὸν vocat; idque nomen *Catholicos* in barbara etiam lingva ſupereſt. Vt proinde ringere haud quaquam debeant noſtri Catholici Romani, ſi alii Chriſtiani Populi, qui ab Eccleſia Romana ante duo circiter ſecula defecere, religionem ſuam ſordibus ſaltem & erroribus purgatam, Catholicam appellent: quæ, cum ante factam ſeceſſionem fuerit Catholica Romana, per Reformationem quidem & diſſidium Romana eſſe

deſiit

desiit : sed propterea Catholica esse non cessauit. Fuit enim procul dubio tempus, cum Religio Catholica iam erat, quando Ecclesia Romana nondum erat: Vnde sane non constat, qua ratione Pontifex Romanus de professione Catholicæ Religionis potuerit eiusmodi Monopolium facere, vt nemo eam toto Orbe exercere, nisi sub ejus auspiciis, possit.

§. II. Mihi sane, qui hodie Catholicismo suo tantopere gloriantur, & inanibus titulis superbiunt, eisque salutem suam quasi confidunt, non videntur absimiles illis veteribus Israëlitis, qui prærogatiua natalium ex semine Abrahami, credidere, nascendi sorte, non fide & obedientia Deo filios generari. Vnde fiducia in circumcisione ac Templo, legisque operibus, cum reliquorum omnium despicientia. Atqui contra inanes istos & gloriosos prolixe scribit Paulus, eosque monet, ne his externis nimium tribuant. Nam habuisse quidem circumcisionem, cui nunc Catholicismus vulgaris in Christianitate respondet, sua præcipua; Sed propterea non ad omnes, qui ex semine Abrahami fuere, pertinuisse etiam promissiones. Imo circumcisos illos ob incredulitatem ex olea effractos; alios vero ex præputio velut ab oleastro sumtos, oleæque contra naturam insitos

sitos participes factos esse pinguedinis ejus. *Non enim is, qui in manifesto Iudaeus est, nec quae in manifesto, in carne, circumcisio; Sed qui in occulto Iudaeus, & circumcisio cordis in spiritu non litera.* i.e. traditionibus, conciliis, decretis, canonibus, bullis. *Cuius laus non ex hominibus,* Clero illo Catholico, *sed ex Deo.* Et Abrahamus Pater Circumcisionis est non iis tantum, qui sunt ex circumcisione. i.e. ex gremio Ecclesiae Catholicae Romanae, sed omnibus illis, qui incedunt in vestigiis fidei Eius. Vis habere definitionem veri Christiani Catholici! Ecce iterum Paulus tibi sistit. *Omnis, qui confessus fuerit ore suo Dominum Iesum, & crediderit in corde suo, quod Deus ipsum resuscitauerit, ex mortuis, saluabitur.* Itemque Iohannes. *Omnis Spiritus qui confitetur Iesum Christum, qui in carne venit, ex Deo est.* De caetero nihil refert, siue sit in circumcisione, *Ecclesia Romana,* siue in praeputio, *alio Christianorum fidelium caetu.* Nam vt idem Apostolus 1. Cor. VII. 19. & 20. ait. *Circumcisio nihil est, & praeputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei: quilibet in ea vocatione maneto, in qua vocatus est.* Quo loco nos manifesto monet, ne in coetu aliquo veluti quadam praerogativa fiduciam nostram collocemus: Sed vnumquemque sic iubet incedere, quomodo eum vocauit Dominus. Idque plane ia-

iactantiam Ecclesiæ Romanæ confundit.

§. III. Apud Cyrillum alia est Catholicismi definitio. Καθολικὸν λέγεται, inquit, διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς, καὶ ἀνελλιπῶς ἅπαντα, εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα. *Catholicum vocatur cum omnia dogmata docentur vniversim & indesinenter, quæ nosse homines oportet.* Qua in definitione multa desiderari possunt. Primo enim agit hoc omnis Religio, vt quæ scitu necessaria hominibus existimat, & semper doceat, & vbique, quo potest, & indefatigabili studio. Deinde quid hoc est, διδάσκειν καθολικῶς? Hoc adverbium καθολικῶς ante Patres incognitum Græcis fuisse videtur, cuius vice erat καθ' ὅλου, quod significat vel *vniverse* & *generatim*, vel *summatim* & *breuiter*; unde phrasis καθ' ὅλου εἰπεῖν i. e. vt *vno verbo* aut *in genere* siue *in summa dicam*; quo sensu iterum Romana Religio ante alias nihil habet præcipui. Sin tertio ad potestatem docendi καθολικῶς, i.e. per omnem terram, attendas, quam Christum in cœlum abiturus Ecclesiæ suæ dedit, difficilis erit probatio, hanc soli Ecclesiæ Romanæ ita mancipatam, vt nemo nisi ductu eius & sub vexillis annuli piscatorii exercere eam legitime possit. Quod Christus Petro dixit, dixit & aliis Apostolis suis, imo Christianis

quibusvis, quos Spiritus Dei agit, cuius ſpirationes & opera quis impediet aut circumſcribet? cum flare ſoleat, vbi lubitum ipſi eſt: & quæ non hæc eſt vanitas imperandi in vno homine, vt imperio Orbem tenere velit; cuius nec limites nouit, nec cura in ſiugulis partibus ſufficit? Quota Africæ & Americæ pars adhuc incognita nobis & imperuia? In Terram vero Auſtralem, quæ etiam incognita dicitur, quis unquam peruenit? quamvis in tanta nauigantium frequentia omnes latebræ excutiantur cupidine lucri & quæſtus. Huc ſi quis delatus fuerit Chriſtianorum quodam miraculo, num prædicare Euangelium non poterit niſi a Pontifice miſſus ſit, & omnem Romanæ tabernæ mercaturam expoſuerit? Quarto ſi τὸ διδάσκειν καθολικῶς pro doctrina accipitur quaque late diſſeminata ac propagata; res adhuc ſit impeditior. Nam vt taceam Fccleſiam Orientalem, multo longius latiusque prouectam & amplificatam, cum Religione Chriſtiana ſic fere eſt comparatum, vt nihil inter res externas ſit, quod veritatem eius atque ingenuitatem magis demonſtret, quam paucitas credentium. Inde querelæ de exiguo grege & contempto. Neque de eo gloriatur Eccefia, quod potentes multos & illuſtres gremio foueat. Sed pauperum deſpectorum

rum

rumque est perfugium & solamen. Illis temporibus cum Christus ipse in Iudæa docuit, & post discessum eius Apostoli Hierosolymis congregati erant, Ecclesia Dei procul dubio erat Catholicissima, quam vna tamen domus continebat, antequam fidelium accessione auctior facta fuerit. Synedrii magni magna auctoritate interim cum Pontifice suo maximo omnem Terram Sanctam perstrepente. Et septem illi mille, qui Eliæ Prophetæ ævo ex vniverso populo Israelitico coram Idolo Baal, genua sua non inflexerunt, quid aliud quam Ecclesia Catholica? At quantilla portio inita ratione ad omnem gentem? Sed & occulta illa, hinc inde dispersa: nec nisi soli Deo nota, cuius membra se invicem ipsi non cognouere: Elias enim se solum relictum esse existimabat. Hæc typus sunt conditionis & fatorum, quæ Ecclesiam Catholicam semper manent, vt intelligamus, eam apud nullum visibilem cœtum quærendam esse. De sanctimonia vero & miraculis quid multa dicam? Nam quod ad illam attinet, si doctrinam inspicias, hæc tot humanis traditionibus quæstui faciendo inventis corrupta adeo est, vt nec rudera seruarit antiquæ integritatis simplicitatisque; Sin vitam consideres, plerorumque vbique adeo non est Catholica, vt vix Christiano nomine

sit digna. Sed imprimis nullibi securius solutiusque viuitur, quam in ipsa illa Urbe, vnde in omnia regimen. Sane non inficiamur, in Romana etiam Ecclesia fuisse viros, probitate morum & sanctitate conspicuos; sed vti vbique hæc rara iam est auis in terris, ita eorum paucitas tanto cœtui in vniuersum corruptissimis moribus prædito magnum nomen facere non potest; neque etiam desiderabis prorsus alibi, quæ suis eodem instituto vitæ ornamento sunt & exemplo. Miraculis autem quis multum fidet? Ex quo Christus Magister noster discipulos suos monuit, vt sibi ab his caveant, prædixitque fore, vt falsi etiam Prophetæ tanta eorum sint edituri, quibus & Electi, si fieri posset, seducerentur, vt nunc plurium miraculorum falsitatem taceam, quæ adeo manifesta est, vt bonos etiam viros, in ipso Romanæ Ecclesiæ gremio viuentes, eiusque auctoritatem in cœteris maximo feruore tuentes, piarum fraudum iam diu puduerit.

§. IV. Superest denique Consensus Catholicus & vnio in Romana Ecclesia. Sed hoc iterum cuiuis religioni vel sectæ proprium, a qua statim eiicitur, qui diuersa a communi formula docere vult. Habet enim vnaquæque Ecclesia visibilis Symbola sua, quibus velut regula quadam mechanica aut norma ortho-

thodoxam atque Catholicam fidem æſtimat & dimetitur, erroris ſtatim hæreſeosque damnatis illis, quorum animi ſenſus non conveniunt illi normæ; non aliter ac ſi menſura quædam eſſet rerum credendarum, qua commenſurari mathematice omnia poſſent. Et quod adhuc eſt ſtultius, dum in his vna eademque menſura non vtuntur homines, vnusquisque tamen cœtus genuinam & veram regulam ita ſibi ſuperbe vindicat, vt non ſua tantum placita, ſed & opiniones aliorum explorari ad illam & commenſurari velit. Vnde fit, vt vna pars ſemper alteri honorem & dignitatem *Catholici* Nominis detrahat, ſibique vnice aſſerat; cum interea nec omnes ſaluentur ab iſta aſcia edolati exaſciatique; neque damnentur omnes qui ad hanc regulam Lebiam amusſitati non ſunt, ſed ad aliam exſculpti. De cætero parvæ diſſenſiones in omni Eccleſia tolerantur aut diſſimulantur, vt Romani etiam hic nihil habeant, quod nobis exprobrent. Sane enim non ſunt de nihilo tot Controuerſiæ quæ inter Ordines religioſos maximo motu animorum vertuntur, vbi imprimis Ieſuitæ cum omnibus fere aliis ſerram contentionis perpetuo, & ſic Catholice trahunt.

§. V. Præterea relinquitur apud Cyrillum non exiguum dubium, quænam ſint il-

la omnia dogmata, hominibus cognitu necessaria. Aliæ enim Religiones plura, aliæ pauciora habent, ex quo iterum incertus Catholicismi character. Christus sane & Apostoli pauca valde creditu necessaria exegere, de quibus fere inter omnes constat. His si fide simplici staretur, non essent tot factiones in Christiano Orbe. Sed superuenere homines *insanientes circa quæstiones & logomachias*, qui, dum veritate destituebantur, existimabant tamen, *negotiationem esse pietatem*. Hi, quanto magis Paulus Timotheum suum ab his profanis inanibusque clamoribus, qui non nisi ad impietatem proficiunt, cauere iussit, ne scilicet de verbis certet pro eo, quod nihil prodest, sed saltem est *ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων*; tanto magis illi his concertationibus & litigiis incubuere, velut salus Christianæ rei hominum opinionibus niteretur, quod malum iam Patrum ætate ingrauescens sequiori tempore Theologia Scholastica adeo accendit, & in omnes velut contagio diuulgauit, vt tantæ calamitati mederi nemo nisi Deus nunc posse videatur.

§. VI. Inuenio apud alios, qui paulo modestius agunt, neque numero se extollunt, Catholicum definiri a sensu fidei communis, catholico Prophetarum & Apostolorum suffragio firmatæ, quo uno consensu catholicismum

mum proprie constare volunt. Ita Danhauerus *Hodosoph. Phœn. II.* Enim vero inter tot opinionum æstus, dum singuli suffragia Prophetarum & Apostolorum diuersis interpretationibus in sua castra trahunt, neque est, qui dirimere litem inter vtrasque, cum auctoritate humana potest, irasci profecto neutri æquum est, si ambo ex hoc fundamento *Catholici* Nominis gloriam captant. Cum sub hac larua apud suos quisque efficacius agat, quam centum aliis argumentis.

§. VII. Ego itaque, vt libere & breuiter dicam, quid de hac omni re sentiam, *Vnam, Veram, Sanctam, Catholicam Ecclesiam* non aliam noui, quam illam solam, quæ Christo efficacia spiritus sui ex omnibus Orbis partibus colligitur & fide vnitur. Sicuti autem hæc Ecclesia non cœtu aliquo visibili constat, nec Symbolis & Credendorum formulis, velut militari tessera vtitur; multo minus externo regimine hominumque decretis se patitur coërceri; Ita frustra sunt, qui mihi digito eam monstrare volunt, cum Mysticum sit corpus, cuius sæpe membra sibi inuicem etiam sint ignota, quamuis vnus spiritus omnes agat: vna fides viuificet: vnus amor dirigat: vna spes sustentet, & vnum Baptisma internum purget & sanctificet. De hac Ec-

clesia Catholica, vnice verum est, quod de alia nulla dici potest, non modo extra eam non esse salutem; sed neque damnationem in illa. Hæc multos ex omnibus cœtibus gremio suo fouet, iisque post exantlatos labores exsoluet stipendia peracta militia, quos cœtus illi, sed imprimis Romana Ecclesia, pro degeneribus & abdicatis liberis habent. Hæc nec Sectas facit, nec factiones, sed omnes materno recipit sinu, qui simplicitate fidei, certa promissorum fiducia, & religiosa nouæ legis custodia vitam transigunt. Cum ex aduerso altera religio, intellectus & rationis corruptæ peior proles carnis cupiditatibus accommodata: atque ex contentionibus suscepta, totaque, in omnia statim exardescat & impetum faciat, quæ ad Decreta eius atque imperia fasces non submittunt, aut eadem persona Bachanalia non celebrant.

§. VIII. Atque adeo si cui visibili Christianorum cætui licet nomen assumere Catholicæ Ecclesiæ vel Religionis, cœtus alii ab hoc ipso prohiberi non possunt, cum omnes a communi Matre idem ius ciuitatis aut familiæ habeant. Quod si nonnulli hoc se titulo abstinent, seu propria modestia id fiat, seu aduersariorum iniqua turbatione, qui velut præscripsisse hanc prærogatiuam sibi videntur, sciendum est, nec silentium meum, neque

que aliorum impudentiam & ambitum veritati posse præiudicium facere, contra quam nulla vllius temporis valet præscriptio.

OBSERVATIO VII.
ACTA CVM D. IOHANNE STOSSELIO.

SVMMARIA.

INtentio huius obseruationis §. I. Oswaldi Crellii prima Epistola ad Iohannem Cornicelium de tentatione Stösselii. §. II. Epistola eiusdem secunda ad eundem, de Stösselii tentatione secunda. §. III. Epistola eiusdem ad Concionatores Aulicos Electorales de vlteriore statu morbi & tentationis Stösselii. §. IV. Relatio disputationis Stösselii cum D. Zacharia Starkio. §. V. Crellii Epistola secunda ad concionatores Aulicos §. VI. Rescriptum Electorale ad Quæstorem de examinando Stösselio. §. VII. §. Responsio Stösselii ad quæstiones ipsi propositas excepta manu Crellii §. VIII. Eadem responsio excepta manu Quæstoris §. IX. Quæstiones proposita vxori Stösselii §. X. Crellii Epistola ad fratrem de morte Stösselii & vxoris eius §. XI.

§. I.

FVit Iohannes Stösselius seculo decimo quinto controuersiæ Syncretisticæ immixtus, cum partes Victorini Strigelii

 de-

defenderet, fuit etiam ab aduersariis Crypto-Caluinismi accusatus. Vnde varia eiusdem fuere fata. Fuit enim Superintendens Ienensis. Postea Iena profugus ab Electore Saxoniæ Pirnam vocatus est, vt ibi Superindententis officium gereret. Denique in arcem Senftenbergicam captiuus inde deductus mortem obiit, communi fabula sic referente, ac si desperatione de salute sua mortuus fuerit & se mancipium Satanæ dixerit. *Vid. Arnoldi Histor. Eccles. Part. II. lib. 16. cap. 29. §. 7. & 9.* Non ergo putamus iniucundum fore, si Lectori de Historia Ecclesiastica sollicito fragmentum actorum exhibeamus, quæ M. Oswaldus Crellius Pastor Senftenbergensis Anno 1576. collegit, communicatum nobiscum ab Amico quodam Dresdensi, cui publice eam ob rem debitas referimus gratias.

§. II. Primo extat prolixior Epistola, quam Crellius ad Ioh. Cornicælium Superintendentem suum de tentatione Stösselii scripsit. Ex qua id obserues velim, tentationem Stösselii in eo constitisse, quod putauerit, se blasphemiam commisisse, & propterea esse damnatum. Non ergo ob ita dictum Crypto Caluinismum, nec ob Synergismum tentationes sensit, sed quod putauerit, ex melancholia se blasphemum esse, vti postea cessante tentatio-

tione dixit: se per nouem dies semper in mente habuisse vocem blasphemiæ. Ipsa vero Epistola Crellii sic se habet;

S. Reuerende & Clarissime Vir, Domine & Patrone colende. Non historia tantum sacra atque Ethnicorum etiam scripta suppeditarit exempla innumera tristis illius; sed verissimæ tamen comminationis diuinæ Gen. 4. Nonne, si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus aderit peccatum tuum, vt habet vetus versio, quem locum D. Præceptor Philippus S. memoriæ ita solebat explicare: nonne si bene egeris, acceptus eris, sin autem male, peccatum tuum in foribus, hoc est, in loco admodum inquieto, vbi excitari facillime potest. quiescet, donec reuelabitur; Sed & hoc nostro seculo eiusmodi statuuntur diuinitus exempla, & quidem hoc in loco tale spectaculum diebus hisce vidimus in D. STOSSELIO, qui quo hactenus nomine mundo vniuerso innotuerit, notius est, quam vt opus sit, id a me commemorari. Cum autem statuam, id nequaquam celandum, ad T. R. cui loci huius inspectio est demandata, de hoc ipso duxi perscribendum esse aliquid siquidem, quæ dicta sunt ac facta hoc in casu persequi ac perscribere omnia, plane videam impossibile. Id quicquid erit R. T. in partem accipiet optimam, meque fideli consilio

suo

ſuo inſtituere non grauabitur.

Decubuit D. Stöſſelius ex febre quartana per ſeptimanas iam complures, eaque de cauſa non tantum plane contabuit, quoad corporis vires, ſed & acceſſit nuper ad corporis debilitatem ſummam inſomnia quædam, & ex hac ortus, (vt opinor) morbus melancholicus ſeu phreneticus. Ex quibus in Satanæ cribrationem ac tentationes acerrimas & periculoſiſſimas incidit. Hæſit etiam in his, quemadmodum ipſe nunc confeſſus eſt, per totos dies nouem, neque tamen per hos cuique de his manifeſtauit quicquam, præterquam coniugi ſuæ. Heſterno vero die, cum ex ſuo conclaui ad quæſtoris tum abſentis coniugem deſcendiſſet, ibique cogitabundus aliquandiu oberraſſet, ac verbum nullum eloqui voluiſſet, ipſa me vocari iuſſit. Acceſſi itaque, eumque ſalutatum compellaui, ſed nullum ab ipſo reſponſum in primo congreſſu impetrare potui: Tandem an me agnoſceret interrogaui? ad hæc cum annuiſſet viciſſim in hanc interrogationem erupit: agnoſcis etiam & me filium Satanæ? Ego in conſternatione ſumma, in quam ob triſtiſſimum hoc pronunciatum incidebam, fere quid reſpondendum eſſet non inueniebam. Sed recolligens me reſpondi tamen: me, quia baptiſatus eſſet, agnoſcere ipſum non Satanæ, ſed

ſed Dei filium, ſi peccata ſua agnoſcens & deplorans horum quæreret remiſſionem, eamque firma fide apprehendens ſibi applicaret. Tum vero ipſe telam prolixam exorſus de triſtiſſimo lapſu ſuo, in quem Diaboli impulſu per propriam carnis malitiam ac ſodalitium prauum eſſet præcipitatus, declamitare incepit de ſui damnatione, Iudæ ſeſe, Ario, atque aliis horum ſimilibus aſſimilans, iuſtoque Dei iudicio ſe abiici ac damnari dictitans, quod contra Deum ac Eccleſiam huius ac contra Magiſtratum peccaſſet blaſphemiæ peccato ſuo, peccato ad mortem, in quo nullam poſſet habere ſpem remiſſionis. His vero ipſis ego conſternatus magis, quam antea, cœpi tamen ipſi contradicere, atque ex verbo Dei eas ipſi propoſui conſolationes, de Dei miſericordia immenſa & infinita, de remiſſione peccatorum gratuita, de Sanguine filii Dei, emundante nos ab omni peccato, de Baptiſmo, de abſolutione, de Cœna Domini, deq; aliis pleriſque, quæ ad erigendos & conſolandos animos conſternatos, & metu iræ diuinæ ac damnationis æternæ anxios, non in me ipſo tantum, ſed & in aliis compluribus, in iis tamen cumprimis, ad capitalia qui condemnati fuere ſupplicia, expertus ſum eſſe efficaciſſima. Hortatus ſum etiam ipſum pluribus, vt exempli Pauli Apoſtoli, qui & ipſe ante

te conuersionem blasphemus fuit, & persecutor Christi, item Exemplo Petri, Dauidis & aliorum, quorum lapsus tristissimi fuerunt, non aspernaretur ministerium; sed audiret verbum in hoc annunciatum, amplecteretur illud, vteretur Sacramentis, atque Diaboli ignitis telis opponeret preces ardentes; sed surdo, quod dicitur, canebam per horas propemodum tres, semper mihi occinebat illud Esaiæ dictum Cap. I. Principes tui infideles, socii furum &c. Et illud Psalm. 50. Peccatori vero dixit Deus; quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum tuum per os tuum. Tu vero odisti disciplinam & proiecisti sermones meos retrorsum, si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, os tuum abundabat malitia, & lingua tua concinnabat dolos &c. Et ex his atque ex sexto denique capite Apocalypsis concludebat: se, quia quæ in dictis citatis dicuntur, fecisset, vas iræ, filium perditionis ac mancipium Diaboli esse; qui alios quidem docuerit, sed ipse reprobus fiat, qui quod etiam velit, preces tamen nullas dicere posset, in quem nihil eorum, de quibus dixissem, competat, licet de aliis verissima esse, ac certissima non dubitet. Esse enim Deum non tantum misericordem, sed & iustum, & esse hoc iudicium ipsius iustissimum, vt damnetur

&

& abiiciatur, qui blaſphemiæ peccato ſit pollutus. His ego rurſus oppoſui Pauli conuerſi exemplum, de quo eo ipſo pro concione aliquid dixeram ad Eccleſiolam noſtram, atque pulcherrimam eius exegeſin, quam ipſe Apoſtolus 1. Tim. I. ponit in ſequentibus verbis: Gratias ago ei, qui confortauit me in Chriſto Ieſu, Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimauit, ponens in miniſterio, qui prius blaſphemus fui & perſecutor & contumelioſus. Item ſuperabundauit autem gratia Domini noſtri cum fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Fidelis ſermo & omni acceptatione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum, ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem poteſtatem ad informationem eorum, qui credituri ſunt. Adiunxi his denuo alia quoque Exempla Davidis, Petri & aliorum. Et hoc Ioh. dictum 1. Ioh. II. filioli mei hæc ſcribo, vt non peccetis, ſed etſi quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed etiam totius mundi. Item Chriſti illud: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vi-

tam

tam æternam. Non enim misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt mundus salvetur per eum &c. Item non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Item venit filius hominis quærere & saluare, quod perierat. Cum quibus omnibus Symboli verba congruunt: qui propter nos homines & propter salutem nostram descendit de cœlis. In hæc exempla & dicta dulcissima, inq; alia his similia, vt intueretur, & his sese sustentaret, perque ea elideret ignita tela Diaboli mendacis, & homicidæ, ipsum sum hortatus. Ipse contra negauit, id in sua esse potestate, quod fides sit Dei donum, & ab ipso vtpote iustissimo non detur tam atroci peccato, blasphemia polluto. Ad hæc respondi verum quidem esse, quod donum Dei sit fides, sed tamen donari hanc & attribui per eam remissionem, peccatorum, non propter vllam dignitatem nostram, neque denegari propter vlla peccata nostra, quantumuis ea sint atrocia & multiplicia; dari autem ac donari non nisi audientibus, legentibus, meditantibus & amplectentibus verbum, iuxta Apostoli dictum: Fides ex auditu est, auditus per verbum. Rom. 10. & Christi Ioh. 6. qui ergo audit a patre & discit, hic venit ad me.

Secundum verbum itaque reuelatum dixi statuendum, ac pronunciandum esse de Deo erga

erga nos voluntate, non secundum speculationes de tabulis fatalibus Electorum, de nostra dignitate vel indignitate. Hoc quoque ipsi inculcaui compluribus, promissionem de remissione peccatorum vniuersalem esse, & non tantum remitti diuinitus ex gratuita misericordia omnia peccata, sed etiam remitti omnibus pœnitentiam agentibus, & fide hanc remissionem quærentibus & accipientibus, quædam innumerabilia id comprobant testimonia, quorum pleraque allegaui. Ex hac vniuersalitate, ne vel lapsum suum, quantumuis magnum peccatorem, & vel Iuda vel Ario vel aliis quibuscunque deteriorem excluderet, summopere rogaui, & vt pro impetranda remissione preces pias diceret, ea qua potui grauitate, admonui.

Quanquam autem id diu ab eo impetrare non potui, quod opponeret, Peccatores non exaudiri a Deo: & non permittere Diabolum mancipiis suis, dicturis item preces leuandas esse manus sanctas, id quod ipse facere non possit: Tamen cum responderem: eos tantum peccatores non exaudiri a Deo, qui perseuerant in impœnitentia, reliquos vero qui pœnitentiam agunt, exaudiri, idque rursus cum probarem Dauidis & aliorum exemplo, ac dicerem insuper de Diabolo hoc certissimum esse, quod impediret, si permit-

teretur diuinitus,precationem quam libentissime in omnibus hominibus, tanquam sibi maxime exitiosam, hominibus vero summopere salutarem; sed rugitus eius non esse hoc in casu audiendos, verbū veritatis ex sinu Dei veracissime prolatum per Filium vnigenitum,qui via est veritas & vita ipsa,audiendum esse, in quo nobis præcipitur: inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me, cui mandato diuino obtemperandum sit: cum item dicerem porro, requirere quidem Deum, vt manus leuemus sanctas,& acceptas Deo, sanctimoniam vt ita loquar, suam non ex dignitate nostra,sed ex plenitudine illius, quem habemus apud Deum Aduocatum interpellantem pro nobis,& ex primitiis Spiritus sancti, qui Spiritus est gratiæ, testimonium perhibens Spiritui nostro, nos filios esse Dei. Qui idem est Spiritus precum, tales in nobis motus excitans, qualis & ipse, & nos ad preces pias & sanctas impellens. Cum denique vna cum coniuge ac Quæstorissa exhortando ipsum obtunderem, vt oraret, impetraui tandem; vt recitaret voce sua, verba Symboli & orationis Dominicæ, quibus ego adiunxi precatiunculam Germanicam ex illo Ezcehielis dicto desumtam: Viuo ego, dicit Dominus nolo mortem peccatoris &c. Item cum signum

gnum datum esset, ea ipsa hora precandi pro pace, obtinuimus cohortationibus nostris, vt nobiscum recitaret precationem Germanicam: Erhalt uns Herr bey deinem Wort 2c.

Licet autem id faceret, tamen subiungebat semper, de esse sibi applicationem, se quidem iudicare, omnia, quæ dixissem, de nobis vera esse: Er dancke auch GOtt dafür / daß er sein Wort so reichlich und tröstlich hätte aufschreiben laßen/ er wolte es auch gerne für sich von ihme für wahr halten / es wolte aber in sein Hertz nicht/ drum solten wir für ihn bitten/ und GOtt anruffen / daß er das Licht des Glaubens in seinem Hertzen/ so gar verloschen/ gnädiglich wieder anzünden wolte / damit er seinem wahrhafftigen Worte auch möchte Glauben geben/ er wolte ietzund versuchen/ dieweil er sehr matt / ob er könte ruhen. Et ita in lectulum sese composuit ad quietem. Ego porro ipsi propheticum illud subieci: linum fumigans non extingues, calamum conquassatum non confringes; item vbi habitabit Dominus nisi in Spiritu contrito ac tremente sermones meos; item cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Hæc & alia similia dicta euidenter testari dixi, ipsum non abiectum, sed certo rece-

ptum iri, modo non patiatur, ſibi per Satanam excuti gladium verbi & piarum precationum, ſed hoc ipſo aduerſus eum vtatur, idque cum languido illo Patre faciat, Marci 9. his verbis; Credo Domine, ſed opem fer diffidentiæ meæ; & cum Apoſtolis, Domine auge nobis fidem; cum D. item Doctore Crucigero ſanctæ memoriæ; Credo Domine, fide quidem languida, ſed tamen fide. Hoc quam ſit neceſſarium intelligere ipſum poſſe vel ex ſolo illo Chriſti dicto, in quo inquit: Non dico quod ego rogaturus ſim Patrem pro vobis, quia ſcit Pater veſter &c. Petite & accipietis, pulſate & aperietur vobis; item ex altero illo: quanto magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum Sanctum petentibus.

Promiſi etiã, quemadmodum petiuiſſet, id quod ſingulis & vniuerſis de Apoſtolico alioqui etiam incumbat, me cum Eccleſiola noſtra & ſcholaſticis, ſerio & indeſinenter Deum inuocaturum pro fidei ſuæ incremento, proque ſalute animæ & corporis. Et ita dum ab ipſo diſceſſi circa veſperam eius diei, petiit a Quæſtoris coniuge, vt liberos ſuos adduceret, qui ſecum recitarent precationes ac decantarent cantiones ſacras. Id ita tum eſt factum, ſummo mane hodierni diei idem petiit, cumque liberis ac familia Quæſtoris precationes complures recitauit. Poſtea me

vo-

vocari iussit. Accessi denuo, atque alterum ex Collegis meis mecum duxi. Tum vero triumphabundus testatur, se Dei beneficio & auxilio in lucta ista & cribratione diabolica, in qua hæsisset integros dies nouem, superiorem fuisse, atque ex ea nunc esse eluctatum. Fatebatur etiam sese plurimum adiutum iis, quæ die præcedenti a me ipsi proposita fuissent, ex verbo Dei, sed exemplo Pauli conversi cum primis & illa eius declaratione dulcissima, quam ex 1. Tim. I. allegassem. Denn er hat zuvor des Worts blasphemia nicht können die 9. Tage über loß werden/und darüber hätte er den Herrn verlohren / und anders nicht gemeynet / denn er müste derhalben verlohren und verdamt seyn. Er hielte auch dafür/ da ich nicht wäre zu ihm kommen / und ihm aus GOttes Wort und S. Pauli Exempel so gewissen und beständigen Trost gewiesen/er hätte darunter müssen versincken/ und dahin gehen. Er habe zuvor nicht recht gewust/ was tentationes wären / was da wären dolores mortis, & pericula inferni, was da heissen in Paulo ira & furor Domini. Nun habe ers gelernet / und habe des Teuffels artificia recht kennen lernen / quibus primum extenuare solet peccata nostra, postea subinflet in ea, & ex parua scintillula ingens excitet incendium. Wenn ihm je-

jetzund einer hundert tausend fl. ja die gantze Welt bōthe/ er solte dieselben verdienen/ und noch eine solche cribrationem ausstehen/ so wolte er sagen / ich liesse dich verdammt werden/ mit deinem Gelde und Guthe. Ich dancke meinen treuen Gott / der mich seinen lieben Sohn/ den Herrn Jesum Christum / wieder hat lassen finden/ den halt ich auch für meinen Jesum/ welches mir dieße Tage über nicht ist müglichen gewesen/ aber es hat das der Teuffel auch zum Vortheil gehabt/ sagt er ferner/ quod quidem non aspernatus sum ministerium vestrum, sed tamen hoc ipso non sum vsus, habe mir solche Gedancken gemacht/ ich möchte euch etwa in Gefahr/ und mich selbsten/ in große Beschwehrung bringen / dieweil ich um Erklärung gen Hoffe suppliciret / ob ich zur Kirchen gehen möchte oder nicht/ und niemahls weder ja noch nein erlangen mögen. Diesen Vortheil will ich dem Teuffel immer lassen/ sagt er / cum expertus sim Deum per ministerium vestrum efficacem fuisse, will ichs in GOttes Nahmen wagen/ und wenn mir GOTT Stärcke und Krafft verleihet/ dem Teuffel zu Trotz auff künfftigen Sontag zur Kirche gehen/ und euer ministerium ehren/ ich hoffe es wird solches mir und euch ohne Gefahr seyn. His subiecit, quid mihi videretur? respondi: me nihil cer-

certi hac in re affirmare posse, sed me iudicare tamen, quia reliquis, quorum obligatio in publicum edita est, id liberum relinquitur, ipsum non admodum meo quidem iudicio peccaturum fuisse, si dudum id fecisset. Sed tamen me eo nomine alios superiores consulturum & significaturum, quid absque meo ac proprio suo periculo hoc in casu facere possit ac debeat. Ita post ardentem gratiarum actionem ad Deum & commendationem ministerii nostri, erga quod gratitudinem suam pluribus verbis pollicitus est, me cum Diacono tum dimisit, precibus nostris publicis ac priuatis sese commendans. Clementissimus Deus adsit ipsi, & hoc, quod contra Satanæ molitiones per potentiam verbi sui in ipso operari cœpit, clementer perficiat atque confirmet, & operetur in ipso porro contritionem & pœnitentiam ad salutem non pœnitendam.

Ad T. vero R. Vir Clariss. de tristissimo hoc casu propterea scribo, vt Reuerentia T. pro insigni sua pietate ac prudentia totam rem æstimet rectius & accuratius, ac suum fidele consilium mihi communicet, quid existimet porro faciendum aut intermittendum si absolutionem petat & ad sacram Synaxin accedere velit. Ego pro infantia mea iudico quidem iuxta præceptum Apostolicum,

infirmum in fide assumite, me ipsi denegare nec posse nec debere, quæ ex officio mihi & aliis ministris de mandato Christi incumbunt, si ea sibi impertiri serio petat, inque ipso signa veræ pœnitentiæ infallibilia existant. Sed tamen sine R. T. consilio & mandato non facile facturus quicquam, nisi summam id videro exigere necessitatem. Oro itaque debita cum subiectione & reuerentia, vt R. tua ad me diserte perscribat, quid hoc in casu sit faciendum, quid intermittendum, ac quo vti debeam processu, deinceps ne alicubi per infantiam meam impingam.

In eo R. T. lubens obtemperabo, iudicabo etiam summo me per id ipsum beneficio adfici, pro quo officiola mea qualiacunque vicissim defero, R. T. Deo clementissimo commendans.' Dabantur Senfftenbergæ 27. Ian. ao. 1576.

R. T.

S.

M. OSWALDVS CRELLIVS, ibidem Pastor.

Post Scripta.

Pressi has literas, Vir R. & Clariss. per hoc biduum, quia vidi vim morbi in Stösselio intendi, vt & de exitu s. Catastrophe simul aliquid

liquid ad R. T. perſcribere poſſem. Nunc vero denuo tentationes priores recurrunt, & ego iam eum accedo, vt rurſum cum eo congrediar. Cum vero nihil ſit, qui rigat, qui plantat, ſed ſolus Dominus, qui dat incrementum, toto hunc eundem oro pectore, vt ipſe S. S. ſuo mihi clementer adſit, & faciat, ne labor hic meus irritus ſit, in ipſo Domino factus. Tuam v. R. publicis ac priuatis precibus ſuis nos hoc in caſu iuuabit. Iterum valeat R. T. 28. Ian.

§. III. Sequitur alia Epiſtola Crellii ad eundem, ſed cui ipſe adſcripſerat, quod non fuerit transmiſſa. Deſcribit in ea nouam tentationem Stöſſelii cuius in poſtſcripto prioris Epiſtolæ fecerat mentionem. Confirmabit eadem obſeruationem, quam in paragrapho præcedente fecimus. Nullam tentationem ſenſit ob doctrinam ſuam Stöſſelius, ſed vt ipſe dixit: ob ingratitudinem in Deum, ob hypocriſin, qua ſemper aliud corde volutarit, quam docuerit, & ob neſcio quam captiuitatem Diaboli. Quin potius, ſi per id, quod ſe dixit corde volutaſſe intelligatur doctrina Reformatorum, per id vero, quod dicitur, docuiſſe doctrina Lutheranorum, fuiſſet tentatus, quod priorem doctrinam non liberè profeſſus fuiſſet. Ipſe etiam Crellius nunquam cum ipſo egit de dogma-

 tibus

tibus, aut eorum vllo verbo in tota actione meminit. Iam cape ipsam Epistolam:

QVemadmodum R. & Clariss. Vir Satan Spiritus est malitiosus & audax, qui licet semel atque iterum superatus non tamen prorsus cessat hominem impugnare atque impetere; Ita vidimus etiam Stöffelium ab eodem denuo attentari per tentationes illas acerrimas, ex quibus antea, iuuante Deo, vtcunque erat eluctatus. Cum enim (veluti ad calcem literarum proximarum id adieceram) ad ipsum 28. Ian. venissem, ipsumque in summa inuenissem tristitia & consternatione, ac qua de causa id fieret, interrogassem? Respondit: se causas mihi exposuisse antea. Et iterum in præsentia Quæstoris nostri, qui aliquandiu intererat colloquio nostro, ac Collegæ mei, Georgii Nusæ, argumenta commemorare incepit, quibus demonstrare conabatur, se esse vas iræ ac mancipium Diaboli. Ac primum quidem argumentabatur in hunc modum: Deus minatur peccatori pœnas Ps. 50. Ego sum peccator talis, quales ibi describuntur. Ergo hæreo merito in pœnis his, quæ me comprehenderunt. Respondi Maiorem esse veram, Deum minitari peccatoribus omnibus in impœnitentia perseuerantibus. Postea ad Minorem, licet

pec-

peccator talis, qualis ibi deſcribitur, vel eo etiam deterior eſſet ac maior, tamen debere ipſum pœnitentiam agere, & futurum, vt Clementiſſ. Deus culpam omnem auferat & vel pœnas vna cum hac auertat, vel certe easdem mitiget, quia fidelis ſit, qui neminem grauari ſinat ſupra vires, qui quod in ira ſuæ miſericordiæ immenſæ recordetur, & non faciat nobis ſecundum peccata noſtra, neque retribuat nobis ſecundum iniquitates noſtras, ſed ſit nobis propitius propter filium vnigenitum, cuius ſanguis emundat nos ab omni peccato. Ipſe viciſſim reſpondit: Eſt hoc ita omnino, **und ich will euch wohl ein ſtärckers ſagen**: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur ac viuat. Sed conſidera quæſo, quid ſibi velint hæc verba: Peccatori dixit Deus. Reſpondi: Si ex Ezechiele ſumis, intelligo de omnibus & ſingulis, qui ſunt peccatis polluti. Ipſe contra aiebat, me loqui contra conſcientiam, me longe intelligere melius. Ego vero hoc pernegaui & dixi, ſerias has eſſe preces meas, & aſſiduas, ne ducat me Dominus in tentationem, neue permittat, vt quid vel dicam vel faciam contra conſcientiam: Omnino ita me ſtatuere, quod de peccatoribus omnibus ſit veriſſimum vtrumque horum. I. quod omnia peccata qualiacunque illa ſint, ſiue atro-

cia

cia, siuè leuia, offendant Deum, iuxta Psalmi 4. dictum: non Deus volens iniquitatem tu es; & merentur pœnas temporales, iuxta Decalogi conclusionem, nisi fiat remissio. 2. quod remittantur peccata ex gratuita Dei misericordia; si pœnitentiam agant & convertantur. Ad hæc ille rursum opponebat: me loqui contra conscientiam, & non posse me omnia peccata iudicare paria, quia certo sciat, mihi non esse ignotum Christi dictum: Omne peccatum remittetur, etiam blasphemia, sed peccatum in S. S. non remittetur. Sed suum peccatum esse tale peccatum, propterea sibi nullam spem esse remissionis. Adiecit hoc etiam, me negare non posse, plurima iræ iustissimæ exempla diuinitus statuta esse, ideoque cum Deo iustissimo ita in ipso visum sit, me contradicere huic iusto Dei iudciio nihil quicquam posse, nec debere. Ad obiectionem hanc horrendam attonitus quasi aliquandiu conticui. Sed tandem hanc reperi responsionem; Me agnoscere Christi dictum, & iudicare hoc verissimum, perseuerantibus in finali impœnitentia seu desperatione, in reliquis vero non item. Porro vero quoad minorem, *mihi ignotum esse dixi, quæ habeat in se peccata tam atrocia, quæ nomine blasphemiæ ac peccati in S.S. intitularet. Ipse*

econtra, Tibi, inquit, credo equidem ea esse ignota, sed mihi notissima sunt, vtpote quem conscientia propria conuincit, de qua scis, qualis sit testis, accusat me Satan etiam argumentis hisce, quæ desumit non ex se ipso, sed ex verbo Dei. Subieci his, me in priori perseuerare proposito, nec non credere talibus ipsū peccatis pollutum esse, nisi ordine recenseat, quæ au3 qualia illa sint. Ipse vero indignabundus quæsiuit an enumerationem requirerem peccatorum omnium, & an veniret mihi in mentem Dauidicum illud: peccata quis intelligit? Respondi: me nequaquam enumerationem exigere Papisticam, sed cum tantopere peccatorum suorum conscientia angi, & Satanam hæc ipsa tantopere exagitare videam, me bono consilio (quanquam sciam, eum a cogitatione eorundem auocandum potius, quam ad hanc perducendum) inquisiuisse tamen de his, vt causa tentationum vera perspecta, tanto possit institui rectius deliberatio, de his vel leniendis per verbum Dei, vel plane, iuuante Deo, tollendis. Ad hæc ipse: cum bono studio te hanc interrogationem instituisse intelligam, fatebor equidem, quæ sint peccata ista, quæ ego *peccata duco in Sp. S.* horum est *Ingratitudo erga Deum.* Ego in tenebris, inquit, vixi Aegyptiis sub Papatu, & ex iis perductus sum pro

pro clementissima ipsius voluntate ad veram filii sui agnitionem, ornauit me etiam donis non contemnendis, sed fui ipsi ingratissimus. Respondi: Esse hoc peccatum ingens, sed quod habeat tamen commune fere cum omnibus hominibus, in quibus, proh dolor, ingratitudo sit maior, quam esse debebat. Sed malam ipsum sibi ipsi ac nobis texere consequentiam, si propter hanc ingtatitudinem, blasphemiæ nobis inurere velit crimen, aut persuadere nobis, nos pollutos esse propter eam ingratitudinem peccato in Sp. S. Hoc ipsum vero ne de se ipso pronunciaret, nisi haberet in se peccata alia maiora aut atrociora. Ad hæc respondit: Supra ingratitudinem in se fuisse *hypocrisin, qua semper aliud corde volutarit, quam docuerit.* Concessi ego facile, & hoc peccatum esse non postremum, sed tale tamen nequaquam, quod in agente pœnitentiam nomen mereatur vel blasphemiæ vel peccati in S. S. alioqui maximam generis humani partem propter peccatum hoc damnatum iri, siquidem peruersum sit cor hominis inde vsque a pueritia ac malitia tali repletum, vt nunquam facere possimus, quod nostri est officii, ea diligentia, qua debebamus. Monui ergo ipsum denuo, vt, nisi alia essent peccata atrociora in ipso, desisteret a concepta opinione, sibique reuocaret in men

tem

tem, quæ sæpius iam repetiuissem, de gratuita & vniuersali omnium peccatorum remissione. Cum responderet ad hæc: fuisse porro etiam in sese tertio loco *captiuitatem Diaboli.* Quid per hanc loquendi formam sibi vellet, dixi, me non intelligere. Ipse vero ita sese declarauit, nos ex effectibꝰ istis, qui secuti essent, & in quibus hæreret, coniicere posse, quā diceret Diaboli captiuitatem. Id quod tamen neque intellexi, neque adhuc intelligo, sed ænigmatis loco quædam ab initio feci, adhuc habeo. Ac nisi sese explicaret rectius, an alia haberet, quæ appellaret tam atroci nomine peccata, vel quænam intelligeret, per captiuitatem Diaboli, me non iudicare, hæc ipsa, quæ commemoraret, blasphemiæ nomine, multo minus nomine peccati in S.S. esse digna, si agat pœnitentiam & remissionem peccatorum petat. Denuo etiam in memoriam reuocaui Pauli conuersi exemplum, & hortatus sum, vt per id rursum sese erigeret, sed per ejus dulcissimam declarationem, cumprimis in qua Apostolus 1. Tim. I. expresse inquit, se quamuis blasphemum persecutorem & contumeliosum, tamen consecutum misericordiam, vt in se primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam & informationem, seu exemplum eorum, qui crediturí essent in ipso vitam æternam. His ipse

vi-

vicisſim oppoſuit, non eſſe, quod ſuum lapſum cum Paulino conferre velim, quia ingens ſit inter vtrumque diſcrimen, Paulum fuiſſe blaſphemum & contumelioſum ante conuerſionem, ſed ſtatim in ipſa conuerſione ac vel quam maxime poſthanc exeruiſſe ſeſe in ipſo fructus Spiritus, quos poſtea enumerauit in ſuis Epiſtolis hinc inde, eumque perſeueraſſe poſtea in militia conſcientiæ bonæ &c. Suum lapſum perpetratum poſt conuerſionem, & ſe nullos ſentire in ſe S. S. effectus ſeu fructus, contra vero Spiritus triſtitiæ in ſe ſe reperire aculeos. Inde me concludere poſſe, quod recte argumentatus fuerit atque argumentetur etiamnum, juſtum hoc Dei iudicium eſſe, vt condemnetur peccatis tantis pollutus, ac ſi non condemnaretur, Deum alioqui iuſtum & veracem futurum iniuſtum.

Ad hæc reſpondi, me illud diſcrimen, quod inter ſe & Paulum conſtituiſſet, nequaquam agnoſcere. Quia Deus velit peccatores pœnitentiam agentes quouis acceptare tempore; Monui etiam, vt cogitaret illud Lutheri dictum: Tota vita hominis debet eſſe pœnitentia. Et adieci, nequaquam ex ſenſu noſtro, ſed ex Dei verbo ſcripto iudicandum eſſe de ipſius erga nos voluntate, & vt maxime aliquod ex ſenſu faciendum ſit iudicium. Ante dies non multos exeruiſſe ſe-

ſe in corde eius fructus illos Spiritus Sancti, pacem, lætitiam gratiarum actionem, inuocationem, denique nihil ſequi, dixi, ex argumentatione, quam iterum propoſuiſſet, ſi pœnitentiam ageret & conuerteretur.

Ad hæc ille: quæ nuper accidiſſent, tantum fuiſſe ludificationes diabolicas, quibus fuerimus vtrinque decepti. Et me negare non poſſe, quod ſtatuta eſſent diuinitus exempla in vaſis iræ, vt in Pharaone, de quo dicitur, quod Dominus indurauerit cor ipſius, in Cain, Iuda, Saul, & aliis ſimilibus. His ſeſe eſſe annumerandum, quia decreuit Deus in ſe ſtatuere exemplum, iuſtitiæ & veritatis ſuæ immotæ. Ego contra dixi, me id negare non poſſe, ea quæ allegaſſet exempla iræ & iudicii diuini iuſtiſſimi erga finaliter impœnitentes ac deſperantes eſſe repræſentationem.. Monui, eſſe intelligendum, vt in memoriam ſibi reuocaret, quomodo Phraſin de indurato Pharaonis corde Præceptores noſtri explanare ſint ſoliti, de permiſſione videlicet tantum, non de coactione. Ideoque manifeſtum eſſe cauſam damnationis ac reiectionis ipſorum non in Deo, ſed in ipſis fuiſſe, quia in finali contemtu Dei, in impœnitentia & deſperatione permanſerunt & non egerunt pœnitentiam. Ille: & hoc ipſum in me videtis, iam ſumus in fine. Ego con-

tra vero: absit omen dicto, aiebam, dum spiras tu, non desinimus nos sperare ac confidere de Dei erga te misericordia, tuique receptione. Neque debes tu ipse etiam desperare, aut extollere peccata tua supra Dei misericordiam, quemadmodum Cain faciebat, alioqui respondeo tibi idem, quod ipsi Augustinus respondit: Mentiris Cain, maior est enim Dei misericordia, quam omnium hominum miseria. Exuberat enim gratia supra delictum, & conclusit Deus omnia sub peccatum, vt omnium misereatur. His ille magis sese intricari dixit, quam extricari, quia ea, quæ attulissem, vera sint de nobis & aliis, qui sunt organa salutaria Dei, qui in timore Dei bonam militemus militiam & pœnitentiam agamus; Et me negare non posse, quantumvis inculcem sæpe, promissiones de remissione peccatorum gratuitas esse, semper tamen addi his conditiones timoris Dei, pœnitentiæ, fidei, v. g. in illa omnium dulcissima promissione: viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris; item: Sic Deus dilexit mundum, vt omnis, qui credit in eum &c. & reliquis vniuersis. Ego vero respondi, me cupere ipsum extricatum; ac nihil exoptare magis, quam vt Deo dante & iuuante simus & fiamus organa salutaria, sed hærere proh dolor in nobis singulis ac vniuersis peccata mul-

ti-

tiplicia, pro quorum remisſione quotidie vota ardentia fundere cogeremur, & ita viuere in pœnitentia aſſidua. In his ergo, vt nobis ſeſe aſſimilaret, atque idem hoc nobiscum faceret, hortatus ſum. Ille viciſſim, da mihi, inquit, hoc, tu flagitas a me, quod in mea non eſt poteſtate, ſcis fidem Dei eſſe donum, & in his, qui ea donati ſunt, exerere ſeſe fructus eius. Ego vero cum eos in me non deprehendam, non poſſum nec debeo reprehendere iuſtiſſimum Dei iudicium, quo me condemnat, agens mecum non ſecundum miſericordiam, ſed ſecundum iuſtitiam ac veritatem ſuam. Ego contra me negare non poſſe confirmaui, fidem Dei donum eſſe, ſed donari non niſi audientibus & amplectentibus verbum, propterea ne gladium verbi ac precationem abiiceret, neue diaboli ignitis telis continuo ſuccumberet, denuo ſum hortatus. Verum eſſe, non poſſe nos id, quod a nobis requiritur, eo præſtare modo, quo debebamus, ſed requiri tamen aliquem in nobis conatum. Vt itaque nobis obtemperaret, & conaretur legere verbum & dicere precationes huiusmodi: Conuerte me Domine & conuertar, fer opem incredulitati meæ, ipſum adhortari non deſii; id ſi faceret, nihil nos dubitare, Deum clementiſſ. rurſus & in ipſo ſuam exerturum potentiam ad vi-

vificandum eum, qui iam videatur sibi hærere in mortis faucibus, pro misi etiam nos nostris precibus ipsi nequaquam defuturos. Ad hæc ipse annuens promisit, se libenter obtemperaturum & facturum, quod in ista imbecillitate possit, ac si perceperit postmodum aliquem pacis ac lætitiæ sensum, tum sese rursum in castra nostra descensurum. Rogauit etiam, vt precibus nostris priuatis ac publicis sese haberemus commendatum. Id polliciti sumus denuo, & ita tum ab ipso sumus digressi. Sub vesperam rursus ad eum veni, eumque ad huc reperi cogitabundum ac mœstissimum, & subinde iterantem, se iusto Dei iudicio comprehensum ac damnatum. Contradicenti mihi ex fundamentis prioribus de pœnitentia agenda, deque petenda remissione peccatorum per precationem ardentem, respondit se omnia, ad quæ hactenus fuissem eum adhortatus, quæ ipse vicissim pollicitus esset, fecisse, se multas easque dulcissimas consolationes ac promissiones diuinas cogitasse, recitasse psalmos ac precationes complures, **Es wolle aber in seinem Hertzen davon nichts hafften** / præponderare cogitationibus de misericordia cogitationes de iustitia & veritate Dei. Ego contra monui, vt cogitaret Propheticum illud: si moram fecerit Dominus, expecta eum, ve-

niens

niens veniet & non tardabit. Item cum ſedero in tenebris, Dominus erit lux mea. Item: ich will dem Herrn aushalten/ denn ich habe ihm geſündiget. Item Apoſtolicum illud: Wenn wir unſere Sünde bekennen/ iſt Gott getreu/ daß er uns dieſelbige vergebe/und erhöre uns/ wenn wir ihn anruffen nach ſeinem Willen. Hic interpellarunt ipſum coniunx cum Quæſtoriſſa, & quidem hæc ipſum monuit, vt ipſe ſibi reuocaret in mentem, wie er ſie und ander offtmahls ſo hertzlichen getröſtet/ damit ſoll er ſich ſelber ietzo auch tröſten. illa vero adiecit; ſo er nicht deme/ ſo von mir als Pfarrhern/ und andern frommen Chriſten ihm fürgeſaget würde/ Glauben geben wolte/ ſo wolten ſie ihme auch nicht mehr glauben; item es müſte alles das/ ſo er zuvor andern zu Troſt fürgeſagt/ nichtig und nicht wahr ſeyn/ welches er doch allezeit als Gottes wahrhafftiges Wort gerühmet hätte. Hierauf hat er geantwortet/liebes Annelein/es iſt wahr ich habe viel Leute mit dem wahrhafftigen Worte GOTTes getröſtet/ und was ich gegen denen geredet habe/ ihnen zum Troſt/ ſo wohl/ als der Herr Pfarr gegen mir thut/ſolches iſt die ewige unwandelbahre Wahrheit GOttes. 1. Deum beneficum & miſericordem, poſtea vero eſſe eundem veracem & iuſtum, deſſelben gerechten

und wahrhafften GOttes gerechtes Urtheil hätte ihn ergriffen/ darwieder er nicht sagen könte noch solte. Ego ipsum denuo monui, vt cogitaret, cominationes diuinas semper coniunctas cum conditione agendæ pœnitentiæ, ideoque vt de hac agenda cogitaret, hortatus sum. Respondit se non posse. Ego dixi: licet in nostra non sit potestate, requiri tamen conatum aliquem, drum solt er sich so wohl als er könte/ an das tröstliche Wort GOttes halten / und beten/ wir wolten dergleichen thun / und stünden in dem Gewißen Vertrauen / GOtt werde uns nicht vergebens lassen beten/ sondern uns nach seiner wahrhafftigen Zusage gewißlich erhören. Promisit se id facturum. Und wenn er einigen effectum S.S. würde in seinem Hertzen fühlen/ so wolte er sich alsdenn gerne wieder beneben uns zufrieden geben. Also habe ich dißmahl meinen Abschied genommen.

§. IV. Sequens Epistola Crellii ad Pastores Aulicos Electorales partim hactenus dicta breuiter repetit, partim quid vlterius in morbo illo Melancholico cum Stöffelio factum sit refert. Constat autem ex hac Epistola eum sententiam Caluini de Cœnæ sacramento etiam in ipso morbo melancholico defendisse, postea lectione libelli cuiusdam sententiam mox mutasse, quod posterius vti vix videtur

ve-

verosimile, reuera factum esse, sed Stösselium metu & tædio carceris eo esse adactum, ita suppeditat coniecturam, ac si totus iste morbus melancholicus, cum quo tentatio fuit coniuncta; fuerit effectus tyrannidis, quam Theologi Saxonici per brachium Electorale in Stösselio exercuerunt.

S Reverendi & Clarissimi Viri, Domini & Patroni colendi. Redundat in me ex morbo D. Stösselii melancholico laborum & molestiarum onus, cui ferendo in hac mea infantia me minime parem esse agnosco ingenue, etiam profiteor aliorum magis intelligentium & exercitatorum me indigere consilio & subjectionibus salutaribus. Ideoque statim post conversionis Pauli diem, quo primum ad Stösselium vocatus fui, ad D. M. Cornicælium, cujus inspectioni nostra Ecclesiola subiacet, perscripsi pluribus, in quibus hæsisset eo ipso die tentationibus de sui abiectione & damnatione, & quas desperabundæ ipsius disputationi opposuissem ex verbo Dei commonefactiones & consolationes, quomodo item sequenti die, Deo juvante, utcunque eluctatus esset Stösselius. Petii quoque reverenter & officiosè, ut suo me consilio instrueret, ac disertè præscriberet, quid porro mihi esset agendum in hoc casu tristissimo. Quo item Processu censeret

ret vtendum, si forte sacrosanctæ Cœnæ Dominicæ a me peteret communicationem. Cum vero D. Superintendens nihil rescripserit hactenus, sed tantum jusserit mihi nunciari, censere se ad Illustriss. & Clementiss. Electorem nostrum totum hoc negotium referendum esse, & vero sciam, Quæstorem nostrum fecisse hac in causa antea, quod sui est officii, & nihil dubitem, ipsum quoque nunc facturum similiter, duxi ego quoque mei esse officii, paucis ad V. R. referre, quo in statu ab eo tempore, quo ad D. Superintendentem de initiis scripsi res Stösselii fuerint, ac sint etiamnum, ut iis cognitis, R. V. vel suo fideli cousilio me non grauatim instruat, vel certe apud Illustriss. & Clementiss. Electorem nostrum Rescriptum impetrem tale, quo, quid in Cænæ sacrosanctæ administratione, si Stösselius eam petat, mihi agendum aut intermittendum sit, diserte mandetur. Vt autem, quod volo, expediam, quam breuissime sciat R. V. esse morbi istius in Stösselio, quem paululum ad se rediens, (id quod fit rarissime, & non durat ultra diem vnum vel alterum,) ipse appellare solet φρένεσιν s. Manian, qua Satan abutatur vices varias, & ita mirabiles, vt interdum in inferni sese & mortis doloribus ac terroribus hærere dicat, interdum vero iactitet, se in

in cœlo esse, ac nihil curare terrenum; Interdum vero plane cogitabundus in lectulo decumbens obmutescat quasi, ac nullum, nisi interrogatus, verbum proloquatur, nullum edat signum doloris ac debilitatis illius, quæ tamen in ipso est summa, tam quoad animi, quam quoad corporis vires.

Tum autem, cum de inferni ac mortis doloribus dicit, omnium difficillimos mihi facessere solet labores, quemadmodum die conuersionis Pauli factum esse testantur literæ meæ ad D. M. Cornicælium. Idem accidit 18. Ian. quo rursum acerrime contendit, se iusto Dei iudicio, vt filium iræ iam mancipatum Satanæ damnari, & abiici, quia blasphemia seu peccato in SS. pollutus esset. Idque comprobare studuit dictis Christi Matth. 12. Marc. 3. in quibus de blasphemia; deque peccato in S. S. loquitur, item Ps. 50. Peccatori dixit Deus &c. item: hæc fecisti & tacui, existimasti inique, quod similis ero tui, arguam te, & statuam contra faciem tuam, intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum & quando rapiat & non eripiat &c.

Ad hæc ego respondi, peccatum in S.S. non debere tribui homini adhuc in viuis existenti, & iudicandum de hoc tantum a posteriori. Confirmaui etiam, quantumuis magna ac horrenda peccata, remitti tamen

eadem omnibus, & remitti omnia agentibus pœnitentiam, & fide in Christum remissionem quærentibus. Et vt ab his desperabundis cogitationibus detraherem ipsum, dixi, nequaquam mihi sua peccata videri peccata in S. S. nisi aliis atrocioribus pollutus esset, quam iis de quibus mihi constaret. *Ibi* vero quibus peccatis pollutus esset, commemorauit ordine, vt primum nominaret Ingratitudinem; secundum hypocrisin, tertium captiuitatem Diaboli. Postremum eos, quos inde cernerem secutos effectus, seu fructus in quibus hæreret. Propter hæc itaque, nisi puniretur & abiiceretur diuinitus, concludebat Deum, alioqui veracem & iustum, futurũm iniustum. Addidit, & hoc me negare non posse, antea quoque diuinitus statuta esse iræ exempla in Saul, Iuda & aliis, & quidem de hoc expresse dicit: Satanas intrauit in eum. Item de Pharaone, quod Deus cor eius indurauerit. Respondi: peccata, quæ commemorasset, atrocia quidem esse, sed talia tamen nequaquam, quæ blasphemiæ nomine, multo minus nomine peccati in S. S. ducerem digna, quam diu ipse viuat, si scilicet ante obitum pœnitentiam agat & remissionem peccatorum quærat, ac consequatur fide. Causam vnicam ac propriissimam, propter quam dicimus Cain, Saul, Iudam, Pharaonem & similes vasa iræ, hanc fuisse & esse

esse, quod perseuerarunt, ac mortui in contemtu Dei, seu fremitu aduersus Deum & in impœnitentia ac desperatione finali: quod si non fecissent, sed ab his destitissent, & egissent pœnitentiam, futurum fuisse, vt & ipsi reciperentur. Quod enim de indurato Pharaonis corde dicitur, deq; aliis hisce loquendi modis, scire ipsum, quomodo sit intelligendum de permissione scilicet, non tam de coactione aliqua diuina seu de causa efficaci, quæ sit in Deo. Vt ergo & ipse pœnitentiam ageret, & in hac suorum peccatorum quæreret remissionem, & ne super Dei misericordiam immensam, infinitam & gratuitam suã exemplo Cain extolleret peccata, ipsum sum hortatus cum præmonitione hac, me alioqui responsurum ipsi, quod respondet Augustinus: Mentiris Cain, maior enim est Dei misericordia, quam omnium hominum miseria. Item concludit Deus omnia sub peccatum &c. Ad hæc obiecit ipse, se scire omnia illa, & statuere de me & aliis pœnitentiam agentibus & fide sibi beneficia Filii Dei applicantibus, verissima esse, de se non item, quia sit sine pœnitentia & fide, & nullos sentiat S. S. in sese esse effectus: subiecit etiam me flagitare, quæ non sint in potestate sua, dum cohorter ipsum ad agendam pœnitentiam. Respondi ego, cum vera esse fateatur, quæ dixissem prius, requiri & ab ipso, ne veritati repugnet, sed

ſed vt huic aſſentiatur, quia vera ſint, non de vno vel altero tantum, ſed de omnibus pœnitentiam agentibus, ac licet non ſit in noſtra poteſtate, quemadmodum dixerit, agere pœnitentiam, me credere tamen, Deum dare ac donare omnia iſta per verbum hoc audientibus, meditantibus, huic aſſentientibus. Et eſſe de voluntate Dei erga nos ſtatuendum, non ex ſenſu noſtro, ſed ex verbo ſcripto.

Porro Pauli conuerſi ipſi Exemplum ſubieci, quo ante dies tres ſeſe ex ſimilibus tentationibus retractum dictitaſſet; Eo vt nunc ſe quoque erigeret, atque id ſequeretur, petii. Ibi vero diſcrimen inter ſuum & Pauli lapſum tale voluit conſtituere: Paulum peccaſſe ante conuerſionem, ſed poſt eam militaſſe ipſum militiam bonam, curſum conſummaſſe; ſe vero peccatis iſtis irremiſſibilibus & mortalibus pollutum poſt conuerſionem, ideo ſe nullam amplius ex Pauli exemplo poſſe habere conſolationem. Reſpondi ego, me diſcrimen illud, quod inter ſe & Paulum conſtituiſſet, nequaquam agnoſcere, quia iudicem, omnia peccata in vtroque paria eſſe, primum quod Deum offendunt, & pœnas merentur, deinde vero quod ſine perſonarum reſpectu, aut temporis certi determinatione omnia remittuntur omnibus, quocunque tempore pœnitentiam agentibus iuxta dicta: viuo ego

go &c. item in quacunque die &c. item ſi peccata noſtra confitemur, fidelis &c. Ex hac vniuerſalitate ne ſeſe excludat cogitatione diſcriminis illius, ſed vt potius cogitaret, iuxta Lutheri dictum: totam hominis vitam oportere eſſe pœnitentiam; atque proinde conaretur aſſentiri verbo veritatis, & dicere nobiscum preces pro peccatorum remisſione, denuo admonui, confirmans futurum, vt exaudiretur. Id cum ſeſe facturum pollicitus eſſet, quanquam difficile ſibi ac pene imposſibile futurum adfirmaret, ita tamen ab eo diſceſſi. 29. Ian. rurſum ſe colligere cœpit; & edidit de ſua in Chriſtum fide confesſionem, allegans Apoſtolicum illud; non iam viuo ego, ſed qui viuit in me Chriſtus. item Pſ. 116. reuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapſu &c. Narrauit mihi etiam eo ipſo die de ſuis ſtudiis, quibus incubuiſſet per totum id tempus, quo in exilio apud nos vixit, quod videlicet ſcripſerit commentarios breues & dialecticos in omnes Pſalmos Dauidicos, & in omnes Pauli Epiſtolas, quos ad ſuos velit transmittere heredes, vt per eos, ſi digni iudicabuntur, per viros pios & doctos poſt obitum ſuum in lucem edantur. Petiit denique a me vt poſtero die re-

redirem ad audiendam confesſionem ſuam, & ad porrigendam Sacroſanctam Cœnam. Id promiſi me facturum certis conditionibus, quas tum indicaturus eſſem, ſi me curaret vocari. Verum non eſt hoc factum 30. Ian. quia iactitabat tum ſe in cœlo eſſe, cumque viſendi cauſa ad ipſum accederem cum Collegis non vocatus, indignabundus vt diſcederemus & non conturbaremus S. ſanctum, nobis præcepit.

Paulo melius excepit eodem die D. Zachariam Starck, qui & ipſe officii cauſa ad eum acceſſerat, ac diſputationem ipſi mouit ſatis contentioſam de Caluiniſmo, quem & defendere tum quodammodo nitebatur. 31. Ianuarii, cum ad valedicendum ipſum denuo acceſſiſſet D. Zacharias, pauca cum ipſo eſt locutus in ſententiam priorem; me ad colloquium & diſputationem conuocans, quod exiſtimaret colloquium pridianum habitum fuiſſe inter me & ipſum. Poſt diſceſſum Zachariæ curauit me vocari & propoſuit, ſe aliquanto fuiſſe die heſterno in diſputatione mecum habita vehementiorem: ſi velim quid hodie opponere, ſe futurum mitiorem. Reſpondi, me nunquam cum ipſo diſputaſſe de articulo cœnæ, ſed ſcire, me in hac cauſa ipſum diſputaſſe cum D. Zacharia Starck. Ad hortatus ſum etiam, vt abiectis iis, quæ tum co

conatus fuit defendere, permaneret in sententia & confessione nostrarum Ecclesiarum, cui subscripsisset, & pulcherrimis verbis declarasset tum, cum coniugi exhiberem coenam Dominicam. Respondit, sibi obstare quædam, quæ in aliorum legisset scriptis. Ego exhibui ipsi latinum exemplar articulorum Torgensium, cui adiuncta est quæstio fratris mei D. Pauli Crellii, & vt vtrumque libellum perlegeret, rogaui, præterea promisi etiam, me cum ipso de iisdem collocuturum, nisi per lectionem hanc illa, de quibus diceret impedimenta, remota fuissent, id quod tamen certo futurum confiderem. Accepit libellum ac pollicitus est, se perlecturum, vtque paulo post rursum redirem, rogauit. Id cum fecissem eodem die cum altero ex Collegis, continuo atque ad eum veni, gratias mihi egit, pro exhibito libello & mihi confessus est, esse, quæ in eo contineantur, immotam veritatem diuinam, cui deinceps etiam abiectis omnibus impedimentis subscribere cogatur, licet antea & quidem nuper adeo huic contradixerit. Id cum audiuissem, quæsiui, an velit hanc suam confessionem paucis consignare in eo libello ipso, cumque annuisset, porrexi ei calamum, & ita scripsit tum illa suæ confessionis verba, quæ nunc in responsione ad

Illu-

Illuſtriſſ. & Clementiſſ. Electorem noſtrum repetiuit, ſuaque mihi voce, quemadmodum reliqua omnia dictitauit, & vt conſignarem ſuo nomine rogauit, Quæſtore noſtro præſente, quod diceret, ſeſe per languorem virium animi & corporis id præſtare non poſſe. Petiit etiam denuo, vt poſtero die redire & audire confeſſionem ſuam, ac ſacro ſanctam Cœnam ſibi exhibere vellem. Pollicitus hoc ipſum ſub conditione illa, ſi me curaret vocari, tum quoque ab eo diſceſſi.

Calendis Febr. non ſum vocatus, ideoque non acceſſi, ſed audiui ex aliis, quod eo ipſo die iactitauit rurſum, ſeſe in cœlo eſſe. Die purificationis Mariæ vocatus denuo poſt conciones habitas accedo cum Quæſtore, & tum rurſus pulcherrimam edidit confeſſionē de ſua in Chriſtum fide, quam velit ſumtione Cœnæ confirmare, quam primum ſenſerit, ſe eam ad rem per valetudinem idoneum. Sub veſperam accipit Quæſtor Reſcriptum illuſtre, mihique quid iuxta illud peragendum ſit demandat. Id exequor poſtero ſtatim die, ſed ſucceſſu non feliciſſimo, quia ab eo tempore per octiduum hoc mutabilis fuit in omnes propemodum horas, ſed tandem tamen eas impetraui rationes, quarum ſupra memini, & quas quæſtor nunc ad Illuſtrisſimum Electorem, vnà cum literis ſuis

trans-

transmittit. Quod si vero hæ ipsæ satis fecerint Illustrissimæ C. ipsius, habeo de quo gaudeam meo loco. Sin minus R. V. post hanc qualemcunque historiolæ huius enarrationem conclusionis loco reuerenter & officiose rogatas, volo, vt C. ipsius meam in negotio hoc tam arduo, & difficili excusare infantiam non dedignentur vt aliis magis idoneis & exercitatis inquisitio vlterior demandetur, mihi vero perscribatur, an & quomodo ipsi exhibere cœnam Dominicam debeam, si id forte imposterum a me petat. Vbi etiam iudicabunt R. V. alicubi me Stösselio desperabundo respondisse languidius vel frigidius, ac subiicere mihi poterunt, quemadmodum possunt, rectiora ac magis efficacia ad erigendam & consolandam conscientiam ipsius anxiam metu iræ diuinæ ac damnationis æternæ, iterum oro ea, qua debeo, reuerentia, vt V. R. de iis me monere atque instruere salutaribus consiliis non grauentur. Id eo peto diligentius, quo magis vereor ex coniecturis verisimilibus, ex tentationibus supra dictis Stösselium nondum plane esse eluctatum, licet nullam hactenus mihi de iis amplius mouerit disputationem, sed tristis semper & cogitabundus in lectulo recumbat, quemadmodum hoc per octiduum quotidie vidimus. Hæc si a R. V. præstita mihi fue-

rint, summo me sibi beneficio deuincient, pro quo gratitudinem sempiternam R. V. polliceor, atque idem mecum facturum certo scio Fratrem meum charissimum D. Paulum. Bene valeant. R. V. cum suis vniuersis. Dabantur Senftenbergæ 8. Febr. ao. 76.

R. V.

Studiosiss.
M. OSWALDVS CRELLIVS.
ibidem Pastor.

Reuerendis & Clarissimis Viris, pietate, virtute & doctrina excellentibus D. D. MARTINO MIRO, & D. M. GEORGIO LISTENIO docentibus Euangelium Domini nostri I. C. incorruptum in aula Illustriss. Ducis Sax. AVGVSTI ELECTORIS &c. Dnis Patronis suis reuerenter & officiose colendis &c.

§. V. In præcedenti Epistola Crellii ad Concionatores Aulicos Dresdenses mentio facta est disputationis, quam Stösselius cum D. Zacharia Starkio habuit. Et huius summam annotauerat Crellius, ex qua Lectori simul apparebit, tantum abesse vt in illo paroxysmo morbi Stössellus tentationes senserit ob violatam fidem in subscriptione Torgensi aut ob defensam sententiam Caluini, vt potius

tius illo adhuc tempore de veritate illius doctrinæ testatus fuerit,& hypocrisin suam præcedentem in aula,qua veritatem illius sententiæ occultauerit, non obscurè accusauerit, ac de tyrannide in subscriptione Torgensi adhibita fuerit conquestus. Ita vero retulit Starckius de disputatione illa:

Salutatus excepit me, gratias egit pro visitatione. Interrogatus de valetudine respondit, se non posse respondere, quia esset in paroxysmo. Interrogatus in quo? Resp. se febri quartana diu laborasse, & accessisse alia Symptomata, quibus pene confectus esset. Quæ illa essent? Eluctatus sum, inquit, & iam vici. Nunc sum in coelo,non viuo ego, sed viuit in me Christus, nec ego tecum loquor, sed Sp. S. per verbum Dei. Respondi lætari me toto pectore, & orare Deum optimum maximum, vt eum in vera fide & agnitione sui verbi conseruet. Tunc ipse: Ja recht. Cur ergo condemnatis nos? Cur vos Iuris consulti mittitis falcem in messem alienam. Ja wenn es ein casus wäre in politicis, könten wir euch zu arbitris und Richtern leyden / Si ego id facerem & vellem aliquid statuere in casibus sub legibus vestris comprehensis, quomodo exploderer? Es ist ein fein Ding. Ego D. D. me personam priuatam, nec condemnasse quempiam, nec etiam in-

intelligere, de qua condemnatione loqueretur, aut de quo? Respondit vos condemnatis me, & alios Caluinismi, quid mihi cum persona Caluini, vel aliorum. Ego veritatem verbi diuini approbo, quam approbauit, & ipse Lutherus. Et approbant omnia regna & ditiones extra has terras, lege consensum Lutheri & Heluetiorum cum eo in terris, da habt ihrs/ leset es/ und iudiciret alsdenn. Sic habes diuinam & humanam autoritatem; Si dicerem: hic habeo sententiam iuris scripti, ibi vero autoritatem alicuius Doctoris, vtra præferenda? Respondi si casus in se certus, non opus responsione, in dubiis nitimur sententiis Præceptorum & Doctorum approbantium veriora. Ille istam sententiam esse fundatam in verbo Dei mille locis, in tomis Lutheri, articulis Torgensibus & consensu cum Heluetis. Respondi, me consensum allegatum non vidisse, in Tomis Lutheri non legisse, quæ cum eius Catechesi pugnarent. Ille cur ergo sumis tibi iudicium de his, cum tantus sis asinus & non sis Theologus & hæc non legeris. Respondi me non Theologum sed Christianum, non mihi in mentem venire, Lutherum alibi contraria catechesi scripsisse. Ille: Catechesin? Quis eam reiicit, sed vos ante ponitis humana diuinis, contra Buceri & aliorum recte sentientium consensum.

ſum: Corpus Chriſti ſumi in Sacramenti fide, & referebat diſputationem Sturmii cum Marbachio Argentorati in præſentia Buceri Crellii & aliorum Miniſtrorum habitam, in qua Sturmium hæc verba ſcripſiſſe recenſebat, Carnem Chriſti eſſe cibum mentis non ventris. Quam ſententiam ab omnibus ſtatim acceptam aſſerebat & veram: ibi quæſiuit; habuitne Chriſtus verum corpus? Reſpondi quod ſic. Habeo ne ego verum corpus? Reſpondi: ita, quod hic in lecto iacet; ſed ego, inquit, anima ſum in cœlo. Ergo Chriſtus, **und wand ſich von mir/ weg pfui Schande/** Lutherum non legitis & condemnatis, aut ſi legiſſe vultis, reiicitis doctrinalia, & retinetis in quibus pugnat & dimicat cum aduerſariis. Ego D. D. ſed & tua ſententia cum Lutheri & noſtra congruit, vt patet ex ſubſcriptione Torgenſi. Ille: **ja ein fein Ding mit der** ſubſcriptione Torgenſi, quæ vi & metu eſt extorta, **ihr wiſſet nicht/ wie man mit uns iſt umgangen.** Ego: Hoc mihi & aliis ignotum, vine extorta ſit, vel ſponte facta, hanc primam eſſe declarationem, quam nunc audirem. Ille: qui credit in filium habet vitam æternam. His habes ſummam meæ confeſſionis. Ego nunc non ſum amplius Petrus in aula, ſed Petrus conuerſus, **Solt ihn zufrieden laſſen/ ob ich was mehr hätte/ wo nicht**

so hätte ich meinen Bescheid. Et iussit me aliquoties discedere &c.

§. VI. In sequenti Epistola sollicitat Crellius responsum ad præcedentes literas ab iisdem Concionatoribus Aulicis, & breuiter narrat, in quo statu sit adhuc Stöffelius.

S. Cum nullum a V. R. acceperim hactenus ad literas meas proximas responsum, & tamen hoc ipsum expetam & quam maxime, facere non potui, quin paucis R. V. de rebus Stöffelii edocerem, & easdem denuo per Schedulam hanc de responso compellarem, cum præsertim audirem, ex aula Illustriss. huc in Stöffelii causa transmissum equidem, qui eo esset rediturus. In spe etiam sum bona R. V. in partem id optimam accepturas, idque vt faciant etiam atque etiam peto. Cæterum ad Illustriss. Electorem nostrum per Quæstorem perscribi pleraque nihil dubito, ideoque tanto ego ero breuior. Ab eo tempore, quo suas mihi dictitauit Stöffelius responsiones, quarum nuper etiam mentionem feci, res ipsius semper fere in eodem permanserunt statu. Recumbit enim dies noctesque in lectulo suo tristis, cogitabundus, oculis subinde conniuentibus dormiturienti similibus, & nunquam tamen dormiens. Nullas plane edit querelas de vllo dolore aut molestia vlla, præter potum nihil flagitat a suis, loqui-

quitur parum,atq; adeo nihil propemodum, nisi quod per quæstiones sæpius iteratas ipsi extorquetur. Quando ipsi propono consolationes Euangelicas cum cohortationibus ad preces pias dicendas, eumque interrogo, an his acquiescat, vel nihil plane respondet, vel certe hæc solummodo, vel alia his similia: vtinam possem, faxit clementissimus Deus, vt possem id facere, semel atque iterum his verbis etiam vsus est: Valde vereor, ne nobis illudat Satan. His licet subiiciam, quibus erigi ac confirmari posset ac deberet,de dulcissimis ac verisſimis promisſionibus, quibus pollicetur, se adfuturum inuocantibus, acSatanam repressurum, tamen vt plurimum obmutescit prorsus, neque permoueri potest vllo modo ad verbum vllum perloquendum. Ex iis igitur singulis ac vniuersis colligo,ipsum ex tentationibus nondum esse eluctatum penitus, sed his adhuc torqueri atque cruciari. Quam ob causam mihi opus erit fideli tum auxilio tum consilio, quomodo, quidue cum eo sit agendum,vt ex cribratione ista& tentationibus Satanicis eripiatur.Quemadmodum itaq; nuper feci,peto reuerenter &officiose, vt R.V. suo me responso dignentur, idque prima quaque occasione ad me transmittant, pro eo omni officiorum genere gratitudinem meam declarare studebo potius, quam vobis

eandem pluribus promittere. Bene valeant R. V. Dabantur 21. Febr. 1576.

R. V.

Studiosiss.
OSWALDVS CRELLIVS.

D. D. MARTINO MIRO, & D. M. GEORGIO LISTENIO concionatoribus aulicis.

§. VII. Patet ex dictis Stösselium ob nil minus, quam sententiam de cœna tentationes sensisse. Patet Theologos Aulicos Crellio de salute Stösselii sollicito nil quicquam respondisse. Iidem tamen ad relationem Quæstoris curarunt nomine Principis rescribi ad hunc, vt Stösselius corpore & animo ægrotans spiritualiter adhuc torqueretur. Verba rescripti sic se habent.

Von Gottes Gnaden/ Augustus Hertzog zu Sachßen/ Chur-Fürst ɾc.

Lieber getreuer/ Uns ist dein Bericht/ belangend D. Stößeln / fürgetragen worden/ begehren darauf/ du wollest dem Pfarrer zu Senfftenberg unsertwegen auferlegen und anzeigen/daß er sich fördeꝛlich zu D. Stößeln verfüge/und ihn erinnere/vermahne und vorhalte/ weil er aus D. Stößels Reden

Reden vermerckt/ daß ihn nunmehr das Gewissen rühret/ und er vielleicht seinen Irthum bekennen wolte/ so wäre unser Befehlich/ er D. Stössel wolte eine Confession vom articul des Heil. Nachtmahls/ darauf er endlich zu beharren vermeynet/ stellen und fassen/ und darinnen mit was argumenten und Gründen der Caluinismus zu wiederlegen/ wohl und ausführlich anzeigen/ und uns dieselbe Schrifft durch dich überschicken lassen. Darneben soll ihn auch der Pfarrer sonderlichen befragen/ wie er doch in solchen Irthum gerathen/ wer ihn darzu gebracht/ oder verursachet hätte/ was für Anschläge zur propagation und Fortsetzung solcher Lehre gewesen/ und wie es allenthalben damit ergangen. Was nun D. Stößel darauf aussagen wird/ wolstu den Pfarrer aufschreiben lassen/ und uns darneben mit senden.

Wann sichs auch zutragen solte/ daß D. Stößel in dieser Kranckheit verstürbe/ so wolstu die Leiche an einen beqvehmen Orth wohl verwahrlich hintersetzen/ und was sich für seinen tödlichen Abgang zugetragen/ und mit was Bekäntniß er verstorben/ förderlich berichten/ und dich unsers Befehlichs schleunig erhohlen.

Da sichs aber mit ihm zu Verbesserung und Gesundheit anlassen und schicken würde/

so wolstu uns gleichfalls verständigen / damit wir uns auf allen Fällen wieder resoluiren mögen. Daran geschicht unsere Meynung. Datum Anneburg den 30. Ian. 1576.

§. IIX. Notauit postea Crellius, quid ad quæstiones ipsi a Quæstore propositas responderit Stösselius. Facile autem quilibet homo sanæ mentis iudicare poterit ex præcedentibus circumstantiis, an probabile sit, Stösselium ea, quæ hic respondit, serio sensisse, quidque de modo eiusmodi conuersionum a doctrina ac praxi Christi & Apostolorum tam alieno iudicandum sit.

Qv. I.

UNsers Gnädigsten Herrn / des Chur-Fürsten zu Sachsen / Hertzogen Augusti ꝛc. Befehlich ist / daß ich euch soll erinnern / ermahnen und fürhalten / 1. Dieweil ich aus bißheriger Handlung vermerckt / daß euch nunmehr das Gewißen rühre / ob ihr euren Irrthum bekennen wolt?

Hierauf antwortet D. Stößel.

Den Calvinismum habe ich zuvor für irrig und unrecht erkannt / und bekannt / bey solcher Bekäntnüs soll und will ich noch bleiben.

Qv. II.

So ist Ihr. Chur-Fürstl. Gnaden Befeh-lich

lich / Ihr D. Stößel sollet eine Confession von Articul des Heil. Nachtmahls stellen und faßen / darauf Ihr endlich zu beharren vermeynet / und darinnen mit was Argumenten und Gründen der Calvinismus zu wiederlegen / wohl und ausführlich anzeigen.

Darauf giebt D. Stößel zur Antwort.

Das erkenne ich mich zu thun schuldig / ich bitte aber unterthänigst / unser Gnädigster Herr / wolle in ietziger meiner Schwachheit mein damit Gnädigst verschonen / und in des begnüget seyn / mit diesem meinem kurtzē bekäntiße / so ich neulich in die articulos Torgenses auch geschrieben mit diesen Worten: Ich bekenne / daß ich mit GOttes Wort und fleißiger Erinnerung M. Oswaldi wiederum dahin bracht / den Caluinischen Schwarm abzulegen / und der Heil. Schrifft D. Luthers, und endlichen der Torgischen Confession von Hertzen und beständig / durch GOttes Gnade anzuhangen / die zu lehren und zu predigen / auch darauf zu leben und zu sterben; Darum ich ihn dann auch um das Hochwürdige Sacrament angelanget.

Zudeme hat er auch hernach dieses zuzusetzen gebethen: Daß er nach GOttes Wort fürnehmlich hierzu bewogen / durch die Schriff-

Schrifften / so ich ihm zu lesen geben / darinnen etliche Epistolæ, und insonderheit D. Pauli Crellii & Wittebergensium quæstio & responsio de verbis Pauli: Nonne panis, quem frangimus, item duæ Lutheri Epistolæ verfaßet sind.

Qv. III.

So wollet ihr auch anzeigen/wie ihr doch in solchen Irrthum gerathen / wer euch darzu gebracht oder verursachet habe?

Darauf antwortet D. Stößel.

Daß er keine Person wiße nahmhafftig zu machen/ die ihn darzu gebracht/ oder verursachet habe / sondern allein durch fleißig durchlesen derer Bücher Caluini, und Historiarum Anglicarum & Gallicarum und allerley Streit-Schrifften / sey er darein gerathen.

Qv. IV.

Was für Anschläge zur Propagation und Fortsetzung solcher Lehre gewesen/und wie es allenthalben/ damit ergangen.

Antwort D. Stößels.

Ich bekenne daß Anschläge zur propagation und Fortsetzung dieser Lehre gewesen/ kan mich aber nicht erinnern in solcher Schwachheit wie es allenthalben damit ergangen.

Als er nun ferner befragt worden / was denn für Rathschläge gewesen / oder von weme sie gehalten? Hat er geantwortet / er wüste von keiner andern Unterrede / denn das wäre es eigentlich gewesen / nicht ein Rathschlag / die da wären gehalten worden / und da ihrer mehr wären darbey gewesen / denn die / dafür er mir auch zuvor mündlichen Bericht gethan / da D. Cracov, Peucer, und Herman, und er / auf D. Cracouii Guthe beysammen gewesen; Darnach seynd er und Peucer des Ertz-Cantzlers Gäste gewesen auf seinem Guthe / und neben ihnen Damian von Seebottendorff / und da seynd auch Unterrede / die nicht heimlich gewesen / gehalten worden. Er aber Damianus sey darinnen gantz unschuldig / er habe die Reden als ein Gast angehöret / er habe sie aber weder approbiret noch improbiret. Interrogatus rursum, was für Reden dann gefallen? Resp. de eadem materia. Worzu aber? Resp. zu Fortsetzung der Lehre / so in der Grundfeste / und Catechismo Wittebergensi begriffen ist / weiter wüste er nichts.

Pro conclusione hat er mich heißen schreiben: Solches alles hab ich nochmahls auf meines Gnädigsten Chur-Fürsten und Herrn / Gnädigstes anmahnen auch durch meine Subscription erkannt und bekannt / und

bin

bin entschloßen / durch GOttes Gnade endlich darbey zu verharren

Subscripsit den 8. Febr.
Anno 1576. circa
horam 9.

Joh. Stößel.

§. IX. Vti vero præcedentem Stösselii responsionem Crellius calamo exceperat, ita subiunctam deprehendimus in Msc. Crellii aliam responsionem seu potius aliam relationem de responsione Stosselii, verosimiliter ab ipso Quæstore conceptam. Hanc & potissimum ad quæstionem primam, si conferas cum responsione priore, non vnum suboritur dubium, an Crellius in ea omnia bona fide exceperit, vti Stosselius locutus est, & an non potius multa pro lubitu mutauerit, & Stosselium ad eorum subscriptionem adegerit.

I.

Auf die erste Frage ist D. Stößels Antwort/ daß er ihme wohl nicht bewust einiges Irrthums / daß er in öffentlichen Predigten etwa seinen Zuhörern solte fürbracht haben/ denn er stetigs bey der Form der Lehre vom Hochwürdigen Nachtmahl blieben/ so in Heil. Schrifft/ in denen Schriff-

ten

ten Erw. D. Lutheri, und in andern confessionibus, so mit demselben überein kommen/ verfaßet ist. Darneben aber bekenne er/ daß wißentlicher Irrthum bey ihme mit eingerißen/ und solche lusus in religione achte er für große Sünde wider die erste Tafel Göttl. Gesetzes/ ja für eine blasphemiam oder eine Sünde in den Heil. Geist/ welcher wegen er biß daher in den schwehren Anfechtungen von sein selbst Verdamnis und Verwerffung gelegen. Er erkenne aber seinen Irrthum/ wann ihm GOtt Gnade und Gesundheit verleihen würde/ wo und wie er soll revociren.

II.

Antwortet er/ daß er sich dasjenige/ so von ihm begehrt wird/ zuthun schuldig erkenne. Dieweil er aber in ietziger seiner Schwachheit darzu nicht könne kommen/ als sey seine unterthänigste Bitte/ unser Gnädigster Herr der Chur-Fürst. zu Sachsen/ Hertzog Augustus, wolle Allergnädigst mit der Confession indes zufrieden seyn/ so an Ihr Chur-Fürstl. Gnaden durch ihn überschickt worden/ aus dem Schloß Senfftenberg/ biß ihme der liebe GOtt/ wieder zu seiner Gesundheit/ so es sein Gnädiger Wille also/ helffe/ und er seine Bibliothecam bey einander haben möge/ alsdenn wolle er thun/ was

was der barmhertzige GOtt / durch sein Gnade geben und bescheren wird.

Zu deme hat er gebethen/ die kurtze Confession, so er neulich in die articulos Torgenses geschrieben / unserm Gnädigsten Herrn zuzuschicken.

III.

Auf das Dritte/ antwortet er / daß er keine Person wiße nahmhafftig zu machen. Er sey aber in die Sachen kommen/ dadurch/ daß er mit Fleiß gelesen/ und ihme gefallen laßen die Schrifften Caluini und Historien derer/ so in Engeland und Franckreich/ ob der Lehre Bekäntnis ihr Blut vergoßen haben / und sie darmit bestätiget

IV.

Auf das Vierdte antwortet er/ daß er von keinen schrifftlichen Anschlägen oder Rathschlägen wiße / so da solten zur propagation des Calvinismi seyn gestellet worden. Colloquia seynd es gewesen/ und sonderlich seynd D. Craco und Peucer und er einmahl auf D. Cracovii Guthe bey einander gewesen / und haben sich alda mit einander unterredet/ daß man hinfort die Lehre/ als die Wahrheit öffentlich bekennen soll. Daß also von Sacrament zu lehren / daß die beyde Naturen in Christo unzertrennet bleiben / und daß der vbiquitati carnis gesteuret werde.

§. X.

§. X. Sed nec ipsa Stösselii vxor a tortura illa spirituali fuit immunis. Cum enim & ipsa adhuc viuente marito ægrotare inciperet, (vti & post eius mortem mox & ipsa mortua est) voluerunt & hic Inquisitores Saxonici vigilare, ne & hæc muliercula in libertate conscientiæ relinqueretur. Quare curarunt, vt Superintendens Hainensis ea de re ad Crellium scriberet:

Dem Ehrwürdigen und Wohlgelahrten Herrn M. OSWALDO CRELLIO, Pfarrern zu Senfftenberg/ Meinem besondern und günstigen Freunde.

Ehrwürdiger Hr. Pfarrer / guter Freund / auf euer an mich gethanes Schreiben/ ist diß mein Rath und Bedencken/ daß ihr folgende Artickel / der D. Stößelin Amtshalben/ und zu Reinigung eures Gewissens ernstlich vorhaltet.

I.

Ob sie bekenne und gläube/ daß im Nachtmahl des Herrn Christi allhier auf Erden / mit Brod und Wein wahrhafftig und gegenwärtig der Leib und Blut Christi (doch menschlicher Vernunfft unbegreifflicher Weise) vermöge und lauts des Worts des Herrn Christi ꝛc. zu essen und zu trincken ü-

berreichet/gegeben/empfangen und genossen werde.

II.

Daß im Abendmahl nicht allein ein geistliches Essen sey/ sondern neben dem Geistl. eigentlich auch das leibliche und mündliche Essen verordnet.

III.

Wann dieses geschehen/ und solches hertzlich bekennet und glaubet/ solt ihr sie hierauf Beichte hören/und nach Anhörung derselben/ doch vor Empfahung des Herrn Nachtmahls/alsbald incontinenti einen aus euren Diaconis zu euch ziehen/ und mehr gemelte articul in eurer beyderseit Gegenwart anderweit erneuern/und wo sie diß noch also bekennet und glaubet/ hierauf nach ihrem Begehren die Hochwürdigen Sacrament mit zutheilen/ zu der Erden zu bestätigen/ und auf ihr Bekäntniß und Verlesung dieser articuln von öffentlicher Cantzel eine Christliche Leich-Predigt euer Gefallens zuthun nicht unterlassen.

IV.

Wo aber in dieser Erforschung etwas anders/ oder in ihrer gethanen Beichte unserer Kirchen / wahrer Religion und Bekäntniß hochschädlich und nachtheilig / und euch ein Gewissen machend/ vorfallen möchte/ wollet ih-

ihr in diessem dem Consistorio ferner Bericht zuthun in keines Weges unterlassen / welches ich euch zu ferner Nachrichtung / auf euer Schreiben nicht zu verhalten gewust. Datum Eilend vom Hain Dienstag nach Palmarum im Jahr 76. ꝛc.

M. IOHAN CORNICÆLIVS,
Superintendens daselbsten.

§. XI. Tandem Crellius ad fratrem suum Epistolam scripsit, in qua ei narrat, figmenta esse quæ iam tum temporis maleuoli & scioli de desperatione Stösselii finxerint, vbi & simul de morte vxoris eius testatur.

NIhil est Reuerende & charissime frater, quod cupiam præstare magis, quam hoc ipsum, quod tu Sororii nostri nomine a me flagitas, si vllo id modo commode fieri posset, idque non tantum propter eam, qua inuicem coniuncti sumus, necessitudinem, sed & cum primis propter filiolum charissimum, qui est in vicinia vestra apud auiam, & propter colloquia, in quibus excusari possem. Verum cum nec per valetudinem, nec per vocationis officia id hoc tempore fieri possit, vt & me excusatum habeas, tuo loco & nostris reliquis excuses, etiam atque etiam peto. Vbi vero per ea, quæ nunc mihi obstant, impedi-

menta licuerit, quam primum, vt volente Deo conueniamus, opera a me dabitur. Et tunc eodem iuuante colloquemur de reliquis Epistolæ tuæ postremæ particulis, ad quas in præsentia non respondeo.

De Stösselio & si non scribo libenter, tamen paucis nunc historiolam eius ex hac vita migrationis commemorabo. Tu in partem optimam eandem accipies. Quæ vero magis de se ipso sparguntur δυσφήματα quidem fieri scio, non ex communi tantum fama, sed ex quorundam literis ad me missis, eo magis ego demiror autorum, qui talia spargunt, audaciam & temeritatem, qui in rebus ignotis non verentur non tantum pronunciare multa, sed & confingere plurima. Qua vero id faciant fronte, ipsi viderint. Ego per totum id tempus, quo decubuit Stösselius, cum coniuge, non tantum quotidie, sed & in mortis agone vtrique adfui, & tamen pro certo affirmare nec volo, nec possum, quo fine vitam in terris suam ipse Stösselius clauserit, propterea quod Dominica Reminiscere, postquam hora noctis 12, de improuiso expirauit, nullum neque mecum, neque cum vllo alio communicauit verbum, licet, quæ dicerentur, audiret & intelligeret. Vigilia vero prædictæ Dominicæ nouissima, quæ ex ipso audiui verba, fuerunt hæc: Ah ego vere misere affligor per

perSatanam,quemadmodū filia Cananæa. Ad hæc cum respondere, debere ipsū etiam cum Cananæa precari: miserere mei, fili Dauid, subiiciebat verbis germanicis: **ja ich hab auch wohl verdienet**/ meis magnis & multiplicibus peccatis. Respondi rursum, Domine D. cum id fatearis, debes etiam in seria pœnitentia tuorum peccatorum quærere & petere remissionem. Tum vero ipse confessionem huiusmodi ordiebatur: Tibi omnipotens Deus confiteor omnia peccata mea, & præsertim illa atrocia. Hic hæsitans aliquandiu interrogatus a me, quænam essent atrocia illa peccata, quibus tantopere angeretur atque excruciaretur, respondit: illa ipsa, de quibus antea sæpe disserui, & subiecit: Tibi Domine tribuo laudem iustitiæ; sed & misericordiæ laudem tribueret ac statueret certo eundem sibi quoque propitium fore, per ac propter vnicum propitiatorem ac Saluatorem nostrum Iesum Christum, qui esset agnus Dei tollens seu gestans peccata mundi, & an id faceret, interrogaui? Respondit ad hæc vnica voce: omnino. Ego porro ipsum admonui, vt sibi in memoriam reuocaret dulcissimum Iohannis dictum: Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato: & Augustini illud, quod ex priore desumtum videtur: totius fiduciæ nostræ certitudo est in

pretioso sanguine Christi. Ad hæc ipse subito porrecta manu sua, in hæc erupit verba: Sit ergo, sit ergo. Et cum mihi gratias agere cœpit, pro assidua, qua ipsi præsto fuissem in morbo hoc visitatione. Estque me hortatus, vt rationem etiam haberem auditorum meorum, & tempus eius diei reliquum tribuerem meditationi concionis postero die habendæ.

Ego cum operam meam qualemcunque ipsi denuo obtulissem, ipse vero eadem tum vti noluisset amplius, ita ab ipso sum digressus. Ac nullum postea verbum ex illo audiui vlterius, licet per totum diem sequentem sæpius ego consolationis causa plurima ad ipsum verba fecerim, quibus tamen interdum annuit. Ex his igitur quid colligi possit aut debeat, tu ipse iudicabis rectius, atque ego scribere possum. Ego si in confessionis supra positæ cogitatione, quam ipsi ante obitum sæpius in memoriam reuocaui, exspirauit, quin fine felici clauserit vitã, nihil dubitabo. Contrarium affirmare nec volo, nec possum, sed si in dubium ipsius migratio vocetur, Dei ipsum iudicio relinquere, quam ausu temerario in re incerta certi aliquid pronunciare aut spargere malo. Idem & de coniuge ipsius meum est iudicium. Sed rectius omnia exponere potero coram. Deo ergo clementissimo

tisſimo te cum Tuis vniuerſis in præſentia commendo, eumque toto pectore oro, vt te & reliquos omnes, qui ad deliberationes publicas adhibebuntur, Spiritu ſancto regat & gubernet, & faxit, vt decernantur, quæ pertinent ad gloriam Dei, ad veritatis conſeruationem, ad Eccleſiæ pacificationem ac tranquillitatem & ad animarum noſtrarum ſalutem. Amen. Dabantur Senftenbergæ 21. Maii. Anno 1576.

OBSERVATIO VIII.
SVSPICIONES DEFECTVVM IVDICII HISTORICI.

Synopsis.

§. I. Occaſione Zabiorum, ἀνιστορησίας in hiſtoria exempla ſuccurrerunt. §. II. Profertur e Spencero mentio & deſcriptio Zabiorum. §. III. Nomen petitur ex Alcorano. §. IV. Cuius textus adducitur. §. V. Dubia circa ſcriptionem: §. VI. Caſaubono & Hottingero nata. §. VII. Spencerus reiicit aliquot Etymologias. §. VIII. Retenta Scaligeri, §. IX. & confirmata. §. X. Ita ſunt Chaldæi famoſo ſenſu, idolo- & aſtro-latræ. §. XI. Quo reſpectu minus erraſſe videtur Pocockius. §. XII. Quam falli Spencerus. §. XIII. Ad minimum in ſubſumendo. §. XIV. Poſt nomen e Mahomede, adducitur Idololatria e Maimonide. §. XV. Dua ſuppoſitio Spenceri, §. XVI. eiusque

sensus §. *XVII. Perplexus* §. *XVIII. iterum monstratus.* §. *XIX. Mahomet admouet Zabios suæ Religioni.* §. *XX. Quæ cultus Idololatricos abominatur.* §. *XXI. Imo pollicetur Zabiis beatitudinem:* §. *XXII. Non videtur hoc facere sensu Hypothetico.* §. *XXIII. Confirmantibus rationibus luculentis.* §. *XXIV. & Mosis in plerisque.* §. *XXV. Idololatras non debuisset inusitato nomine appellare.* §. *XXVI. Subest aliqua Zabiorum similitudo cum ante dictis:* §. *XXVII. Sabæi Reginæ Scheba subditi,* §. *XXVIII. Zabii Mahometis Iudäizantes videntur.* §. *XXIX. Vnde Bidauius aberrasse videtur.* §. *XXX. Sabæos Arabes putat Reuchlinus.* §. *XXXI. Quod videtur contra historiam Eunuchi.* §. *XXXII. Historiam Abyssinæ Regum, & Sigilli eorum Symbolum.* §. *XXXIII. Fama migrationis Arabum in Abyssinam.* §. *XXXIV. Iudæorum ingens populus quondam in Abyssina:* §. *XXXV. Vnde confirmamur, Mahometis Zabios tales Sabæos fuisse.* §. *XXXVI. An Carthaginenses in Americam nauigare potuerint.* §. *XXXVII. Quod nauium intuitu hoc facere potuerint.* §. *XXXVIII. Etiam sine Magnetis vsu.* §. *XXXIX. Alimentorum penuriam ἀνθρωποφαγίᾳ subleuatam fuisse.* §. *XL. Et propter hanc in illa regione etiam verisimiliter mansisse.* §. *XLI. An Nigri Americæ ex Africa eo peruenerint.* §. *XLII. Vti memoriali adhuc tempore factum, cur non & immemoriali.* §. *XLIII. Americam fuisse In-*

Insulam de qua Diodorus Siculus narrat. §. *XLIV. Rudbeckii explicatio huius de Suecia.* §. *XLV. Causa prohibitionis Carthaginensium, emigratio, & perfugium* : §. *XLVI. XLVII. Non quadrant in Sueciam.* §. *XLVIII. Mollibus populis praeoptanda morti* : §. *XLIX. aut graui exilio similiorem* : §. *L. Operosa criseos Vossii resolutio.*

§. I.

CVm nuper acutissimi Spenceri, de Legibus Ritualibus Hebræorum, locum de *Zabiis* (quos *Rodericus a Castro*, Medicus Iudæus, in Lib. de Affect. Mull. *Zabaos*, vocat: a quo forte adhuc est *Franconica* vox Zaberer/vulgo Zauberer/) copiose & ingeniose deductum euoluerem; simulque e Lexico Hebræo antiquo, quod forte ad manus erat, *Iohannis Reuchlini*, vocem *Seba* סבא inspicerem: inueni ibi notas aliquas, quæ videbantur *Historiæ*, quam illustrare debebant, ita minus satisfacete, vt potius vel ex illa ipsa, *diuersum* elici posse, non leuis sit suspicio. Cuius quidem rei cum varia hinc inde occurrant exempla, nempe *Historiarum ἀνιστορικῶς* explicatarum, in mentem venit, pauculas eius generis obseruationes proferre, vbi modo *appellationum*, modo *circumstantiarum* difficiliore suppositione, minus

sufficienter probatum apparet ; quod omnimodo probandum incumbebat.

§. II. Placet interim ex ipso *Spencero*, quia liber non est in omnium manibus, paucis & breuiter apponere, quid de *Zabiorum* gente sentiat. Notat I. fuisse gentem, religionibus, siue *superstitiosis ritibus* addictissimam: II. quos quidem ritus longe lateque *dissemi-nauerit*: III. Quibus DEVS T. O. M. multos ritus in *lege Ceremoniali* propterea directe opposuisse videatur, vt populum suum, ab istorum populorum inauspicatis cultibus, auerteret. IV. Quae omnia, vt vero tanto similiora, imo euidentiora reddat, inquirit in *originem atque veram stirpem* Zabiorum.

§. III. *Nomen* autem *Zabiorum*, producit primo, & veluti pro fundamento suarum disquisitionum, e *Mahumedis Corano*, si recte rem aestimemus. Reuera enim omnes, qui de veriore huius nominis significatu solliciti adducuntur, ex *Arabica* lingua illud arcessunt, in qua qui eius mentionē fecerit, *primus*, aetatis ratione, sine dubio est *Mahomet*.

§. IV. Locus princeps, vbi *Zabiorum* mentionem facit, quia alicui meae coniecturae subseruit, addendus mihi videtur; Est vero *Suratae II. vers. 59. Enimuero qui credunt*, (scil. Muhamedis doctrinae) *item qui Iudaei sunt*, *aut Christiani*, (*Ryer* interpretatur, *Samaritani*) *aut*

Zabii

Zabii, quisquis crediderit in DEUM & diem novissimum, feceritque probitatem; sua utique merces ipsis est apud Dominum suum, nec timor imminet illis, nec tristia experientur. Eadem prorsus repetit *Surat. V. v. 37.*

§. V. Neruus allegationis e *Muhamede*, in eo consistit, quod nomen, de quo agitur, scribit per literam Elif, *Arabum*, quae *Tjade*, Hebraeorum respondet: E qua re duo nascuntur dubia 1) quod hac ratione non commode, cum *Hebraea* originis noto aliquo, *gentili proprio nomine* concordiam subire possit; 2) sed potius videatur, magis *appellatiua* quadam significatione, peculiarem talis *gentis conditionem* denotare, qua ab aliis distingui possit.

§. VI. Quod prius attinet, *Casaubonus*, in Epistol. 223. *Zabios* esse *Sabaeos* non putat, quia Hebraeorum סבאים per ס effератur, non per צ aut ז. Vbi, licet *Hottingerus* Histor. Orient. L. 1. cap. 8. putet, per *ignorantiam Muhamedis* hoc factum esse, vt literas imperite permutaret; Opponit tamen Noster encomium *Arabum* commune de *Corano*, quod admodum eleganter, (adeoque maxima linguae peritia) exaratus sit.

§. VII. Placuit itaque Autori nostro altera sententia, quod nempe magis *appellativo* quodam significatu, genti huic impositum sit

sit hoc nomen. Quo intuitu reiicit (a) *Sharestani* Arabis Etymologiam, (adductam e *Pocokio Not. in Specim. Hist. Arab. p. 138.*) a *Tzaba*, amare, propendere, desiderare, e *Syrorum* lingua, e quibus fortasse *Tzabii* in Arabiam transierint. Præterit (b) Deriuationem a *Tsaba*, *Exiuit*, *deflexit*, *religionem deseruit*: a qua *Bidauias*, celebris Alcorani Interpres, Zabiorum ibi memoratorum nomen, deducat; quod a Deo vero ad Idola deflexerint: Quo ipso intuitu, *Ebnol. Athir* (ap. *Pocock* l. a.) ipsum Mohamedem *Sabium* dictum fuisse affirmat: Et hodieque *Balsarenses* Christiani, vulgo *Christiani S. Johannis*, *Sabbi* dicantur, quod nomen iuxta *Huetium*, *Demonst. Euang. Prop. 4. c. 4. §. 2.* antiquarum religionum perduellibus & transfugis, tribui soleat.

§. VIII. Eligit autem *Scaligeri* assertionem, ex *Epist. L. I. Epist. 62.* vbi ita loquitur: *De Zabiis, scito esse* Chaldæos, צבוים, *Arabice* Tzabin, *a Vento Apeliote sic dictos, quasi dicas* ORIENTALES.

§. IX. Confirmat hanc sententiam argumentis sequentibus, 1.) quod ritus a *Zabiis* (iuxta R. *Maimonidem*) obseruari soliti, & Israëlitis interdicti, olim magnam partem Chaldaicæ superstitionis constituerint. 2.) quod Chaldæi Coloniis, victoriis, ritibus suis omnia impleuerint. 3.) Quod Maimonides te-

testetur, Abrahamum educatum fuisse in religione Zabiorum: De quo Scriptura dicit, quod inter Chaldæos natus, & adultus sit. 4.) Quod Autores Arabes, quibus de *Zabiorum* secta sit sermo, idem ita explicent; vbi *Achmetus*, librum expresse de Zabiorum religione scriptum, inscribit: *De negotio rituum Charanaeorum, Chaldaeorum, qui Zabaeorum nomine vulgo noti sunt.* Et *Golius*, Not. in Alferg. p. 251. referat, Haranitam sæpe vsurpari solere pro *Sabitâ, qui sit cultor stellarum.* Et *Gregor. Abul-Pharaiius histor. Dynast. d. 9: p. 281.* Illud, quod apud nos constat de Secta Zabiorum, est, professionem eorum eandem prorsus esse cum Chaldæorum antiquorum religione. R. Abrabanel librum Zabiorum de Agricultura vocat librum Orientalem. vid. Huet. Dem. Euang. p. 61.

§. X. Concludit ex hisce tandem *Spencerus*, quod *Zabiorum* nomine, probabilissime veniant, non quidem *soli* Chaldæi, quæ *Scaligeri* sit sententia, sed omnes, cultus atque rituum illorum asseclæ: Non aliter, quam olim apud *Asiaticos*, (imo vero etiam *Romanos*) genethliaci atque fatidici, & generaliter hoc nomine *Chaldaeorum* venerint: & hodie apud Europæos vaga illa & impia gens, Zingarorum, *Ægyptiorum, Tartarorum*, appellationibus veniat, quamuis vix quisquam harum gentium inter ipsos forte versetur.

XI.

§. XI. Quo tamen intuitu, non satis capio, cur aspernetur suspicionem *Pocockii l. all.* inquientis: *Si instituta eorum perpenderis, non longe petitum videbitur nomen, si a voce Hebr.* צבא, *exercitum denotante dictos putemus; quasi* צבא השמים *exercitus cælorum cultores.* Putat hic noster, hanc coniecturam minus feliciter factam esse, propterea, quia cultus hic Zabiis cum omnibus *Idololatris* sit communis.

§. XII. Vbi profecto ego hoc in me non susciperem probare. Sicut enim *Chaldæi* primi & præcipui *vniuersæ Astronomiæ* atque *Astrologiæ* cultores vulgo habentur; Ita apud quemquam vnum alium populum, *vniuersi exercitus Cælorum*; siue *astrorum*, aliquem honorem, nedum cultum, fuisse, ex historiis probari posse, admodum diffido. *Solis* enim, *Lunæ*, *Ignis*, *Diuinitatem*, imo Deorum sub illis 7. *planetis* habitantium religionem, quum longe ab *Exercitus Cælorum* cultu distare, res ipsa loquatur, superuacaneum esset indicare. Tanto magis cum probabilissimum sit, alias *posteriores* gentes applicuisse potius demum *Astrologicis* opinionibus, suorum Idolorum nomina atque dignitatem: nisi forte ipsorum *Chaldæorum* aut *Zabiorum* hæc fuerit inuentio, diuulgandi reliqui sui dogmatis; quemadmodum occasionem talem ipsum *Diuum Paulum*

ab

ab ara *incogniti DEI*, ſumſiſſe, notum eſt.

§. XIII. Rectius autem forte difficultas poneretur in ipſa, non *cultus*, ſed *vocis* ambiguitate; an videlicet vox צבא apud Hebræos ita familiariter pro Cœlorum ſiue *Aſtrorum exercitu* vſurpetur, vt ab eius etiam *abſoluta* acceptione, denominatio talis ſatis ſignificanter formari potuerit? Quamuis enim in ſacris literis vix ea ſemper vbi de cœlorum exercitu ſermo fit, vox Zabah vſurpetur; nusquam tamen abſolute pro hoc ſignificatu poſita occurrit; ſed potius hinc inde, abſolute poſita, vulgarem exercitum deſignare animaduertitur.

§. XIV. Poſtquam autem Autor noſter, huic genti *nomen* & *originem* Orientalem & Chaldæam, ex *Arabiſmo* aſſeruit, eoque nomine plurimum adiutus eſt *Mahumedis* interpretum conſenſu; Progreditur hinc ad *ritus* illorum *Idololatricos*, ex *Maimonidis* cumprimis ſententia docendos.

§. XV. Exequitur hoc non infeliciter; Sed neſcio quid *duri* inferat, cap. huius I. Sect. II. Vbi monet, quod veriſimile ſit, *nomen* huius *Idololatricæ*, (aut ſane eius rituum æmulæ atque tenacis) gentis, hactenus operoſe tractatum *non ante tempora Mahumedis vſitatum fuiſſe*: Imo ab ipſo *Mahomete* demum *hoc ſenſu* vſurpatum: Vt quemadmodum vulgo in

S.

S. Scripturis *Syri, Persæ, Chaldæi, Arabes*, vocentur בני קדם, *filii Orientis*: Ita ipse etiam hos Idololatras vocabulo *Tsabin*, i. e. *Orientales* insigniuerit.

§. XVI. Enimuero, sic ex omnibus ita operose prolatis, oriretur hic sensus. *Fuit* ab omni æuo *gens Idololatrica* peruersis & vanis multis *ritibus indulgens*; Hæc a *Chaldæis* orta, in magnam partem orbis diffusa est: Abundauit quoque tempore *exitus gentis Israëliticæ* ex Ægypto, tanto numero, & peruulgato peruersæ *religionis vsu*, vt DEVS plerasque Leges, populo suo iniunctas, huius nefastæ *superstitionis ritibus* opponere, necessarium duxerit: Qua ratione gens quidem *Israëlitica*, ab ipsis hisce gentilibus *Idololatricis*, discreta atque separata fuit: Obsedit tamen impia illorum Doctrina, totum *reliquum Orientis* tractum: Et quidem ad *Mahometis* usque tempora, vltra duo millia annorum: Vnde hic, *Idololatras* hos (vel quia maximam Orientis partem constituebant, vel quia ex *Orientali Chaldaica* disciplina originem suorum abusuum habebant:) *Tsabin, Zabios, Orientales* seu *filios Orientis*, appellare, non inconueniens duxit.

§. XVII. Hanc sane vltimam, de *Mahomete*, collectionem, non video, quomodo cum ipsa re, nempe *Mahometis* de Zabiis *iudicio*, conciliare vllo modo liceat.

§. XVIII

§. XVIII. Rabbi *Ben Maimon*, & alii quidam, illum forte secuti, faciunt mentionem populorum quorundam, qui & cultus *Idololatricos* seruauerint, & *libros* plane de illis scripserint. Hos aiunt viguisse, & longe lateque religionem suam tenuisse, *ante* tempora *Israël*: Adeoque vt *Israël* ab horum abominationibus liber maneret, datas ipsi esse *Leges positiuas*, traditionibus atque institutis istarum gentium e diametro oppositas. Sint hæc omnia ita, modo probari possint. Populos hos vocant prædicti Autores, *Zabios*: Faciant sane; sed reddant *nominis* vel *rationem*, vel *autoritatem* siue fidem Historicam. Rationem reddere non possunt; quia vtique *Hebræi* omnes, in sua lingua nihil habent, quod huc quadret: Ergo proferunt *Arabicam*. Sed hac ipsa *Autoritatem*; & quidem *Mahumedis* in Alcorano.

§. XIX. Ego vero puto hanc *Autoritatem* nihil probare posse, quandoquidem *Mahomet*, in allegato (supra §. IV.) loco, tantum abest vt voce seu nomine *Zabiorum* gentes eiusmodi Idololatricas, & pessimæ circa religionem notæ, indigitare appareat, propter quas etiam ipsa *Lex Iudaica*, quasi *κατ' ἀντίθεσιν*, instituta videatur: vt potius hos suos *Zabios*, & *Iudæis*, & *Christianis*, (vel sit ita, iuxta *Ryerum*, *Samaritanis*,) iungat atque comparet: Et ipsis

Islamismum suum immediate professis, æquare non dubitet: Et quidem *in illo tertio*, quod credant *in DEVM, & diem nouissimum*, & faciant probitatem.

§. XX. Certe enim ipse *Mahomet*, nequaquam probauit institutis suis, vel *Astrologiam* vel *Magiam*, vel *ritus superstitiosos*, per imagines vel cultum *plurium Deorum*, vel *Diuinarum potestatum λατρείας*, vel *ἐθελοθρησκείας* quascunque circa *creaturas*, quæ omnia *Zabiis* illis, a *Maimonide*, & sequacibus, tribuuntur. Imo *prohibuit* talia pleraque, atque *detestatus* est.

§. XXI. *Zabios* vero, ita cum suis ipsius sequacibus, æque ac *Iudæis*, atque *Christianis*, copulat, vt illis etiam *mercedem* a Domino; (*vno* vtique illo, *communi*, in quem credant,) & securitatem in die nouissimo, ab omni tristitia atque dolore polliceatur.

§. XXII. Sed præuideo propemodum, quid hic moneri possit. Voluit fortasse *Mahomet* hac ipsa diuersarum talium Religionum mentione (sensu *Maimonidis* supra citato) ita vti, vt populis, quantumcunque inter se religione dissidentibus, hanc veluti *vniuersalem* & communem viam ad cœlestia gaudia perueniendi commendaret: Sicuti sanctioris Euangelii Testis atque Minister *D. Paulus*, *Galat. III. v. 28. & cap. V. 6. cap. VI. 15. Colos. III. v. 11.* vbi reuera *oppositis* ex hypothesi, *Circumcisioni*

cisioni & praeputio, eandem vnam salutem pollicetur in *Christo* Saluatore: Et *Hippocrates*, Prognosticis circa finem: Signa (de quibus toto libro loquitur) & in *Lybia*, & *in Delo*, & *in Scythia*, vera deprehensum iri, asseverat, i. e. *locis*, medio, imo *toto caelo dissitis*.

§. XXIII. At vero, quemadmodum haec ratio, si nulla verisimilior suppeteret, tolerari forte posset; Ita cum luculenta explicatio in contrarium ad manus esse videatur, non possumus ita facile huic obiectioni assentiri.

§. XXIV. *Primo* enim, Mahometem, *Iudaismum* atque *Christianismum*, non considerasse, vti Sectas *e Diametro* inter se pugnantes, monstrat satis proprium ipsius de *Saluatore* iudicium, vtpote quem vtique *Magnum Prophetam*, eiusque Euangelium ad aeternam salutem *certissimam semitam* fuisse, multis locis affirmet; & culpam in solos homines coniiciat, qui Euangelio non obedientes, hoc ipso beatae illius vitae spe atque haereditate excidant.

§. XXV. Tanto minus *secundo* contradistinguit suam ipsius nouam Legem *Iudaicae*, aut, si *scopum* atque promissionem; imo (iuxta ipsius intellectum) viam quoque seu *media* consideres post *fidem* in DEVM nempe *bona opera*, ipsi *Euangelio*: Vt hinc ad *Idololatras* flagrantissimos transitum facere, eosque merito in hunc censum adsciscere debeat.

§. XXVI. Aut, si hoc facere vellet, *tertio*, non haberet vtique opus, affectato, & *inusitato* de reliquo illo, *vocabulo, filios orientis* seu Orientales, vt eximios Idololatras, allegare censui suo; cum notissimos tunc temporis *paganos* vtique *meridiei* potius, aut *septentrionis* filios, citare potuisset.

§. XXVII. Econtra, *quarto*, cum *Iudaeos*, atque *Christianos* (imprimis *Arianos*) Secta sua propria ita sequeretur, vt ex *vtrisque* his Dogmatibus, vnum aliquod *tertium* conflasse, & quidem ope *Iudaei* cuiusdam, & *Monachi Arriani*, communis ferat traditio: Maxime probabile videtur, quod *Zabii* illi, quos nominat, neque ipsi ab his religionibus ita longissime abfuerint.

§. XXVIII. Quod ipsum *quinto*, confirmari vtique videtur e consideratione *Sabaeorum*; Gentis videlicet, cuius Regina *Salomonem* adiisse legitur 1. Reg. X. Regina *Sheba*, quod Lutherus vertit, **Königin aus Reich Arabien**. Saluator vocat βασιλίσσαν νότȣ; Puto significanter: Reginam nempe meridiei seu potissimae *plagae meridianae*: Non a plaga meridiana, aut alicubi solum versus illam plagam, regnantem. Quam vtique Reginam, cultus *Iudaici* aliqua initia in regnum suum transtulisse, ex historiis tam antiquioribus, quam

quam ad ipsa hodierna tempora continuatis, credi posse apparet. De quo mox.

§. XXIX. Sane vero, cum Mahomet de *Zabiis* hic loquatur, vt de talibus, qui in *Deum & diem nouissimam* credant; *Deum* vtique quem *ipse* quoque credit: Quem *Iudaei*, quem *Christiani* credunt: *His* Zabiis, *ita* credentibus, *mercedem* ab illo Deo, & ablationem omnis timoris ac doloris promittat: Euidens sane hinc esse arbitror, quod hi, de quibus Mahomet loquitur, *Zabii*, minime fuerint illi, qui aliis sub hoc nomine innotuisse potuerunt, *Idololatrae*.

§. XXX. Vnde quidem tanto magis in hoc aberrasse videtur *Bitauius*, quod dum Coranum *interpretatur*, *Zabios* ibi memoratos cum alteris illis suppositis *Idololatricis* in vnam eandemque tribum coniiciat: Nempe satis euidenter, quantum mihi quidem apparet, contra sensum *textus*.

§. XXXI. Quod autem illi *Zabii*, quos conuenientia aliqua cum *Iudaeis*, *Christianis*, imo *Mahometanis*, (ab *Idololatria* adeo alienis, vt etiam nullū simulacrum ferant) Mahometi tolerabiles *Sabaei* fuerint; Nempe Reginae illius *Sheba* subditi, *Iudaicis* initiis imbuti, meridiei incolae & probabilissime ipsi hodierni *Abyssini*. Dubitat quidem maximopere *Reuchlinus* in Lexico Hebraeo; Imo decernit

contrarium: Adeoque taxat *Hieronymum*, quod non distinguat inter *Sheba*, & *Seba*: quarum priorem *Arabiæ*, posteriorem *Æthiopiæ* regionem facit: Et ita iudicat, Reginam *Sheba*, *Salomonis* hospitem, ex *Arabia* aduenisse, non ex intimiora Africa siue *Æthiopia*.

§. XXXII. Videtur autem contra *Reuchlinum* hic stare *Historia*, duplici documento. *Primo* quod *Actor* 8. memoretur *Evnuchus*, *Æthiops*, *Dynasta Reginæ Æthiopum*, qui venerat *adorare in Ierusalem*, & legebat *Iesaiam* Prophetam. Quæ omnino manifestum faciuut, quod *iudaicæ* religioni addictus fuerit: Probabile vero reddunt, cum dicatur fuisse *præpositus Gazarum Reginæ*, quod etiam *ipsius* huius nomine, aliquod donum templo obtulerit. *Æthiopem* vero, in dubio significatu *gentis*, fuisse, iuxta cum vi nominis, docet etiam iter *Gazam* versus institutum; A qua longe diuertere debuisset, si *Arabiam* felicem *niger* Arabs, petere necesse habuisset. Sicut reuera *Arabia felix* vrbi Hierosolymæ longe *orientalior*, quam vere *meridionalis* existit.

§. XXXIII. Secundo monstrat hoc & confirmat constans ipsorum *Abyssinorum traditio*, quod vtique sua fuerit illa Regina; Cuius rei latius adducta historia habetur in *Ludolphi Hist. Aethiop. Lib. II. cap. 3.* Quod etiam hinc translatum apparet in *titulum* Regum huius

gen-

gentis, vt ſeſe appellent *filios Dauid & Salomonis*. Quem, quamuis in dubium adducat, & fictionis ſuſpectum habeat *Ludolphus*; Non abludit tamen ab illa *traditione*, cuius ſummam non in ſuſpicionem vocat. Imò videtur confirmari *ſigillo* Regum horum, quod conſtituit *Leo crucem tenens*, cum inſcriptione *Leonis de tribu Iuda*: Quod pariter vtique quadrat ad hanc traditionem de ortu horum Regum, e tribu *Iuda*, per *Salomonem*.

§. XXXIV. Laborat autem *Excell. Ludolphus* hæc inter ſe conciliare, per neſcio quã famam an firmam magis hiſtoriam, *migrationis* Sabæorum *Arabiæ* in *Abyſſinam*. Tandem tamen iudicium ſuum ſuſpendit.

§. XXXV. Sane vero *Iudæos* non ſolum in hiſce regnis fuiſſe, ſed ita *abundaſſe*, vt multas & amplas regiones tenuerint, imo *ſuo iure* ibidem vixerint, fidem facit ipſe *Ludolphus*. Qui quidem, quomodo *tanto numero* eo peruenerint, tantas regiones occupauerint, *ſuis iuribus* relicti ſint, inter Æthiopes adhuc *Ethnicos* (nempe non ipſos quoque *Iudaicæ* religioni addictos) niſi a conceſſione plane ſpecialisſimis reſpectibus innixa, id ſane nemo facile conciliauerit; Tota difficultas, ſimul & ſemel, eſſet ſublata, ſi veraci aliqua determinatione *Hiſtoria Æthiopica* docere potuiſſet, vtrum *Iudæi* ita copioſi apud *Abysſinos gente* vni-

versa, an solum *religione Iudai*: Imo vero potius *Israelita*, an *Iudai* a *tribu*, fuerint. Certe ille in Euangelio *Eunuchus*, *gente* Æthiops, *religione* Iudæus fuit, *Dynasta* regni, Gazarum præfectus: Et narrant hodieque Abysſini, & *Reges* ſuos, & *Dynaſtas* Regni, *Iudæos* fuiſſe; & ipſos hodiernos *Dynaſtas*, de *antiquorum* adhuc ſtirpe creari debere. *Hiſt. Æth. l. all.*

§. XXXVI. Quibus ſane reſpectibus, non iniuſta mihi eſt ſuſpicio (I.) Quod Regina *Sheba*, non *Arabia* fuerit, ſed *Aethiopia*. Cui ex mea ſententia, plane contra *Pinedam*, potius adſtipulari videtur, aſportatio *aromatum*, *gemmarum*, & *auri* valde multi. Certe enim in *Arabia* nihilomagis, quam in *Abysſina* creſcit horum omnium quidquam, præter aliquid *auri*: Quicquid vero ad occidentem per *Arabes* quondam peruenit, *mercatoriis* artibus atque expeditionibus, in ipſam prius *Arabiam*, collectum fuiſſe, quis hodie dubitat? Aſt longe propiores meridionalibus aromatiferis locis ſunt Aethiopes. Longe propiores intimioribus *adamantis*, atque *multi auri* feracibus *Nigritarum* penetralibus. In *terris* certe *Arabia*, verorum *aromatum* neſcio an plus quærendum ſit, quam *Eboris* in Americana *Peru*, e qua aliqui, obliti *Eboris*, aurum *Paruaiim* Salomoni veniſſe arbitrantur. (II.) Puto, credi poſſe Æthiopibus, quod initia religionis *Iudaica* ad ipſos translata ſint:

(III.) Adeoque arbitror, *Mahometem* suo tempore, *Zabiorum* nomine hos potius *Sabæos*; quam *Idololatras* vagos, & infami sensu *Magos* designasse.

§. XXXVII. Dubiolis hisce, circa hanc materiam declaratis, placet adhuc aliqua adiicere, circa non nulla similia *historica*, vt apparent, *sphalmata*. Ponunt vulgo scriptores insignem difficultatem, *an Carthaginenses potuerint in Americam penetrauisse?* Dubitationem *triplicem* præcipue formantes 1. Quod *paruis* illorum temporum *nauibus* minime tam vastum iter conficere potuissent. 2. Quod vsum *pyxidis nauticæ* non habuissent: 3. Quod ad tam longinquum iter, sufficientem quantitatem *alimentorum*, nauibus suis vehere non valuissent.

§. XXXVIII. Interim, sicuti *primum*, quod nempe ad eiusmodi profectionem per Oceanum, non *maiusculis* quoque nauigiis vsi esse potuerint, res facti suppositi existit; Ita certe non destituti fuerunt nauigiis eius magnitudinis, quæ *speculatoria* moderna, vulgo Jachten/ æmulata fuerint; Qualia tamen hodieque, non solum *Americam* petere non dubitant, sed etiam e partibus Europæ, aliquot centenis milliaribus adhuc longius, quam fretum *Gaditanum*, distantibus. Sicut etiam memorabile illud exemplum, in *minimis* nauigiis, e *Noua Zembla* in Belgium perpetratæ

nauigationis, hanc dubitationem plurimum infringit: Cui iungenda est, nauigiorum illorum antiquorum, in *remigio* posita insignis energia, *cum* & *sine* ventis, imo *contra* ventos, progrediendi.

§. XXXIX. *Secundum*, de *magnetis* vsu, quod attinet, tanta *Astronomiæ* peritia, quanta antiquis *nauigantibus* familiaris fuisse legitur, tanto magis sufficere poterat, *Tropico*, imo *Æquatori* appropinquantibus, neque quod nostrates faciunt, *certas* hinc inde insulas, sed sine dubio ipsam terram *continentem* accessuris. Certe vtræque hæ difficultates, non potuerunt impedire, quo minus *Hiram*, ante *Salomonem*, nauigationes longinquas per peritos nautas instituerent, vnde semel in tribus annis aurum adferrent: Profectione absque dubio admodum longinqua. Præter quæ omnia notissimum est, quod in *alto* Oceano longe minor metus sit periculorum nauticorum, quam locis *Freto* vicinioribus.

§. XL. *Tertium* quod concernit, *alimentorum penuriam:* Incidit menti illa suspicio, quod hac difficultate non solum premi potuerint, sed reuera illa pressi atque grauiter *oppressi fuerint*. Nata hæc mihi est suspicio, e consuetudine gentium Americanarum *humana carne vescendi*. Hæc cum in toto antiquo orbe non inueniatur, ex nullo peculiari in-

instituto, sed ex *necessitate* tali, primum suum *ortum* traxisse, non vana coniectura nitor. *Continuatam* vero deinde tanto facilius fuisse suspicor; per illam, quæ pluscculis historiis adstruitur, saporis humanæ carnis gratiam: De qua etiam asseuerasse leguntur aliqui, abusum hunc ausi, quod si homines vulgo nouissent, saporis huius carnis delicias, nunquam sibi ab illa temperaturi essent.

§. XLI. Vnde verisimile duco, tali *necessitate* deprehensos hosce nauigantes, non solum esui huius carnis adactos fuisse; Sed etiam eo ipso, tum necessitatis tantæ memoria, tum facinoris conscientia, a reditu in patriam deterritos, ibi substitisse.

§. XLII. Eiusdem census est, quod incolæ manifesto *nigerrimo* colore differentes, a reliquis dilutioribus ibidem reperti, in dubium vocentur, an a Nigritis *Africanis* in Americam peruenerint? De hoc dubio allegat *Dapper*, quod adhuc aliqua memoria constare dicatur, quod aliquæ rates *Nigrorum* in *Americam* abreptæ sint. Quo nempe inferre vult, originem *Americanorum* illorum Nigrorum, non ab his deduci posse: Quia hi adhuc a memoria aliqua ad posteros porrecta, neque forte valde remota, eo delati, tantam progeniem nullo modo gignere potuerint.

§. XLIII. Sed reuera videtur ipso argumento

merito argumenti obliuisci. Si enim vel proximo quocunque tempore, tempestate in *Americam* traiici potuerunt *Aethiopes*; Cur non etiam aliqua antiquissima ætate, idem contigisse potest?

§. XLIV. De reliquo tanto minus ambigo, quod hodierna *America* fuerit amœna illa regio, ad quam Carthaginenses, *occidentem* versus, *plurimum dierum* itinere, trans mare profecti sint, de qua imprimis *Diodorus Siculus* mentionem facit Lib. V. Quamuis enim πολυμαθέστατος *Rudbekius*, ingenio æque atque studio admirando, uti *Atlanticam*, ita hanc etiam *Diodori* regionem, siue vt vocat insulam *Sueoniæ* vindicare conntatur; Certe tamen plus propemodum in hac una *Diodori*, siue insula, siue quacunque tandem maritima regione, difficultatis inuenit, dum *amœnitates* eius, cum Hyperborearum terrarum conditionibus, conciliare sibi proponit.

§. XLV. Profecto valde serium esse oportuerit, qui a subridendo sibi temperare possit, si audiat quod *amœnissimorum fructuum* ἐκ τῶν ὡραίων δρύων, illecebras, intelligi debere putet, de *pomis sylvestribus*, & *glandibus quernis atque faginis*: Asserens, quod veteres hæc fercula magni fecerint. Quod sane an cuiquam, quantumcunque etiam tandem credulo, persuaserit, merito dubito; Imprimis

mis si monitus sit, quod Carthaginenses, *Phœnitiæ, Tyriæ*, originis, *luxus intemperantiæ, mollitiei* amantissimi, in *Africa, Hispania, Sicilia, Italia, gratissimorum* fructuum abundantia affluentes, *glandes* per tot pericula marium, e terris ad plus quam *quingenta milliaria* Germanica distantibus, accersere, animum certe vix fuerint inducturi.

§. XLVI. Accedit, quod Carthaginenses posthac nauigationem hanc *duobus* de causis plane *prohibuisse* dicantur. Primo quidem, ne *derelicta Africa*, propter præstantiam illius regionis siue insulæ plurimi e Carthagine in illam transmigrare suscipiant: Secundo, ut ad casus fortunæ *vniuersa Carthagini* in deterius forte cedentes, *receptus* in illam regionem pateret.

§. XLVII. Certe an Sueonia tanta ὑπερβολῆ τῆς εὐδαιμονίας, ὥστε δοκεῖν ταύτην ὡσεὶ θεῶν τινῶν ἐκ ἀνθρώπων ὑπάρχειν ἐμβιωτήριον, i. e. *tanta felicitatis abundantia, vt Deorum potius, quam hominum ibi degentium locus existat*, an inquam, Sueonia tali rerum statu prædita sit, aut *meridionalibus* talis videri possit, vti merito dubium videri potest: Ita cum operose probet, quod Sueonia populis ita *abundauerit*, vt illi propterea alias regiones inuadere atque coloniis occupare, necesse habuerint: viderentur pessime sibi consulturi fuis-

fuisse Cathaginenses, si talem locum *refugio totius suæ gentis* conseruare animo destinassent, qui indigenarum suorum abunbantiam non caperet.

§. XLVIII. Profecto videtur hic etiam eximie valere illud Poëtæ:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos,
Ducit, ita, vt memores non sinat esse sui.

Quis enim dubitauerit, quod *migrationes* quæcunque e *Borealibus* terris, in citeriores regiones, longe magis debeantur *bonitati* harum ad meridiem magis vergentium, quam *angustiæ* Borealium: Nisi quod vtique diffusissimæ sylues tres eremi, ita quidem vti sunt, bestiis potius quam hominibus domicilium præberent. Hominibus vero cum ratione conuenire videretur, loca potius & cultiora, & humaniora, itineribus quærere, quam vltimis laboribus, bestiis atque syluis, terram eripere, cuius vix tantus sit vsus, vt paucis hinc inde hominibus *panem* proferre possit. Certe enim nemo prudens alteri, nisi imprudentissimo, serio persuadere susceperit, quod illa ferendorum populorum *incapacitas*, non in eo posita fuerit, quod *illæ terræ locum hominibus præbere non possint, sed quod victum* præbere non possint.

§. XLIX. *Carthaginenses* certe ex Africa sua maritima, siue friuola desertione, siue ho-

stium

ſtium aliqua formidine, ad *Hyperboreos* migrare voluiſſe, ego crediderim *phraſin* eſſe ita *Poëticam*, vt coincidat cum alia ex eadem officina, quaſi nempe dicantur *ad Acherontem*, (aut *Elyſios campos*) nam vtrunque Sueoniæ vindicat ingenioſus author) refugium ſuum cepiſſe: Nempe ſine tropo, *morti* potius ſeſe mancipare voluiſſe.

§. L. Enim vero niſi *Romanos*, Auguſti tempore, omnium mortalium *effæminatiſſimos* fuiſſe arbitremur, e quibus *Ouidius* exilium in *Ponto* vel morte redimendum cenſuit: Quid videri poterit de *Chartaginenſibus*, ſi regiones *Hyperboreas* in vitæ atque fortunarum *ſolatium* quærere debuiſſent? Sed nimius in his eſſe tandem reminiſcor.

§. LI. Placet has obſeruatiunculas ioculari horum generum exemplo concludere, videlicet *ὀδηγία* anxiæ criſeos, quæ occurrit apud *Gerhardum Iohannem Voſſium*, de vitiis latini ſermonis cap. 20. Vbi e legibus Baiuuaricis, tangit vocabulum *Wilz*. Explicat de equo, qualem *velint* homines *mediocris fortunæ*: Quia verba legis habeant *mediocris* equus quem *Wilz* vocant. Putat itaq; *Wilz* eſſe a Germano Willen/ ſiue vt latine loquitur a *velle*. Sed certe defectus eſt notitiæ linguæ Germanicæ in genere, & huius Baiuvarici *accentus* in ſpecie. Vox germanica eſt, nulla euiden-

dentia deriuatiua, ein Füllen: Bauaris & Fühle: Quemadmodum Saxonibus ein Fohlen. Vnde *voluntate mediocrium* hominum, & omni superflua Etymologia, certe nihil opus est.

OBSERVATIO IX.

De CRITERIO VERITATIS IN REBVS MORALIBVS.

Σύνοψις.

De criterio veritatis generatim sententia Epicuri laudatur. §.I. In moralibus criterium veritatis est affectus seu voluntatis perceptio. §.II. Falluntur maximopere, qui criterium boni & mali in intellectu quærunt. §.III. Obiicitur, hoc criterium interdum fallere §.IV. Ad quod respondetur ostenditurque, si recte se habet, nunquam fallere. §.V. Voluntas bonum necessario appetit, malum necessario auersatur §.VI. Omnique prorsus destituitur libertate §.VII. Hinc criterium nostrum confirmatur, asseriturque, illud rem non modo manifestare, sed & certo manifestare. §.VIII. Qui criterium boni & mali in intellectu quærunt, Sceptici sunt, §.IX. Causa hinc redditur, cur homines in vita recte instituenda tam inconstantes sint? §.X. Vtilitas huius doctrinæ ostenditur in vera methodo inquirendi summum bonum §.XI. Cur pauci summum bonum obtineant, cum omnes tamen

men affectus suos sequantur. §. XII. Quaenam intellectus in hoc negotio partes sint? §. XIII. Patet quoque huius doctrinae vtilitas in vera methodo perducendi aliquem ad virtutem, §. XIV. Ethicam dogmaticam exiguum admodum vsum habere inde concluditur, §. XV. Paraenetica illi praefertur: item quid de satyrica docendi ratione censendum, §. XVI. In veritate Religionis diiudicanda hac itidem inuenire locum, §. XVII. Deum non tam intellectu, quam potius voluntate percipi, §. XVIII. Vox cognoscendi in scriptura sacra subinde de perceptione voluntatis & affectu capienda, §. XIX. Hinc colligitur, absonum esse, ad religionem aliquem cogere velle, §. XX. Obiicitur: iuxta nostram sententiam, eum, qui semel ad veram felicitatem peruenit, ea nunquam iterum excidere posse, §. XXI. Ad quod respondetur, & excidere etiam, licet difficulter, posse demonstratur §. XXII. Dicta illustrantur & confirmantur ex Ebr. VI, 4. §. XXIII. Vtilitas huius doctrinae vlterius ostenditur in genuina methodo reuocandi ad meliorem mentem Atheos, §. XXIV. Rationes, quibus vulgo contra Atheos disputatur, quem vsum habeant, §. XXV. Eos omnes qui voluntate & affectu res diuinas non perceperunt, vtvt contra Atheos disputent, Atheis tamen annumerandos esse §. XXVI. Illustratur ex nostra hypothesi locus Act. XVII, 27. §. XXVII. Noua quoque hinc methodus constituitur emendandi Naturalistas proban-

dique veritatem, & necessitatem Christianæ religionis §. XXVIII. Argumenta quæ pro veritate Christianæ religionis afferri vulgo solent, quem vsum habeant. §. XXIX. Contra indifferentismum religionum hæc quoque sententia præsidium firmissimum præbet §. XXX. Itemque contra Fanaticismum §. XXXI. XXXII. Nec scripturam sacram excludit, sed semper pro norma & regula certissima admittit §. XXXIII. Cur homo irregenitus Scripturam S. non intelligat, ex eadem ista hypothesi luculenter ostenditur. §. XXXIV. Ad controuersiarum denique theologicarum numerum imminuendum multum eam conferre demonstratur, & obseruationi finis imponitur. §. XXXV.

§. I.

De criterio veritatis sæpe multumque inter eruditos disputatum fuit, nec tamen res ita confecta, vt non multa addi & emendari possint. Mihi, quod lubens fateor, maxime se hactenus adprobauit sententia Epicuri, triplex Criterium Veritatis constituentis, *Sensum*, *Affectum* & πρόληψιν seu *Anticipationem*. Etenim aut voluntas in homine afficitur per bona scilicet aut mala, grata aut ingrata, aut facultas quædam cognoscens: Si voluntas, illud recte pro bono habemus, quod voluntatem delectat, eamque ad se trahit, illud contra pro malo, quod dolore aut tædio illam afficit, adeoque repelli ac reiici solet. Facultas cognoscens

aut

aut sensualis est, aut intellectualis: in sensuali ipsa euidens sensus perceptio nos de rei veritate dubitare non sinit, adeoque recte in sensu criterium veritatis constituitur. Et huc quidem omnia sensuum obiecta pertinent. Illorum autem, quæ sensibus nullo modo capi possunt, criterium Epicurus in anticipatione constituit: quo nomine propensionem forte quandam & singularem inclinationem assentiendi iis veritatibus denotauit, quæ sensuum facultatem superant.

§. II. Operæ equidem pretium esset, in singula hæc criteria prolixius inquirere; sed hac quidem vice, affectum saltem considerabimus, tanquam verum & genuinum veritatis in moralibus criterium, ipso exemplo demonstraturi, multa in hoc argumento latitare, quæ hactenus a nemine, quantum mihi constat, euoluta sunt & explicata. Per affectum autem hic generatim motum voluntatis aut bonum appetentis, aut malum vel ingratum auersantis, intelligimus. Per veritatem, verum intelligimus bonum. Vnde hæc regula totam doctrinam moralem dirigens, resultat: Quicquid voluntatem hominis ita afficit, vt lædat, vt dolorem aut tædium incutiat, illud non verum, sed apparens potius bonum, imo malum est.

§. III. Hinc statim sequitur criterium veri-

ritatis in rebus moralibus non quærendum esse in intellectu eiusque clara & euidenti perceptione, sed in voluntate. Qua in re multi turpiter & frequenter tamen errant, qui existimant, se bonitatem & prauitatem rei perspectam satis habere, si de ea multos prompte sibi formare conceptus possint, si multa verba facere, aut integros etiam conscribere libros valeant. Enimuero fieri potest, vt hi omnes de re prorsus sibi ignota & nunquam explorata verba faciant, & ingentia conscribant volumina. Simul tamen quid præclari ab hisce expectari queat, quiuis facile intelligit. Exemplo rem declarabimus. Ponamus aliquem, qui nunquam viderit, multo minus gustauerit saccharum. Ad hunc accedat alius, qui de suauissimo sacchari gustu multa narret. Hæc capere ille equidem & aliis iterum narrare potest. Quis autem credat, eum reuera dulcedinem sacchari perspectã habere? Non sane habet: nunquam enim gustavit. Is tamen si multa super hac re philosophari, & disputare, & alios etiam secus sentientes refellere pergat, nonne omnium risui ludibrioque se exponit? Eandem tamen quotidie ludi fabulam videmus, dum unus de rebus quæ solo affectu percipiuntur, & de quibus, aliquid inaudiuit, aut ex aliorum scriptis congessit, alteri tradit, qui rursus de iisdem

rebus

rebus incognitis plurima verba facit, & alios iterum facere docet.

§. IV. Obiiciet fortasse nobis aliquis, fallere interdum hoc criterium, adeoque pro vero criterio habendum non esse, cum experientia ipsa condoceat, eos, qui voluntatis suæ motibus atq; affectibus in deligendo bono inhærent, quã frequentissime, imo semper pro bono vero apparens amplecti, atque turpiter decipi. Namq; hominem voluptati deditum obiecto, quod hunc affectum irritare aptum est, reuera delectari, intimeque voluntatem eius affici, vt vehementi impulsu & cui se resistere non posse putat, ad illud velut abripiatur. Hic ergo si ex affectu boni criterium capiat, necessario iudicabit, voluptatem aut illud, quod voluptatem excitat, bonum esse & ita feretur in præcipitia. Præcipuum autem omnium confessione, criterii requisitum est, vt verum a falso, bonum a malo discernere doceat, & ab omni erroris periculo nos tutos præstet. Et ita etiam in ambitione, auaritia, ceterisque affectibus ad hominis perniciem vel maximo comparatis, se res habet. Paucis: bona in posterum pro malis, & mala pro bonis reputabuntur, si ex affectu hominum verum petendum est criterium: cum per deprauatam mortalium naturam, affectus semper in bonum aliquod apparens feratur.

§. V. Ast declinari facile atque repelli hocce telum potest. In ipsa namque voluntatis perceptione non modo ipsa perceptio, sed duratio etiam eius est consideranda. Quod enim initio equidem suauitate voluntatem perfundit, post dolore & tædio replet, id quis pro bono sane reputare nequit: saltem multis modis postponet tali bono, quod ita delectat voluntatem, vt constanter delectet & nullo vnquam dolore & tædio perfundat. Res declarari quam optime potest exemplo gustus. Huic enim si quid offeratur, quod initio equidem dulcedine titillet palatum, & mox amaritudinem inferat, ecquis mortalium est, qui gustui gratam illam rem & appetendam dixerit? Aut si quis hocce dicat, hunc gustu prorsus deprauato esse, aut contra animi sententiam loqui, omnes profitebuntur. Sic in iis etiam se res habet, quæ voluntatem afficiunt. Hæc, in quantum voluntatem delectant & ad se trahunt, bona sunt: sed in quantum lædunt & offendunt, mala. Quæ autem ita delectant, vt mox grauius lædant, quis hæc bona dixerit? Proinde vt quis intelligat, quæ voluptatem, auaritiam & ambitionem excitant, non esse bona, saltem talia, quibus voluntas acquiescere possit, non necesse est, vt Philosophos consulat, aut vt Platonem aut Senecam euoluat, aut multis ratio-

cina-

cinationibus magno ſtudio excogitatis, hoc ſibi perſuadeat: ſed ſuum ſaltem inſpiciat animum, ſuam conſideret voluntatem, & quid in ea ſentiat, cogitet. Quam eſt ridiculum & ineptum conſulere velle Philoſophos, aut Medicos, aut alios viros doctos, cum quæritur, num res aliqua guſtui grata aut ingrata ſit, tam etiam ineptum & ridiculum eſt, quando de bono & malo quæſtio eſt, alium quàm ſe, ipſum, ſuique animi perceptionem conſulere velle.

§. VI. De voluntate namque, qua bonum malumque percipimus, & illud appetimus, hoc auerſamur, ita cenſeo, eam illius eſſe conditionem indolemque, vt bona neceſſario appetat. Vt magnes ferrum neceſſario ad ſe rapit, ſi nulla intercedunt impedimenta: ſic quæcunque bona voluntatem afficiunt, ad ea ſua natura voluntas ita inclinatur, vt neutiquam homini integrum ſit, ea non appetere. Hoc facile vnumquemque ipſa experientia docet & conſideratio eorum, quæ quisque in ſe ipſo quotidie euenire animaduertere poteſt. Huic ſi quis fidem adhibere nolit, cum eo ne diſputandum quidem vlterius, cenſeo. Certisſima hæc eſt ratio veritatis aliquem conuincendi, quoties ſermo eſt de animæ noſtræ facultatibus, vt ſe ipſum quis exploret. Si ea in ſe deprehendat, quæ reliqui profitentur-

tur, bene eſt. Sin, ſuo abundet ſenſu. Nec enim video modum liberandi illum ab errore, ſiquidem debitam diligentiam & patientiam in omnibus mentis ſuæ motibus explorandis non adhibeat.

§. VII. Non me mouet, ſi forte te male habeat, quod homo ita omni libertate priuetur. Quid enim ſi hoc concedam? Non video quid inde ſequatur abſoni. Primo namque ſi verum bonum, Deus ipſe ſit, qui hominis voluntatem ad ſe rapiat, feliciſſimam eſſe hanc libertatis iacturam, quilibet, rem recte ſecum reputans haud difficulter conceſſerit. Libertatem a Deo diſcedendi, Angelis bonis & hominibus ad perfectam beatitudinem translatis, omnes abiudicant. Recte quidem. Num autem ideo deterioris ſunt conditionis, quod Deum non amare nequeant, hoc eſt quod neceſſario ſint felices! Quod autem ad eos attinet, qui prauis adhuc cupiditatibus aguntur in tranſuerſum, quid obſtat, quominus eos omni prorſus libertate deſtitutos dicam? Videntur ſane in externis habere libertatem aliquam, dum metu pœnæ ſpeque præmii euitant grauiora delicta, ſed videntur: reuera nullam habent & in miſerrima ſeruitute ſunt conſtituti. Hoc ita explico: Homo ſibi relictus, nec diuina gratia colluſtratus, bona quæuis apparentia, ſiue ad voluptatem, ſi-

ve

ve ambitionem, siue auaritiam inuitent, necessario amat. Namque veri boni non habet gustum, hoc non percipit. Quæ autem percipit, ad ea necessario fertur. Fieri itaq; potest, vt cum varia sint bonorum apparentium genera, vna magis afficiatur, quam alia. Hinc cum ad vnum potius inclinatur, quam ad aliud, non existimandum, quod vnum præ alio eligat, sed quod vnius maior in animum eius vis sit, quam alterius. Ponamus ergo, metu pœnæ vel spe præmii aliquem deterreri a crimine perpetrando. Hoc non ideo fit, ac si is libertate gaudeat pœnæ euitationem aut præmium potius eligendi, quam delicti perpetrationem: sed quod bonum istud, quod per pœnæ euitationem vel præmium se consequi putat, maiorem in animum eius vim habet, quam bonum, quod per delicti perpetrationem se impetraturum credit. Rapitur itaque in diuersas partes diuersorum bonorum repræsentatione, ipse omni prorsus libertate destitutus. Vnde simul patet, quod leges, pœnæ, & præmia locum nihilosecius habeant, licet omni libertate etiam in externis homo careat. Inseruire enim determinandis in aliam partem hominum affectibus possunt, ne erumpant in flagitia, humani generis societatem perturbare apta.

§. VIII. Hinc ergo concludo: ut homo

aliquid velit, necesse esse, vt illud tanquam bonum percipiat, nec sufficere, vt saltem ratiocinatione hoc bonum esse intelligat: imo si percipiat rei bonitatem, necessario in illud bonum eum ferri, vt illud non appetere nequeat. Atque inde nunc nouum argumentum ad meam sententiam comprobandam capio. Etenim ad criterium requiritur, ut non tantum rem aliquam manifestet, sed vt certo etiam manifestet, ita vt nullus dubitandi supersit locus, ita rem se habere, prout per criterium nobis fuit manifestata. Hanc certitudinem de rei alicuius bonitate non intellectus, sed voluntas & affectus nobis subministrat. Quantumuis validæ sint rationes de rei bonitate, si voluntas eam non perceperit & velut gustauerit, nihil proficient, quotiescunq; obiectum contrarium adest, quod voluntatem ad se rapiat. Experientia ipsa hoc nos condocet. Quam multi rationibus clarissimis conuicti sunt, intemperantiam omnem fugiendam, virtutem contra & temperantiam consectandam. Et sane quamdiu nullum, quod illos sollicitet, obiectum adest, egregie sibi philosophari videntur. Quamprimum autem affectus irritantur per obiecti præsentiam, aut aliis causis, cedant rationes, valeat philosophia, facessant procul omnes demonstrationes, velut

impe-

impetu eo rapitur homo quorsum prædominans affectuum vis impellit. Quæ causa? quia scilicet maior vis est perceptionis, & gustus, quam ratiocinationis.

§. IX. Non ergo erraverim, si dixerim, eos omnes, qui bonitatem virtutis non percepe-runt, & velut gustarunt, in perpetuo versari *Scepticismo morali*. Nec mirum: deest enim illis verum bonitatis criterium. Si quis saccharum non gustauit, ille de dulcedine sacchari nullam habet certitudinem. Et quam facile est variis rationibus illi persuadere, saccharum esse dulce, tam quoque erit facile illi persuadere, saccharum esse amarum. Nec obstat, quod omnes dicant virtutem esse rem bonam, Deumque optimo iure summi boni titulum nomenque promereri. Primo enim dicunt, sed non credunt. Deinde, quia nemo aperte contrarium docere audet, quid mirum, quod nemo secus sentiat! licet huius rei veritas ei certo non constiterit. Denique periculum afferret, palam animi sui profiteri sententiam. Dicunt ergo, quod omnes dicere audiunt: sed cuius veritatem sibi non constare, ipsa vita moribusque comprobant. Hinc nunquam sibi constant & certa prorsus morum regula destituuntur: vno verbo: Sceptici sunt, licet minime nec sibi nec aliis videantur. Latius sane iste Scepti-

pticismus practicus regnat, quam vllus forte cogitauerit.

§. X. Resultat inde summa mortalium, quam quotidie videmus & deploramus *inconstantia*. Si quis sensibus externis, visu, auditu, gustu rem clare percepit, is a veritate cognita nunquam se dimoueri patitur. Si quis sacchari dulcedinem gustauit, si etiam omnes Philosophi accederent demonstraturi infinitis Syllogismorum ambagibus, saccharum non esse dulce, ridebit illos homines, etsi respondere non posset ad illorum argutias, quia sacchari dulcedinem gustauit. Eodem modo si quis veri summi boni particeps factus est, eiusque criterium in voluntate non in intellectu habeat, non curabit Sophistarum voces, non mouebitur rationibus, aut argumentationibus. Sufficiet ei quod dulcedinem summi boni gustauerit. Secus longe autem se res habet in illis, qui hanc suauitatem non gustarunt. Quiduis illis facile persuaieris, modo hoc commodis suis & cupiditatibus non obstare videant.

§. XI. Satis, puto, veritatem meæ sententiæ demonstraui. Nunc quanti momenti sit hoc probe tenere, paucis edisserendum. Et primo quidem hinc clare intelligitur, quænam sit vera *methodus inquirendi summum bonum.* Hoc omnes nauibus atque quadri-

gis

gis petunt. Paucisſimi obtinent. Volunt enim intellectu inueſtigare ſummum bonum, quod ipſa voluntate explorandum erat. Non certior via, quam ea, quam ipſa affectuum monſtrat perceptio. Hæc nos conuincit, omnibus rebus creatis plus tædii & doloris, quam voluptatis aut delectationis, ineſſe, adeoque earum poſſeſſionem neutiquam hominem felicem reddere.

§. XII. Cur ergo, inquis, tam pauci ſummum bonum inueniunt? cum omnes ita affectuum ſuorum ductum ſequentes hoc facillime inuenire poſſent. Imo neceſſario deberent. Ego vero arbitror cauſam huius rei nemini, naturam hominum penitius introſpicienti, obſcuram eſſe poſſe. Etenim ſentiunt quidem homines affectuum ductum ſequentes ea bona quibus delectantur, non eſſe vera bona; ſed quia viam rationemque meliora conſequendi neſciunt, aut eam ingredi nolunt, & tamen voluntas eorum ita comparata ſit, vt appetitu inſatiabili bonis quibusdam fruendi ſit prædita, hinc apparentibus illis & tranſitoriis bonis nunquam non ſeſe paſcunt. Contingit illis quod hominibus famelicis, qui quiduis deglutiunt, quantumvis ingrati ſaporis, ne fame pereant. Deus equidem per immenſam ſuam miſericordiam per, filium ſuum hominibus media propoſuit, qui-

quibus si vti vellent, facile verum illud, quo mentem suam exsatiare possent, consequerentur bonum: sed respuunt hæc media plerique, partim quia præsentia, quantumuis deteriora per congenitam hominibus ignauiam futuris vtut præstantioribus præferunt, partim, quia gustus illorum, vt ita loquar, ita consuetudine deprauatus est, vt iam cibis ingratissimi saporis, hoc est, incommodis suis atque molestiis delectentur, qui supremus est miseriarum gradus.

§. XIII. Si quæras, an intellectus nullæ prorsus in hoc negotio partes sint: ita habeto: esse quasdam, sed secundarias, vt instrumenti esse solent. Oculi namque etiam deligendis & parandis cibis inseruire solent, quorum nos delectat sapor: oculis tamen non ciborum suauitatem percipimus, sed palato & gustu. Sic intellectu dignoscimus & diiudicamus quodammodo res, quibus affici voluntas queat, & de mediis dispicimus, quibus voluntas ad fruitionem bonorum, perducatur. Sed bona tamen voluntate seu affectu sentimus, & percipimus, & velut gustamus, non intellectu.

§. XIV. Rursus & quidem secundo hinc intelligitur, quænam sit *vera methodus ad virtutem aliquem perducendi.* Vera Virtus ex amore Dei fluit. Adhortandus itaque saltem

tem homo est, vt sedulo attendat ad ea, quæ in ipsius mente contingunt. Si sentiat & ita plane per se ipsum conuictus sit, per rerum creatarum fruitionem se neutiquam felicem & beatum fieri: adhortandus est, vt periculum faciat & per media a Sacra Scriptura proposita, veram cum Deo vnionem quærat. Quamprimum ineffabilis huius boni suauitatem gustauerit, iam omnia consecutus est. Non necesse itaque erat, multa de virtute, de summo bono, ceterisque, de quibus multa disputari solent philosophari. In hoc incumbendum, huc omnes vires intendendæ, omnia consilia conferenda, vt *gustemus* hocce bonum. Hocce impetrato sua sponte animus in illud feretur, semperque illud appetet, imo non poterit non appetere.

§. XV. Libere ergo & palam profiteor, *Ethicam dogmaticam* hoc quidem respectu exiguum admodum habere vsum. Si enim aliquis accurate teneat omnes Philosophorum de bonis & malis, de natura hominis & facultatibus mentis, de affectibus, de remediis vitiorum sententias, sique de his omnibus ita disserere queat, vt omnes in stuporem & admirationem sui rapiat, cum tanto tamen eruditionis apparatu infelix admodum, imo miserrimus esse potest. Nec harum rerum scientia per se aliquid confert ad possessionem.

nem aut fruitionem illius boni: imo sæpius eam impedit, dum tempus in inutilibus hisce speculationibus terimus quod longe rectius explorandis & perscrutandis nostris defectibus, qui primus gradus est, ad veri boni gustationem, impenderemus.

§. XVI. Ethicæ autem parænetica longe maius pretium statuo: qua etiam antiquissimis temporibus vsi sunt mortalium sapientissimi. Per eam enim intellectus subtilibus & prolixis meditationibus non inuoluitur, nec ad ἀλλότρια rapitur, sed voluntas ipsa, atque affectus mouetur tum ad tædium boni apparentis, tum ad suauitatem boni veri eo rectius percipiendam. Quia autem per naturam gustus mentis nostræ, vt ita dicam, valde corruptus & deprauatus est, solæ parænefes rem non conficiunt, sed aliis insuper mediis opus est, vt alibi docemus. Qui per reprehensiones acriores aut Satyras hominum corrigere & emendare mores sustinent, hactenus quidem dogmaticis præferendi sunt, quod voluntatem magis, quam intellectum mouent. At tamen quia eiusmodi Scriptores suam simul ambitionem produnt, exemplo nocent, & iram quoque interdum prouocando simul impediunt, quicquid ceteroquin ex illorum instituto sperari boni poterat.

§. XVII.

§. XVII. Transferenda etiam omnino ad religionem sunt, quæ hactenus de criterio veritatis in moralibus disputauimus. Idem enim scopus est, moralem philosophiam & theologiam, quæ de vera religione præcipit, tractantibus, perducere homines, miseria obrutos, ad veram felicitatem. Ad quod obtinendum philosophi quidem infirmo rationis lumine nituntur, theologi autem clariori reuelationis. Obiectum tamen vtrobique idem est, hominum miseria & felicitas. Quemadmodum & in eo facile consentiunt, veram hominis felicitatem absolui summi boni possessione, hoc est fruitione Dei.

§. XVIII. In eo autem longe plurimi turpiter aberrant, quod existimant, Deum intellectu, non voluntate percipi. Ego autem secus arbitror, Deum voluntate potius, quam intellectu percipi. Et hanc demum perceptionem, quæ fit voluntate, veram illam esse & genuinam, quæ hominem ad sincerum Numinis amorem excitat, in quo verus etiam Dei cultus veraque consistit religio. Nec est quod quis arbitretur, noua me hic & inaudita proferre. Scriptura S. diserte idem docet, quando *gustandum esse Dominum* dicit. *Gustate Dominum, quam sit bonus. Psalm. XXXIV. v. 9. I. Petr. II. 3.* Gustus hicce spiritualis nihil aliud est quam ista, quam innuimus, voluntatis perce-

ptio, seu sensatio, vt ita loquar, quæ quid sit, rectius per experientiam vnusquisque discit, quam vt multis verborum ambagibus & definitionibus explicari queat.

§. XIX. Atque intellexerunt hoc quodammodo ipsi Scripturæ Interpretes, qui obseruarunt, *cognoscendi* voce haud raro non solum intellectus vim, sed affectum insuper in Scriptura S. designari, idque maxime cum de rerum diuinarum cognitione sermo est. Sic quando *Ioh. XVII. 3.* dicitur: hæc est autem vita æterna *si te solum cognouerunt verum Deum & quem misisti Iesum Christum*, manifestum est, quod cognitio intellectus ibi neutiquam possit intelligi. Quam multi enim sunt, qui infinitos de rebus diuinis sibi conceptus formare possunt, & de hisce conceptibus ingentia conscribere volumina, cum ipsi tamen suarum cupiditatum sint serui, adeoque longe miserrimi. Num tu hosce æterna frui vita, summaque beatitudine dixeris? Contra qui gustauit Deum atque Christum, ille non potest non vehementissimo in illum ferri affectu, adeoque necessario felix est atque beatus. Ex ista enim cum Deo coniunctione summa animi tranquillitas, gaudiumque perenne, & quicquid hominem beatum reddere potest, fluit.

§. XX. Quemadmodum autem, qui bonum

num aliquod gustarunt, necessario illud quoque appetunt, vt antea demonstraui, ita sane qui Dei bonitatem semel gustarunt, eodem modo illam non appetere nequeunt, vt contra quamdiu non gustarunt, perceperunt tamen transitoriam bonitatem rerum creatarum, necessario ad hanc appetendam rapiuntur. Vnde sane liquido patet, quam absonum sit, & ab omni prorsus ratione alienum, ad religionem aliquem cogère velle. Si quis rem svavem esse gustu ipso deprehendet, sua sponte etiam hoc confitebitur, & eius appetet fruitionem. Contra quamdiu hoc non deprehendet, nec ipso gustu conuincatur, metus & minæ hoc tandem efficiunt, vt contra animi sui sententiam profiteatur, se aliquid tanquam dulce percipere, ast vt serio sibi hoc persuadeat, adduci nullo modo poterit. De gustibus non esse disputandum, in prouerbium abiit: multo minus ad gustum aliquis cogi potest. Potest sane aliquis cogi vt cibum capiat, aut aliud quid palato admoueat: ast posito, gustui eius quod sumit amarum videri, hoc, vt dulce videatur, si quis metu & minis se impetraturum credat, næ is omnium se exponeret ludibrio. Et idem sane faciunt, qui homines ad religionem cogere instituunt. Est enim, vt paucis dicam, religio nihil aliud, quam gustus rerum diuinarum.

§. XXI. Si ita, inquis, se res habet, ergo qui semel bonitatem Numinis gustarunt, hoc est qui semel Christiani facti sunt, necessario Deum amabunt, adeoque hanc nunquam iterum amittere poterunt felicitatem: id quod tamen experientiæ quotidianæ, & Theologorum scitis repugnat. Ast ad experirntiam quod attinet quotidianam, eam hic admodum fallacem esse arbitror. Hoc equidem, fateor, experientia docet, quod multi qui speciem veri Christianismi præ se tulerunt, mox seculi iterum illecebris abripiantur, aganturue in transuorsum. Ast quis præstabit, hos veros fuisse Christianos? hos rerum diuinarum gustasse reuera suauitatem? *Scita* Theologorum admitto, quousque cum Scriptura S. conueniunt. Sed cum hisce tamen conciliari facile nostra hypothesis potest.

§. XXII. Enimuero certum est, eum, qui bonitatem & suauitatem rei percipit, quamdiu percipit, eam necessario appetere & amare. Quid vero si gustus corruptus sit? si quid intercedat quod impediat, quominus eius percipiat suauitatem? Tum sane contingere potest, vt quis fastidiat, ex quo maximam antea peceperat delectationem. Magnes ferrum ad se trahit: sed si quid intercedat, quod Magnetis vim impediat, motus cessat. Sic voluntas nostra Dei bonitate semel percepta,

ad

ad eam rapitur, aſt ſi obſtaculum ponatur, ſi intercipiatur iſta bonitatis communicatio, quid mirum, ſi ad hoc ſuæ felicitatis centrum moueri deſinat? Nimis multa autem in homine adſunt impedimenta, quæ niſi ſedulo remoueantur, hac eum priuare poſſunt felicitate. Guſtus eius per naturam, educationem & conſuetudinem corruptus eſt, vt incommoda & acerbitatem rerum mundanarum non ſemper ſentiat, aut interdum ſuauitatem etiam ex iis capiat. Hinc quando incipit bonitatem Dei guſtare, guſtus iſte leuis tamen adhuc eſt, nec animum ſatis interdum afficit, vt non quandoque rerum caducarum deſiderium eum inuadat. Eſt tamen magna hic hominum diuerſitas; cum in quibusdam multo acrior ſit, animumque amor iſte Numinis ita percellat, vt ſordeant res omnes caducæ, nihilque aliud niſi tædium & maximam moleſtiam creent. Quæ cum ita ſint, ratio patet, cur nonnulli amittere iterum verum rerum diuinarum guſtum, & ad ſuam redire facile poſſint perniciem.

§. XXIII. Interim hoc tamen certum eſt, ſi quis iuſtum gradum in guſtu rerum diuinarum conſecutus fuerit, hunc haud ita facile adduci poſſe, vt rerum terreſtrium iterum capiatur amore. Quod ſi fiat, ſumma malitia, incuria & negligentia accedat oportet.

Vnde inidoneos eiusmodi homines seipsos reddunt, quibus iterum Deus tam facile se impertire queat. Atque hinc lucem ni fallor, capit, illud Apostoli ad Ebr. VI. 4. seqq. *Fieri non potest, vt qui semel collustrati cæleste donum gustarunt & participes fuerunt Sancti Spiritus: præclaraque Dei dicta & æui futuri virtutes gustarunt: Et tamen relabuntur, ii iterum vitæ correctione renouentur: qui sibi Dei filium crucifigunt & in eum exemplum edunt.* Hic initio illud probe obseruandum, quod plane ad mentem nostram religio Christiana describatur *per gustum*: qui *semel collustrati cæleste donum gustarunt*. Deinde quod diuersi gradus huius gustus statuantur. Namque non sine prægnanti ratione additur: *Præclaraque Dei dicta & æui futuri vires gustaruut*, quo ipso supremus veluti huius felicitatis, quæ quidem in hac vita hominibus obtingere potest, gradus designatur. Porro quod de his etiam qui huncce gradum consecuti sunt, asseratur, tamen eos relabi posse. Et denique quod *ἀδύνατον* sit, vt vitæ correctione iterum renouentur, propter incorrigibilem scilicet mentis peruersitatem. Culpa itaque non penes Deum est, qui per naturæ suæ summam perfectionem non potest non cum omnibus ad hoc paratis, se vnire, sed penes ipsos homines qui sua malitia in eum statum se præcipitant,

vt

vt ex sua emergere nequeant miseria. Nimirum si quis data opera gustum suum corrumperet & deinceps culpam in saccharum reiiceret, ac si hoc non esset dulce, nonne is omnium iudicio insanus & mentis suæ non satis compos pronunciaretur? Sic & homines ad caduca hæc iterum se conuertentes, suum gustum corrumpunt; hinc quod miseri euadant & infelices, non Deo, sed ipsis imputandum est. Hoc ipse Apostolus eleganter exemplo agri declarat, qui si sterilis sit & nullum amplius fructum ferat, agricolæ imputari nequit, quod ab eo tandem prorsus negligatur. *Nam, terra quæ imbrem sæpius in se venientem combibit & herbam parit illis accommodatam, propter quos colitur, ea Dei fauore felicitatur. At quæ spinas effert & tribulos, improba est, & affinis execrationi ad extremumque exurenda.* Accedit enim ad hæc iustissima Dei ira, eiusmodi hominem, tam proterue in suam se dantem perniciem, deserentis.

§. XXIV. Probe autem hæc si teneantur, obuiam iri facile quam plurimis, qui animos hominum occuparunt, erroribus potest. Inter hos & illum refero: quod existimant disputationibus & subtilissimis ratiocinationibus Atheos ad meliorem mentem reuocari posse. Hinc tot hactenus conscripta sunt contra Atheos volumina, & quotidie con-

ſcribuntur, quibus tamen nihil proficitur. Ego, vel vnicum Athei exemplum mihi commonſtrari vellem, qui conuictus diſputatione eiusmodi, & ad meliorem ſententiam traductus ſit. Credo equidem, quod ſi diſputationi vim & pœnæ metum adiunxerunt, nonnulli eo perducti ſint, vt ore Deum profiterentur, impiumque eiurarent errorem. Aſt quod conuicti plane ſint ac certi de exiſtentia ſupremi Numinis redditi, hoc eſt, de quo dubito. Ergo, inquis, Athei ſibi relinquendi & ab execrabili non liberandi errore ſunt? liberandi ſane ſunt, ſed alia incedendum via, alia adhibenda methodus. Namque ſi diſputationum campum cum iis ingredi vis, nunquã deerit quod excipiant, ſpeculationibus etiam & contemplationibus immerſi, impedientur ſaltem ad animæ ſuæ miſeriam attendere, quæ tamen prima ad illorum emendationem via eſt. Hinc eiusmodi diſputationes non inutiles modo, ſed interdum noxiæ ſunt. Ego non aliam video rationem emendandi, & ad meliorem mentem reducendi Atheum, quam vt paucis demonſtretur, Deum voluntate rectius, quam intellectu percipi, & intellectus certitudinem dependere ab emendatione voluntatis: exploret ergo ſe ſerio, an veram animi tranquillitatem poſſideat, & cum citra controuerſiam deprehenſurus ſit, ea ſe carere,

re, iubeatur Deum quærere, donec eius possessione & fruitione plene conuincatur. Si obtemperet monitis tuis & adhortationibus (nam a disputationibus abstinere consultius fuerit) bene est; sin, nihil aliud superest, quam vt pro eiusmodi homine longe miserrimo preces ad Deum fundamus.

§. XXV. Ergone, pergis, contemnendæ plane sunt istæ rationes, quibus Philosophi tam acute, tamque eleganter, summi Numinis existentiam probarunt. Non sane: sed recte vsurpandæ sunt. Eæ rationes si caute & sobrie proponantur, id efficere possunt, vt attentionem in Atheo excitent, vtue in eam illum inducant sententiam, rem dignam esse, in quam præiudicatis opinionibus procul facessere iussis, inquirat. Hæc opinio, si in illo excitata fuerit, & tum ille a speculationibus subtilioribus ad practicam, simplicemque miseriæ suæ considerationem perducatur, tum spes aliqua affulgere alicui potest, ex inferni faucibus miserum eripiendi. Intellexit hoc, credo, Anglorum Theologus doctissimus Richardus Bentleius, qui contra Atheos disputaturus, initium fecit a miseria & stultitia Atheorū. vid. Bentleii *Irrationabilitas & Stultitia Atheismi Orat. I.* Recte quidem. Si quid enim disputationes proficiunt, hæ sine dubio efficacissimæ sunt, quibus miseriæ suæ

& ſtultitiæ conuincuntur, vt ita tandem adducantur ad quærendum Deum, eumque tandem guſtandum; quæ vnica ratio eſt ex omnibus dubiis & incertitudine eluctandi.

§. XXVI. Quid vero mirum, quod ſucceſſu fere careant ſuſceptæ contra Atheos diſputationes, cum forte plerique, qui contra Atheos diſputant, in eandem claſſem ſint referendi, licet ipſi hoc non credant, nec ſibi perſuadeant. Plerique enim, qui tantos contra Atheos clamores excitant, theoreticam ſaltem habent de Deo notitiam, quæ ſi cum guſtu Dei conferatur, incerta eſt & infirma. Imo fidenter dico & citra ambages, qui non guſtauit Deum, & voluntate percepit, quantumuis multa contra Atheos diſputet, ipſe Atheus eſt. Audaciam meam accuſas? ecce idem dixit Ioannes Apoſtolus: *qui non amat, non nouit Deum; nam Deus amor eſt. 1. Joh. IV. 8.* Nihil luculentius ad noſtram ſententiam confirmandam dici poterat. Amor Dei ex eius guſtu oritur, & qui guſtauit Deum, eum neceſſario amat. Is ergo, qui guſtauit Deum, vt ita dicam, adeoque eum amat, Deum etiam nouit; Qui autem non guſtauit, adeoque non amat, non nouit Deum, adeoque & Atheus eſt. Manifeſtum ergo eſt, atheum eſſe poſſe, qui firmiſſime ſibi perſuadet

det, se credere Deum, & quotidie quam subtilissime contra Atheos disputat. Vnde & hoc rursus intelligitur, cur gentiles in Scriptura S. athei dicantur. *Quamobrem mementote*, inquit Apostolus, vos *in illo tempore fuisse sine Christo, ab Israelitica republica alienos, federibus promissionis carentes, spem non habentes & DEI EXPERTES in mundo*, hoc est, plane Atheos. *Eph. II, 12.* Num existimamus nullam plane Ephesios de Deo habuisse notitiam? Vix hoc sibi quisquam persuaderi patietur. Et nihilosecius fuerunt Athei. Ratio: quia non gustarunt & voluntate perceperunt Deum. conf. liber. cui titulus: *le Chretien Philosophe. p. 152.* ubi autor recte & egregie dicit: *Atheismum esse extinctionem motuum, per quos sentimus* (sentimus, inquam, non intelligimus saltem) *existentiam Dei.*

§. XXVII. Quod vero antea §. XXII. dixi, argumenta quibus probatur existentia Dei, hunc potissimum usum habere, vt iis præparetur animus ad quærendam perceptionem, seu fruitionem Dei, per quam solam plene & firmiter de Dei existentia & perfectionibus aliquis conuinci queat, hoc confirmari pariter ac illustrari potest ex sermone Pauli Apostoli *Act. XVII, 27.* Argumenta hactenus selectissima attulerat Apostolus, quibus probari existentia Dei quam accuratissime potest

teſt. Quorſum vero iſta? vt intellectus ideas quasdam atque conceptus de exiſtentia Dei ſibi formaret? hoc ad certitudinem non ſufficere arbitratur Paulus. Vt *quaererent*, inquit, *Dominum ſi forte eum* CONTRECTARENT, *& invenirent*. Is ergo eum inuenire dicendus eſt, qui eum *contrectat*, hoc eſt tam certo percipit ſenſatione voluntatis, ac is, qui corpus ex tactu & contrectatione percipit. Eſt enim manifeſtum, quod quaedam verba ſenſuum, vt *videre* & *audire* magis intellectum, alia vt *guſtare*, *palpare*, *contrectare*, magis voluntatem & intimam mentis perceptionem adumbrent. Atque hanc eſſe Apoſtoli mentem, ex ſequentibus conſtat. Intime enim Deum omnibus praeſentem eſſe docet. *Quanquam non procul ab vnoquoque noſtrum remotum: cum in eo viuamus, & moueamur, & ſimus*. Vt enim intellectu percipiamus Deum & certas ideas atque conceptus de eo nobis formemus, ad hoc non neceſſe eſt, vt intime omnibus praeſens ſit. Aſt vt voluntas cum eo vniatur, & ita bonitatem eius percipiat, & guſtet, ad hoc omnino neceſſe eſt, vt omnibus intime praeſens ſit, cum aliquis vere & realiter cum re abſenti vniri nequeat.

§. XXVIII. Proxime ad atheos accedere videntur, qui Numinis equidem exiſtentiam profitentes, Chriſtianae tamen religionis in du-

dubium vocant aut veritatem, aut necessitatem, in ipsa natura se viam & rationem perveniendi ad salutem, inuenire, existimantes. Atque hi quidem vulgo *Naturalistarum* nomine veniunt. Nec defuerunt, qui eruditis commentationibus, illorum errori obuiam ire & cumprimis Christianæ religionis veritatem demonstrare, conati sunt. Ecquis vero est, qui Hugonis Grotii de veritate Christianæ religionis librum ignoret? cui omnes ferme palmam in hoc scribendi genere, tribuunt. Ad me quod attinet, in eo cum reliquis facile consentio, eruditum huncce Grotii librum esse, & multiplici doctrina refertum, vt omnia eius viri scripta. An ad Christianæ religionis veritatem agnoscendam eo vllus sit adductus, ego quidem nescio, & si palam dicere licet, quod sentio, dubito. Non accuso Grotium ac si male caussam optimam egerit: sed an hac methodo conuinci plane Naturalistæ aut Ethnici queant, quæ tamen solennis est & omnibus eruditis frequentata, id quidem est, de quo me dubitare profiteor. Etenim ita arbitror, Christianæ religionis criterium non in intellectu, sed in voluntate quærendum esse. Adeoque si quis omnia argumenta, quibus veritas Christianæ religionis demonstratur, ad vnguem vsque calluerit, & ne minimum quidem

dem in intellectu suo hac de re, superesse scrupulum existimauerit, si tamen gustu mentis hanc veritatem non deprehenderit, dubius erit & incertus, quicquid etiam dicat. Hoc ipse statim experietur, modo positis paulisper opinionibus præiudicatis, paulo profundius in animi sui penetrare recessus sustinuerit. Quid multis? longe aliam methodum probandi veritatem Christianæ religionis tradidit nobis Seruator *Ioh. VIII. v. 16. Mea doctrina mea non est, sed eius qui me misit, Si quis volet eius voluntati parere, cognoscet de doctrina, vtrum ea sit a Deo, an ego mea sponte loquar.* Quæstio ibi erat de veritate doctrinæ Christi. Hanc vt probaret Christus, non argumentis, ex philosophiæ aut historiarum recessibus petitis vsus est, sed adhortatus est auditores suos vt ad verum doctrinæ hujus criterium attenderent; hoc autem criterium erat: *Si quis volet Dei voluntati parere, cognoscet de doctrina, vtrum ea sit a Deo?* hoc est, si quis gratiæ diuinæ se permittit, vt remotis cupiditatum impedimentis, bonitatem Dei gustare incipiat, & ita voluntati diuinæ se submittat, tum ex hocce gustu rerum diuinarum cœlestiumque bonorum conuincetur & certus euadet, hanc doctrinam veram esse & a Deo profectam. Et ita sane est, si quis cruciatus & angores conscientiæ ob

com-

commissa peccata non intellexerit, sed expertus fuerit; si quis solatium quod tum doctrina de Christo Seruatore affert, non prolixis speculationibus contemplatus fuerit, sed reuera senserit & gustauerit; is demum certus euadet de veritate religionis Christianæ: imo maiorem certitudinem consequetur, quam omnes demonstrationes, etiam mathematicis euidentiores; affere potuissent. Proinde hæc vera est & genuina methodus de veritate Christianæ religionis aliquem conuincendi, vt adhortationibus adducatur ad mentis suæ miseriam explorandam & agnoscendam: atque huic si remedia ipse quæsiuerit, nec alibi quam in Christiana religione inuenerit, tum demum ipsa experientia atque gustu, vt ita dicam, conuincetur, vera esse quæ hæc religio profitetur.

§. XXIX. Nec tamen ideo statim reiicio aut contemno argumenta, quæ ad veritatem Christianæ religionis comprobandam erudite sunt excogitata. Idem de illis sentio, quod supra de argumentis, quibus contra Atheos vti solemus, pronuntiaui. Præparari iis quodammodo animus potest, vt eo facilius adducatur ad media adhibenda, quibus deinceps ad verum rerum diuinarum gustum perueniat; conuinci prorsus nequit. Etenim nostra natura tam corrupta est, vt difficulter

ad-

adducatur ad miseriam suam deferendã, proinde omnia, quæ potest, illis opponit, qui eam corrigere & emendare annituntur, cumprimis autẽ rationem in subsidium vocat, quæ si dubia quædam contra id, quod proponitur, mouere queat, longe illud gratissimum est homini deprauato. Hæc itaque obstacula vt remoueantur, illorum omnino aliquid conferre philosophia potest, quæ veritatem Christianæ religionis variis argumentis comprobat. Declarari res omnis exemplo potest. Aegrotus, quod medicamentum, quod illi propinatur, sanitatem allaturum sit, certo priusquam experiatur, scire nequit. Hoc cum insuper non gratum sit palato, varias excogitare equidem potest rationes, quibus evincat, non sumendum esse medicamentum, quia adhuc dubium incertumque sit, an per illud sanitatem sit recuperaturus, aut quia nullum morbo insit periculum, & si quæ alia sunt eiusdem commatis. His si quis alias rationes opponat, quibus demonstret, errare omnino ægrotum, qui vires, quibus medicamentum pollet, ei abiudicet aut morbi naturam indolemque ignoret, non quidem hoc ipso sanitatem ægroto conciliat; efficit tamen, vt eo facilius medicamentum sumat, quo restitui sanitati queat.

§. XXX.

§. XXX. Longe firmissimum porro hæc doctrina nobis suppeditat præsidium, contra *Indifferentismum*, vt vocant, religionum. Etenim qui ipsa experientia & intimo velut gustu conuictus didicit, in sola Christiana religione afferri, quæ animum boni infiniti cupidum exsatiare possint, ei sane neutiquam perinde esse potest, num huic, an Ethnicæ, aut Iudaicæ vel Mahumetanæ religioni sit addictus. Sed cum Christiana religio iterum in diuersas distracta sit sectas, quænam inter hasce amplectenda sit, quam rectissime diiudicabit, si huius criterii ductum sequatur. Ast hoc cum absonum forte quibusdam videri possit, paulisper nobis declarandum est. Bonum quod mouere voluntatem debet, necesse est vt ad voluntatem etiam pertingat, ea quidem efficacia, quæ ad sufficienter eam mouendam requiritur. Sic quæ appetitum sensitiuum mouere debent bona, nisi sensus externos percellant, & ita quidem, vt voluptatem aut dolorem ex iis mens capiat, nihil efficient. Fructum arboris vetitæ si e longinquo saltem primi parentes conspexissent, aut si is inuolucris quibusdam tectus illorum oculis subtractus fuisset, nunquam, credo, eum appetiuissent, multo minus comedissent. Eodem modo quæ voluntatem mouere debent bona spiritualia, necesse est vt eidem ita re-

præsententur, vt efficaciam suam in voluntatem exerere queant. Hinc si quæ inter Christianæ religionis sectas Deum resque divinas errorum & prauarum opinionum involucris tectas velut & obscuratas proponant, illæ quin vero fine scopoque excidant, dubitandum non est. Hinc neutiquam sane perinde est quascunque amplectamur opiniones: cum quædam omnino vera fruitione summi boni nos priuent, summamque adeo attrahant perniciem. Accedit in religione christiana hoc peculiare, quod excitari insuper voluntas ad summum bonum appetendum, & viribus nouis instrui debeat, cum mortua per naturum sit, & ad bonum verum percipiendum prorsus inepta; idque per certa media a Deo huic fini destinata. Si quæ ergo secta hæc media respuit, aut non ita proponit, vt efficacia esse queant, ea quantumuis splendida, ab indole Christianismi abhorret, & qui ei addicti sunt, non est, vt eam, quam omnes nauibus atq; quadrigis petunt, sibi polliceantur felicitatem. Applicare hæc ad singulas sectas, haud difficile fuerit. Etenim ad duo hæcce semper respicieudum est capita, si iudicium ferendum sit, num quis in hac aut alia secta constitutus, stricteque eiusdem sectæ placitis addictus, æternam consequi salutem possit? Primo num de Deo, rebus-

busque diuinis talia doceat, quæ forte perceptionem earundem & verum gustum impedire queant. Deinde an ea proponat media, quæ excitare hominis voluntatem, & cupiditatum vinculis liberare, & ad gustum istum diuinum aptam reddere queant.

§. XXXI. Hoc forte, excipis, est quod volo, ad diiudicandam veritatem in moralibus concurrere etiam intellectum debere, non sufficere voluntatem. Ast hoc ipsum est, quod ego nunquam negaui. Concurrere ad cibum præparandum & sumendum visus potest, non tamen oculis gustamus, sed lingua & palato. Sic ad veritatem agnoscendam in moralibus concurrit intellectus, non tamen intellectu, sed voluntate quodnam verum bonum sit, diiudicamus. Interim si quis iam ipso intellectu cognoscat, aliquid non esse bonum, non necesse est, vt hoc exploret voluntate. Si quis oculis aut aliis sensibus non credens, lignum, lapides & id genus alia in cibum commode assumi non posse, vellet omnia prius gustu explorare, stultus esset. Ita etiam, qui in iis, quæ intellectus satis clare capit, semper affectum prius aut voluntatem in subsidium vocare vellet, de eo merito illud: sero sapiunt Phryges, vsurparetur. Omnia ergo eo redeunt, vt suos intellectui & voluntati statuamus limites, nec hos confundamus,

imo potius, vt a natura constitutos recte obseruemus. Confundunt autem hos omnino, qui voluntati ita criterium veritatis tribuunt, vt intellectus officia excludant. Quos homines, eiusmodi indifferentismum profitentes, licet ipsa satis refellat experientia, error tamen illorum manifestandus, aut detegendus est, ne eo & alii abripiantur.

§. XXXII. Sed Fanaticismo vt vocant obviam etiam commode iri potest, si hoc criterium veritatis rite obseruetur. Fanaticus enim is vocatur, qui certo principio, certa norma, & regula destituitur, & quicquid in mentem venit & ipsa phantasia, enormiter licet aberrante, sibi fingit, pro vero reputat. Quod illis sane contingere necesse est, qui rerum bonitatem intellectu comprehendunt, voluntate non percipiunt. Vnde revera plerique Systematum concinnatores, qui tanto clamore & strepitu in Fanaticos detonare solent, maximi sunt Fanatici. Namque raro admodum verum gustum rerum divinarum habent, adeoque non ex experientia loquuntur aut scribunt, sed quæ ab aliis dicta sunt, ea iterum dicunt, & centies repetunt. Rursus tamen & inter eos, qui propriæ conscientiæ & experientiæ ductum se sequi opinantur, plurimi sunt Fanatici. Namque priusquam aliis quod gustu bonum esse

de-

deprehendimus, obtrudamus, sedulo explorare nos debemus, num forte gustus noster corruptus sit. Quod qui non faciunt, incertum pro certo exploratoque arripientes, facile in Fanaticismum incidunt.

§. XXXIII. Non autem certior ratio est se explorandi, quam si omnes motus nostros exigamus ad normam rectissimam & falli nesciam, Scripturam scilicet sacram. In ea enim non tantum media perueniendi ad summam felicitatem, vnionem videlicet cum Deo, praescribuntur, sed & characteres luculenti eorum proponuntur, qui hanc felicitatem consecuti sunt. Hinc si quis primo gustu suo interno deprehendit suauitatem summi boni, & certus insuper est, se ea adhibuisse media, quae Scriptura S. commendat, eosdem denique characteres in se deprehendit, quos Scriptura in illis, qui hanc felicitatem consecuti sunt, notat, is demum extra omne erroris aut deceptionis periculum est constitutus. Contra qui haec non rite obseruant, facile in Fanaticismum prolabuntur, siue in intellectu tantum veritatis criterium in moralibus quaerant, siue gustu suo deprauato nimis praecipitanter ex eo criterium boni & mali assumendo, se decipi patiantur. Et inde quidem duplex ista Fanaticismi species

oritur, qui quotidie homines in transuorsum agit.

§. XXXIV. Omnes itaque Phantasiæ illusiones dum procul facessere iubemus, & Scripturæ S. rectum commendamus vsum, hoc etiam addendum, neminem, nisi diuina gratia collustratum Scripturam S. recte intelligere. Hoc omnes inter nostros profitentur, pauci forte recte capiunt, paucissimi experiuntur. Ex nostra autem de criterio veritatis in moralibus hypothesi, cuncta rite declarari possunt. Quæcunque in Scriptura S. de Deo rebusque diuinis, de gratia Dei conuertente, iustificante, renouante, sanctificante & sic porro dicuntur, bona sunt, quæ quisque in se experiri & gustare debet. Ni expertus fuerit, ni gustauerit, potest quidem multa de hisce rebus verba facere, sed vt non intelligat quæ dicat aut scribat. Etenim & cæcus de coloribus loqui multa & disserere potest, si recitet quæ ab aliis audiuit, cum ipse, quid color sit, ignoret. Et ita simplicissime intelligi potest, quod dicit Apostolus: *animalis homo non percipit quæ sunt diuini Spiritus quippe quæ sunt ei stultitia, itaque non potest ea cognoscere, vt quæ sunt spiritualiter examinanda 1. Cor. II. 14.* Qui supponunt intellectu veritatem rerum moralium diiudicari, hocce effatum Apostoli aut plane non intel-

telligant, aut non admittant necesse est. Nonne experientia docet, homines improbos accuratissimos etiam de rebus diuinis sibi formare posse, conceptus? imo ita vt probos etiam vincant? Quid ergo sibi vult Apostolus dum dicit, *animalis homo non capit, quæ sunt Spiritus Dei.* Forte ideo non capit, quia non vera esse credit, quæ in Scriptura Sacra proponuntur? Ast repugnat experientia? Multi enim sunt ex Theologorum etiam ordine, qui non tantum accurate dogmata & articulos Theologiæ tenent, sed de illorum etiam veritate tam firmiter persuasi sunt, vt vitam potius dimittere, quam mutare sententiam parati sint, & qui tamen moribus suis demonstrant, non immerito in animalium hominum sese referri classem. Qui enim de hisce dici potest *quod non capiant doctrinam Christianam?* Nihil ergo aliud superest, quam vt fateamur, de cognitione & perceptione voluntatis hoc esse intelligendum: Qui non expertus est, & gustu ipso mentis conuictus, esse Deum; eumque esse iustum, benignum sanctum, peccatoribus terribilem, paterno eundem affectu ad se accedentes amplecti & sic porro, ille quantumuis multa de Deo commentetur, non capit, quæ sunt diuini Spiritus & si cordate intimos mentis suæ recessus explorare velit, deprehendit ea omnia illi stul-

ta & absona videri. Atque hinc luculenter explicari etiam potest, quis Scripturæ S. sensus *carnalis* & *spiritualis* sit. *Spiritualis* qui solus verus & genuinus est, is dicitur, quando quis ea, quæ in Scriptura S. legit, in se quoque expertus est, aut experitur. *Carnalis*, quando quis ex Scriptura S. certas equidem de rebus diuinis sibi ideas, secundum regulas artis format, sed in se nondũ ea expertus est, quæ in Scriptura S. legit.

§. XXXV. Controuersiarum denique & litium funestissimarum, quibus orbis Christianus discinditur in partes, numerus haud mediocriter imminueretur, si obseruata hac doctrina homines tandem intelligerent, plerosque pro inanibus ideis atque conceptibus suis, tanquam pro sacris & aris pugnare. Res nimirum ita se habet. Quæ percipimus sensu atque affectu, ita percipimus vt plane quid percipiamus, aliis, verbis explicare nequeamus. Adeoque si alter nunquam eiusmodi quid percepit, frustra annitimur ideam eiusdem perceptionis verbis aut sermonibus nostris in animo eius excitare. Sic etiam si alter dicat, se aliter hoc percipere, operam oleumque perdiderit, si quis hac super re cum eo disputare vellet. De gustu nec corporis nec mentis disputandum esse, iam in prouerbium abiit, adeo huius rei omnibus nota est veri-

veritas. Quod si tu certus sis tuum gustnm recte se habere, alterius corruptum esse, in causas eius rei inquirendum, fons mali modeste demonstrandus, & impedimenta removenda, vt alter quoque ad verum gustum perveniat. Si is recta suadenti obtemperare nolit, habeat sibi. Non ergo omnes disputationes proscribimus: absit. Multas enim, quæ ad innocentiam nostram demonstrandam, & viam errantibus ostendendam, impedimenta veri gustus remouenda comparatæ sunt, oppido necessarias esse, lubenter fatemur. Sed quæ de modo huius gustus vt ita dicam suscipiuntur, & de meris conceptibus instituuntur, maximam partem friuolas esse, & superuacaneas, asserere non dubito. Quod si duo acriter de gustu Sacchari inter se contenderent, vno quidem contendente, Saporem eius ad dulcedinem lactis, altero ad dulcedinem mellis eum propius accedere asserente, nonne cum ratione insanirent, cum lis illa nulla disputatione finiri posset? Quod si insuper neuter saccharum gustasset, & tamen contendere non desinerent, hos tu rationis compotes diceres? Faxit Deus ut tandem rectiora tam sæpe moniti discant mortales, & ea agant, quæ egisse nunquam eos poenitere queat.

OBSERVATIO X.
ALTERVM INDICIS EXPVRGATORII ROMANI SPECIMEN.

Beatus Rhenanus.

EX annotationibus Beati Rhenani in Tertullianum.

p. 7. In argumento in librum de carne Christi, paulo post princ. deleantur illa verba, *in hoc libro sunt, quæ euarient a placitis recentiorum Theologorum, vt quod de Fratribus loquens dicit, &c.* vsque ad illud, *quo vix alium Christianus Orbis antiquiorem habet.*

In argumento in librum de præscriptionibus aduersus hæreticos, circa medium, deleantur illa verba, *hanc nulli loco affigit.*

In annotationibus in 1. librum contra Marcionem num. 10. deleantur illa verba, *& hodie quidam carnibus pisces præferunt.*

In argumento in librum quintum contra eundem in fin. deleantur illa verba, *porro quod omnibus epistolis excussis, præter eas, quæ sunt ad Titum, &c.* vsque ad finem argumenti.

In argumento libri contra Valentinianos, paulo post princip. deleantur illa verba, *vide quantum Christianismo semper nocuerit philosophia.*

In annotationibus in librum de Corona mi-

militis paulo ante med. vbi declarat illud Tertulliani, *verbum Eucharistia Sacramentum*, deleantur illa verba, *Conradus Pellicanus, homo miræ sanctitatis, ac eruditionis.*

Ibidem, paulo post in illa Tertulliani verba, oblationes pro defunctis, deleatur illud, *vnde anniuersariorum sacrorum, cum eleemosynis, origo, quæ apud nos perpetua instituuntur*, deleatur etiam similis annotatio marginalis in libro de Monogamia, ex omnibus impressionibus, vbi posita fuerit. pag. 138.

Ibidem n. 9. in illa verba, *conquirendum an in tot. Christi mili.* deleatur tota annotatio vsque ad illa verba, *Apostolos nobis repræsentantes.*

Argumentum libri de Pœnitentia, totum expungatur, nam commode repurgari non potest.

In annotationibus in eundem librum de Pœnitentia, in fine, deleatur integra annotatio in illa verba, *institutam a Domino exomologesin, sciens,* vsque ad finem.

In argumentum libri, Exortationis ad castitatem, in medio, deleantur, illa verba, *quanquam veteres omnes, atque adeo Hieronymus ipse matrimonio parum æqui fuerint, &c.* vsque ad finem argumenti.

In exemplari Basileæ, apud Frobennium, impresso anno 1528. in argumento, *libri de*

præ-

præscriptionibus hæreticorum, deleantur illa verba, *ex hoc libro facile liquebit lectori, qui non sit omnino stupidus*, & quæ sequuntur vsque ad finem.

Ex libro quarto *aduersus Marcionem*, statim post num. 50. vel 51. (propter varias impressiones,) deleantur illa verba, *Baptisma, & Eucharistia, duo Sacramenta primitiuæ Ecclesiæ.*

Fol. 596. corr. in margine, pro origo, ponatur, antiquitas. Non enim sancta, & salubris anniuersariorum consuetudo Tertulliani primum temporibus nata fuit, sed ab Apostolis acceptam consuetudinem, vt nos, ita & illa secula frequentarunt.

p.40. BENEDICTI ARIÆ MONTANI.

Corrigenda in Commentario Benedicti Ariæ Montani in Isaiam : Paginæ citatæ respondent Editioni Antuerpianæ, Anni 1599. in 4.

Cap. 1. pag. 43. super illa verba *Isaiæ, quo mihi multitudinem victimarum vestrarum*, deleantur verba sequentia. *Neque enim nos illud sacrificium offerimus : sed illud ipsum CHRISTI repræsentamus, & referimus incruento, (vt dicitur) modo repetimus id, quod* CHRISTVS cruentum obtulit.

Cap. 1. p. 52. super illa verba *Isaiæ, si fuerint peccata vestra, sicut coccinum*, deleantur

tri-

triginta versiculi ab illis verbis, *neque enim ante* CHRISTI *mortem, & resurrectionem vllos homo a peccati* corpore, &c. vsque ad illa inclusiue, *sine qua simplicitate non intrabimus in Regnum Cælorum.*

Cap. 9. p. 228. super illa verba: *Princeps pacis, deleantur* verba sequentia, *pax etiam inter carnem & spiritum conciliata.*

Cap. 32. p. 729. super illa verba, *Cultus iustitiæ silentium,* deleantur illa verba, *sed in hac hominum conditione, &c.* vsque ad illa inclusiue *vsus expolitione vates declarat.*

Corrigenda in Commentariis B. Ariæ Montani in Prophetas minores, citantur paginæ ex editione Antuerpiana 1571. in folio. p.40.

Cap. 10. Oseæ, pag. 173. super illa verba, *seminate vobis ad iustitiam,* deleantur verba illa, *verum enim vero tantum hoc, tanquam admirabile donum, &c.* vsque ad illa, *qui vtinam aliquando ad veritatem dirigantur,* inclusiue.

Ibidem pag. 174. deleantur illa verba, *nullam igitur occasionem, &c.* vsque ad illa inclusiue, *per* CHRISTVM *suo tempore afferendam.*

Cap. 14. pag. 212. super illa verba, *Vocantibus medebor, amaboque hos libenter,* deleantur illa verba, *Igitur cum primum hortantem Israelitas vatem, &c.* vsque ad illa inclusiue, *Deus ipse in se recipit.*

Cap

Cap. 2. Ioelis, pag. 253. super illa verba, *& eum qui ab Aquilone est*, deleantur illa verba, *in Hebræis vero mysteriis, &c.* vsque ad illa inclusiue, *grandis est sermo, & ad dicendum interpretabilis.*

Cap. 2. Zachariæ, pag. 789. super illa verba, *& possidebit Dominus Iudam*, deleantur illa verba, *Is vero populus Hierusalem, &c.* vsque ad illa inclusiue, *ad præclaras gerendas, agendasque res adderet.*

Pag. 790. super illa verba, *Et eliget adhuc Hierusalem*, deleantur illa verba, *qualis vero eorum hominum, qui hac Sancta Ciuitate donati*, vsque ad illa inclusiue, *quamuis inuiti tamen ob breuitatis studium prætermittimus*, id est, deleatur tota pagina vsque ad finem capitis.

Cap. 4. p. 799. super illa verba, *& Campus eius*, deleantur illa verba, *id quod antiquis temporibus*, vsque ad illa, *vt exhiberet immaculatam Deo*
p.41.

Cap. 1. Malachiæ, pag. 935. super illa verba, *ab ortu enim solis vsque ad occasum*, deleantur illa verba, *at vero cæteras gentes non legis, &c.* vsque ad illa inclusiue, *purum munus offerretur*, sunt hoc loco delendi supra centum versus, siue lineæ.

Corrigenda in Elucidationibus B. Ariæ Montani in quatuor Euangelia, & Acta Apo-

sto-

ſtolorum. Paginæ citantur ex editione Antverpiana, in quarto, 1575.

Cap. 1. Matthæi, pag. 1. deleatur tota prima annotatio, quæ incipit, *in hoc capite exponitur* IESV CHRISTI *genealogia*, & finitur illis verbis, *ex familia Dauid ſecundum carnem, ſine patre humano genitus.*

Pag. 2. num. 16. *litera a.* deleantur illa verba, *adoptione & affinitate, quæ Hebræis dicitur* יבמת

Pag. ead. num. 20. *litera b.* deleantur illa verba *non genitum, ſed natum.*

Cap. 5. Matthæi, pag. 12. num. 28. lit. a. deleantur illa verba, *concupiſcentiam antiqui*, &c. vsque ad illa, incluſiue, *& rationi ſubiiciant.*

Cap. 6. Matthæi num. 1. pag. 14. litera b. deleantur illa verba, *Duplex eſt iuſtitia, comparata, & accepta. de vtraque genere alias diſſeruimus. In prioris ratione omnia opera continentur Deo grata, & probata, in quibus.*

Cap. eodem pag. 17. n. 33. lit. D. deleantur illa verba, *nam duplex eſt iuſtitia*, &c. vsque ad illa, *& hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt.*

Cap. 11. Matth. num. 28. lit. I, pag. 34. deleantur illa verba, *venite ad me omnes, qui veſtrarum culparum*, &c. vsque ad illa, *qua liberantur à lege peccati, & mortis.*

Cap.

Cap. 19. Matth. n. 18. Lit. E, p. 65. deleantur illa verba, *cognouerunt autem in regeneratione, cum regenerati re, & effectu*, & vsque ad illa, *& nobis erit alias fusius explicanda, Deo id prospiciente.*

p. 42. Cap. eodem, n. 30. lit. F pag. 66. deleantur illa verba, *multi erunt primi, hunc locum &c.* vsque ad finem annotationis.

Cap. 1. Luc. num. 72. lit. K. p. 183. deleantur illa verba, & *corpore peccati*, & paulo post, deleantur illa, *idque donum certum, perpetuumque nobis sit, ipso auctore, omnibus diebus nostris, in hac vita, & in futura, æterna duratione.*

Cap. 12. Luc. num. 10. lit. E. pag. 229. deleantur illa verba, *alii autem accepta a Spiritu Sancto virtute, & reuelatione, illum filium Dei credunt esse longe præstantius, quam illi priores, quia adiuti dono diuino habent testimonium Dei in se.*

Cap. 22. Luc. num. 19. lit. G. pag. 263. deleantur illa verba, *& corpus etiam mysticum a me susceptum*, &c. vsque ad illa, *& tamen non proderit hoc omnibus vobis, quia ecce manus tradentis me, &c.*

Cap. 16. Ioannis num. 26. lit. F. pag. 341. deleantur illa verba, *qui a patre procedit, non de processione personali*, &c. vsque ad illa, *qui est summus auctor totius huius consilii, & expeditionis.*

Cap.

Cap. 19. Actorum, num. 2. lit. C. pag. 427. deleantur illa verba, *nullis vero ex experimento antequam Christus esset glorificatus.*

Cap. 28. Actorum, num. 28. lit. C. pag. 461. deleantur illa verba, *& corpore peccati.*

Corrigenda in elucidationibus B. Ariæ Montani in omnia SS. Apostolorum scripta, & in Apocalypsin. Paginæ citantur ex editione Antuerpiana anni 1588. in quarto. p. 43.

In disputatione de Christi Iesu veritate, pag. 17. deleantur illa verba, *neque vero signa hæc, & veri Christi argumenta, &c.* vsque ad illa *sancti eritis mihi, quoniam ego sanctus sum.*

Ibidem pag. 20. deleantur illa verba, quæ habentur paulo ante finem paginæ, *& super omnem humani aleam constituti.*

Ibidem, p. 22. prope finem, deleantur illa verba, *nam illius morte vetus ille homo, cuius culpa in nos translata multorum sine fine malorum causa fuerat, est extinctus, & omnium nominum debitum est retributum.*

Fortasse etiam tota hæc disputatio tolli posset, quia magna ex parte consumitur in demonstranda gratia noui Testamenti, qua fingitur fomes peccati in electis plane extingui.

Epist. ad Coloss. c. 2. num. 14. pag. 250. deleantur duo illa verba, *peccatique corpus.*

Epist. prioris ad Thessal. cap. 5. num. 23.

pag. 264. deleantur illa verba, *humanum illud extinguens bellum, quo caro concupiſcit aduerſus Spiritum, & Spiritus aduerſus carnem: atque diuiſionem, diſſidium, & pugnantiam illam ſingulari dono, ac beneficio componens, ita vt ima ſummis concordent.*

p.44. Epiſt. ad Hebræos, c. 9. n. 9. pag. 330. deleantur illa, *auferendo non ſolum peccata, ex corpore peccati tanquam membra deducta, ſed ipſum peccati corpus.*

Ibidem cap. 10. num. 2. pag. 334. deleantur illa, *ſemel mundati a peccati corpore ſecundum conſcientiam, quod non ita ipſis contingere confeſſio annua manifeſtat.*

Epiſt. poſterioris Beati Petri, cap. 1. n. 1. p. 388. deleantur illa, *apud Eccleſiam Dei, cuius duo in vniuerſum primi Status ſunt, &c.* vsque ad illa, *ad cæterorum ædificationem hortantur.*

Epiſt. 1. S. Iohannis, c. 3. n. 4. p. 408. deleantur illa, *in huius Apoſtoli ſermone iniquitas id ſignificat, &c.* vsque ad illa, *qui vere iam ſunt filii Dei.*

Ibidem, cap. 4. n. 1. p. 414. deleantur illa, *Spiritus ſanctificationis antiquis non fuit exhibitus, quia nondum Chriſtus fuerat glorificatus, ideo nec tunc quidem ſpiritus malus extitit, qui ſanctificationem ementiretur.*

Explicatio Apocalypſis tota fortaſſe tollen-

lenda esset, quia refert omnia mysteria ad triplicem essentiam, diuinam, humanam integram, & humanam corruptam, quæ sunt omnia noua & periculosa.

Corrigenda in Libro Generationis, & Regenerationis Adam, edito a B. Aria Montano. Antuerpiæ 1593. in 4.

Lib. 2. cap. 4. p. 91. deleantur illa verba, *tentare quidem illa solent concupiscenciæ impetu cæco, & repentino, qui, si fortiter reprimatur, vincetur demum, & domabitur, præsente Dei gratia, &c.* vsque ad illa, *opportunum studium ponere neglexerit.* P. 45.

Eadem pagina, paulo infra, deleantur illa, *quamquam vero homo interioris partis virtute exteriori portioni, &c.* vsque ad illa, *tantum in me auxilium tuum.*

Pag. 92. deleantur illa verba in fine paginæ: *metuens interim, & cognoscens, non vitari se modo, sed reprimi, & pelli, ac subigi posse.*

Lib. 4. c. 1, p. 204. sub finem paginæ, deleantur illa, *atque hæc haud dubie ratio fuit, &c.* vsque ad illa verba, p. 205. *ambulauit Hænoch. cum Deo.*

Lib. 4. c. 2. p. 207. deleantur illa, *& inferiore nihil pugnante, aut aduerti quidquam agente.*

Eodem capite, p. 208. in fine paginæ, de-

leantur illa, *atqui lex eadem, quæ homini suam imbecillitatem, &c.* vsque ad illa, *tempus consignatum tradi.*

Lib. 6. cap. 9. pag. 327. deleantur illa, *susceptum, tibique aptatum totius humani generis corpus Deo Patri commendaturus primum, deinde in sacrificium vna secum deuoturus.*

Quoniam fieri non potuit, vt omnia omnino loca notarentur, quæ expungenda essent, visum est hic adiungere propositiones nouas, atque erroneas huius auctoris, vt vbicumque in libris eius lectori forte occurrent, expungantur.

Prima propositio, Gratia duplex est, altera comparata, altera accepta.

p.46. *Secunda*, gratia comparata communis fuit Patribus Testamenti veteris, & noui, accepta autem propria est Euangelii.

Tertia, gratia comparata non erat Iustitia inhærens, sed imputatiua.

Quarta, gratia accepta extinguit omnino fomitem peccati.

Quinta, omnis qui bene vtitur gratia comparata, perueniat ad acceptam.

Sexta, gratia accepta est iustitia inhærens, & quæ faciet filios Dei.

Septima, omnis motus concupiscentiæ est peccatum, quia posset homo, si vellet, extinguere concupiscentiam.

BIBLIA ROBERTI STEPHANI.

Christiane Lector.

Obseruauit Genebrardus, & in Cronograghia, & super Origenem, quod ea versio, seu paraphrasis, quæ circumfertur sub Francisci Vatabli nomine, aut Vatabli non est, viri alioquin doctissimi, & vere Catholici: sed quorundam prauorum discipulorum eius, qui eam a Roberto Stephano Religionis Catholicæ desertore imprimi fecerunt, vel testante Theodoro Beza in Iconibus, Leo Iudæ Elvetius eiusdem auctor fuit; vel certe si Vatabli est, Caluiniani hæretici errores plerosque inseruerunt. Quapropter ab eius lectione abstinendum iudicamus, & sumendum esse Codicem, qui anno Domini 1584. Salmanticæ impressus fuit apud Casparem Portonarum hoc Titulo. *Biblia Sacra cum duplici translatione, & Scoliis, Francisci Vatabli nunc denuo a plurimis, quibus scatebant erroribus, &c.* Curauimus tamen annectere hic censuram eius ad commodum illorum, penes quos reperiuntur Biblia Roberti Stephani dicta. p.47.

EX BIBLIIS ROBERTI STEPHANI.

Cum duplici textu, & annotationibus Vatabli.

Post Bibliorum titulum versa pagina, tota

 de-

deleatur fol. a principio 4. totus Index deleatur, cui titulus est, *In quo itidem noui instrumenti testimonia ex veteri excerpta annotavimus.*

Inter prologos Bibliorum, qui initio præfiguntur, deleatur argumentum in lib. Iob, præsertim ab illis verbis, *in hoc vero libro hæc quæstio tractatur, anne etiam probis a Deo malum accidat, &c.* vsque ad finem.

GENESIS.

Cap. 6. num. 11. deleatur illud, *Ista est historia de Noe, quem iustum fuisse per fidem pronunciat,* Paulus ad Hebræos 11. *quod Deo prædicenti diluuium credidisset, eundem vocat Petrus iustitiæ præconem.* 2. Petr. 2.

Cap. 14. num. 14. deleatur illud, *Benedixitque illi subaudi Deo, id est gratias illi egit de victoria data Abrahæ.*

Cap. 15. n. 4. deleatur illud, *huius tuæ fidei.*

Eodem cap. num. 13. deleantur illa verba, *& reputauit ei illam ad iustitiam, illam sub fiduciam, id est ob eam credulitatem, quia credidit Deo, liberos promittenti, iustus apud Deum habitus est.*

p. 48. Eod. cap. ad marg. lit. B. deleatur illud, *Abraham fide iustus.*

EXODVS.

Cap. 18. ad marg. lit. C. deleantur illa verba

ba, *Moyses secundum leges Dei iudicat lites populi*.

Cap. 20. n. 23. deleatur tota annotatio.

LEVITICVS.

Cap. 5. num. 18. deleatur illud, *tristitia comes est peccati, & peccatoris oratio Deo placere nequit.*

Eod. Cap. num. 28. deleatur illud, *Declarabit eum emundatum a peccatis.*

Cap. 10. n. 31. deleatur illud, *id est remissam declaretis.*

Cap. 17. ad marg. paulo ante lit. B. deleatur illud, *Sacrificia damnat, quæ non fiunt ad ostium tabernaculi fœderis.*

Cap. 21. ad marg. paulo ante lit. B. deleatur illud, *Sacerdos non intersit mortuorum exequiis.*

Cap. 26. ad marg. paulo ante lit. B. deleatur illud, *sculptilia prohibet fieri.*

Eod. cap. ad marg. lit. G. deleatur illud, *promissionis suæ memor Deus parcit populo confitenti peccata.*

NVMERI.

Cap. 11. ad marg. lit. B. deleatur illud, & *infidelitas.*

Eodem cap. ad marg. lit. E. deleatur illud, *infidelitas.*

Cap. 23. num. 26. deleatur illud, non *a-*

ſpexit iniquitatem in Iacob, nec vidit calumniam &c. Id eſt Dominus peccatum Iſraeli nón imputat propter fidem; peccat quidem fidelis, ſed ſtatim condonatur ei peccatum.

DEVTERONOMIVM.

Cap. 4. ad marginem littera C. deleatur
49. illud, *Dehortatio a quacunque ſimilitudine adoranda.*

Eodem cap. ad marg. litera D. deleatur illud, *Imagines ne fiant, quæ adorentur.*

Eodem cap. n. 24. deleantur illa verba: Corrumpatis, ſubaudi vos, & faciatis vobis ſculptile aliquod, aut ſimilitudinem cuiuscunque ſimulacri, hoc eſt imaginem, &c. vel ne forte corrupti faciatis, &c.

Cap. 7. ad marginem litera D, deleatur illud, *Sculptilia, ſiue Imagines.*

Cap. 9. ad marginem ante literam B. deleantur illa verba, *non propter Iuſtitiam, & æquitatem cordis tribuit quidquam Deus hominibus, & paulo inferius* ad marginem deleatur illud, *iuſtitia hominum.*

Cap. 11. ad marginem litera D, deleantur illa verba. *Benedictio obedientibus verbo Dei: maledictionem credentibus.*

Cap. 13. ad marginem ante literam B. deleatur illud, *Pſeudo propheta, miraculis a verbo Dei abducens.*

Eo-

Eodem cap. paulo inferius deleatur illud, *Miraculis tentat fidem nostram Deus.*

Eodem cap. ad marg. lit. B, deleatur illud, *accidendus, qui a fide, & fiducia in Deum abducere tentet, etiam si sit vxor.*

Eodem cap. ad marg. litera C. deleatur illud, *Ciuitatem a fiducia in Deum abductam iubet ipse Deus comburere, & habitatores occidere.*

Cap. 15. ad marginem paulo ante literam B. deleantur illa verba, *alendi pauperes, nec permittendum, vt mendicent.*

Eodem cap. n. 23. deleatur illud, *quia apud Iudaos nulli erant mendici publici.*

Cap. 17. in ipso textu nouæ editionis num. 12. deleantur illa verba, *in actionibus iudicialibus.*

Cap. 18. ad marg. lit. D. deleatur illud, *Propheta aliud, quam verbum Dei prædicans, interficiendus.* p. 50.

IOSVE.

Cap. 1. num. 10. deleatur illud, *ire ad dexteram est addere verbo Dei.*

REGVM I.

Cap. 2. num. 7. deleantur illa verba, *vel nullus est, &c. quasi dicat nullus alius coli debet, præter Dominum: nam est clementissimus, &c.*

Eodem cap. num. 8. deleatur illud, *qui pro salute inuocandus sit.*

Cap. 7. n. 7. deleantur illa Verba, *Doctus inter Hebræos dicit hanc hausionem & effusionem aquæ fuisse in signum fidei remissionis peccatorum dicentes euanescant peccata nostra, vt hæc aqua, dele peccata nostra. Alius inter eos in signum humiliationis inquit.*

Eodem cap. & num. vbi legitur, *resipiscentes*, legendum est, *pœnitentes.*

Eodem cap. ad marg. paulo ante literam B. deleantur illa verba, *seruiendum soli Deo.*

Cap. 12. litera D. ad marginem deleatur illud, *propter promissiones suas parcit Deus.*

Cap. 17. litera D. ad marginem deleatur illud *Dauidis fides, & Saulis diffitentia.*

REGVM II.

Cap. 7. ad marginem paulo ante literam B. deleantur illa verba, *nihil vult Deus agi sine verbo suo.*

REGVM III.

Cap. 8. in ipso textu num. 96. deleatur illud, *reuocauerintque ad cor suum in terra, in quam captivi abducti sunt, si inquam resipuerint.*

p. 51. Cap. 22. ad marginem litera C. deleatur illud, *Deus opera Pseudo-prophetarum, seducit interdum eos, qui verbum eius oderunt.*

REGVM IV.

Cap. 2. num. 23. deleatur illud, *id est in sinum Abrahæ, &c.* vsque ad finem annotationis.

Cap.

Cap. 20. ad marginem litera B. deleatur illud, *propter se, & promissa saluat Deus.*

PARALIPOMEN. I.

Cap. 5. ad marginem lit. C. deleatur illud, *orantes in fide dum præliantur vincunt Agarenos.*

Cap. 17. paulo ante literam B. deleantur ex margine illa verba, *sine verbo suo nihil vult agi Deus.*

PARALIPOM. II.

Cap. 6. num. 57. deleantur illa verba, *id est, meminerint se peccasse.*

Cap. 18. ad marginem litera E. deleantur illa verba, *Deus per spiritus erroris in ore Pseudo-prophetarum seducit interdum eos, qui verbum suum oderunt.*

ESDRAE I.

Cap. 10. num. 33. deleatur illud, q. d. *Donec proposita resipiscentia nostra, vel per resipiscentiam nostram, placemus Dominum iratum in nos.*

LIBER IOB.

Cap. 3. num. 19. deleatur illud, *Putabat mortem esse finem malorum, iuxta vulgi opinionem.*

Cap. 5. num. 14. vbi legitur, *hortatus eum ad resipiscentiam*, dicatur *ad pœnitentiam.*

Cap. 7. num. 16. vbi legitur, *quæ est mihi vice*

vice custodiæ verba impatientis, dicatur, *quæ est mihi vice custodiæ tanquam impatientis.*

Cap 8. ad marginem ante literam B. vbi legitur, *& resipiscentiam revocare*, legendum est, & *pœnitentiam reuocare.*

p.52. Eod. cap. litera B. vbi legitur *primum argumentum resipiscentium*, dicatur, *pœnitentium.*

Cap. 9. ante literam B, ad marginem deleatur illud, *Comparatus Iob iustitiæ Dei comparatione hominis iustitiam nullam declarat.*

Eodem cap. ad marginem litera D. deleatur illud, *rursus ostendit neminem posse, iudicante Domino iustificari.*

Cap. 12. num. 9. deleatur illud, *senum auctoritatem esse Sacrosanctam, modo consentiat cum iudicio spiritus.*

Cap. 13. ad marg. litera C. deleantur illa verba, *agnoscentibus peccata sua salus promittitur, hypocritis vero condemnatio.*

Cap. 15. n. 14. deleatur illud, q. d. *qui fieri potest, vt coram Deo purus sit homo? probat nullum hominem esse purum.*

Eod. cap. num. 15. deleatur illud, *adeo, vt, si cum Deo conferantur, sint impii.*

Cap. 22. n. 1. vbi legitur *ad resipiscentiam hortatur*, dicatur, *ad pœnitentiam.*

Cap. 25. ad marg. deleantur illa verba, *Baldad probat, coram Deo neminem esse mundum.*

Cap.

Cap. 28. n.16. deleantur illa verba, *fita in sola in Deum fiducia.*

PSALMORVM LIBER.

Psal. 1. ad marg. deleatur illud *Impiorum, & infidelium interitus.*

Psal. 14. ad marg. deleatur illud, *Quibus oporteat esse moribus praeditos veros Coelorum ciues, & Ecclesiae Dei municipes.*

Psal. 15. in ipso contextu nouae editionis deleatur versus penultimus, qui incipit, *Nec enim deseres animam meam apud sepulchrum.*

Psal. 18. ad marginem litera B. deleatur illud, *Puritas Christi, quae & nostra facta est.* p.53.

Ps. 27. ad marg. lit. D. deleatur illud, *Salutis certi.*

Psal. 31. ad marg. deleatur illud, *Qui beati & iusti*, Ioan. 4. A.

Ps. 33. lit. B. ad marg. deleatur illud, *Spes in Deum.* Eod. Psal. lit. C. deleatur illud, *Spes in Deo.*

Ps. 34. ad marg. litera D. deleantur illa verba, *iustitia Dei.*

Psal. 36. ad marg. lit. C. deleatur illud, *Deus Dux* & rector fidelium.

Eod. Psal. inferius deleatur illud, *Fideles non relinquntur a Deo.*

Eod. Psal. del. illa verba, *Exortatio ad opera fidei.*

Psal.

Psal. 38. ad marg. deleantur illa verba, *Deo fidit.*

Eod. Psal. inferius deleatur illud, *orat peccata condonari sibi.*

Ps. 39. litera B. ad marg. deleantur illa verba, *Christus hostia pro peccatis nostris.*

Eod. Psal. litera C. deleatur illud, *iustitiam, qua peccator iustificatur, & misericordiam prædicauit Christus.*

Eod. Psal. paulo inferius ad margines deleantur illa verba, *Christus afflictus putat se derelictum a Patre.*

Ps. 68. ad marg. lit. B. del. illa verba, *irrisiones* Christo *factæ.*

Psal, 71. ad marg. deleatur illud, *peccata agnoscentem liberat Christus.*

Psal. 80. ad marg. lit. B. deleantur illa verba, *qui Deo credit in nullo alio fidit.*

Psal. 88. ad marg. lit. E. del. illud, *peccatores punit saluaturus quidem Deus : sed tantum propter suam misericordiam.*

Psal. 90. ad marg. deleatur illud, *canit quam*
p. 54. *tutus agat, liberque malis vniuersis, qui Deo se sola fide commiserit.*

Psal. 95. n. 6. deleantur illa verba, *hoc tempore reuelati Euangelii.*

Psal. 98. ad marginem deleantur illa verba, *peccatis Sanctorum propitius Deus, etsi ea quandoque vlciscatur.*

Psal.

Psal. 124. a marg. deleatur illud, *Deus fidentes sibi nunquam derelinquit.*

Ps. 125. ad marg. deleatur illud, *fideles sequitur crux ducens ad gloriam.*

Psal. 127. ad marg. deleantur illa verba, *in laboribus manuum.*

ECCLESIASTES.

Cap. 1. n. 17. deleantur illa verba, *hac propositione damnat opera hominis sine gratia.*

Cap. 5. num. 6. deleatur illud, *dicit aut opus, quia per infidelitatem omnia nostra opera coram Deo sunt peccata.*

Eodem cap. n. 12. deleantur illa verba, *& conuenit Dei mandato, in sudore vultus tui vesceris pane*, ita Chaldæa Paraphrasis. p. 55.

Cap. 9, ad marg. ante lit. B. deleatur illud, *per iustitiam operum nescit homo amore, an odio dignus sit.*

Eod. cap. n. 8. deleatur illud, *partem, id est, non sunt participes eorum, quæ fiunt in hoc mundo.*

Eodem cap. n. 9. deleatur illud, *ex quo scilicet recessisti a iudicio carnis, ad iudicicium spiritus, ex quo recepisti eum per fidem.*

Eodem cap. num. 15. ad fin. deleatur illud, *quæ stulta est.*

Cap. 11. ad marg. litera B. deleantur illa verba, *omnia committenda diuinæ prouidentiæ.*

CAN-

CANTICA CANTICORVM.

Cap. 1. num. 1. deleantur illa verba, *nam ſchemate amatorii carminis, vt Pſ. 44. quo dotes Salomonis, & filiæ Pharaonis celebrantur, eorumque mutuus amor, & legitima coniunctio.*

Eod. cap. num. 29. deleantur illa verba, *quamdiu fuit Chriſtus in Eccleſia, fides eccleſiæ dedit odorem ſuum.*

Cap. 2. n. 9. deleatur illud, *dicit ſe infirmam dilectionem, vt infirmus fide dicitur: præcipue cupit ab ipſo ſponſo erigi.*

Eod. cap. num. 23. deleantur illa verba, *vel imbres euanuerunt, & abierunt, vacat ſibi, id eſt terrores & hominum traditiones.*

Cap. 3. num. 2. deleantur illa verba, *ſola gratia inuenitnr Chriſtus, non opera hominis.*

Eod. cap. n. 15. deleantur illa verba; *vt autem operimentum, ſiue cœlum lecti tegit eos, qui in lecto ſunt: ita & ſanguis Chriſti nos tegit.*

Cap. 4. n. 4. deleantur illa verba, *perdentes intelligit fidem, & per fidem omnes æqualiter. Nam omnes ſumus per fidem filii, & ea fides nunquam abortit, id eſt bona ſemper facit opera.*

Cap. 6. num. 11. deleatur illud, *fidem comparat ouibus parientibus gemellos vnico partu vt oſtendat fidem ſemper exire in bona opera.*

SAPIEN-

SAPIENTIA.

Cap. 1. n. 1. deleantur illa verba, vel *fidem eius non deserentibus*.

Cap. 4. ad marg. ante literam B. deleatur illud, *de casta generatione fidelium*.

Eod. cap. n. 4. deleantur illa verba, *securitate donarit*. P. 56.

ISAIAS.

Cap. 2. ad marg. ante literam B. deleatur illud, *Ecclesia non contendit*.

Cap. 3. ad marg. lit. C. deleantur illa verba, *auaritia Sacerdotum, & Principum*.

Cap. 6. num. 18. deleatur illud, *præmisit autem alia, quia Scriptura Sacra nullam habet rationem ordinis*.

Cap. 8. ad marg. lit. C. deleatur illud, *fiducia in Deo non in humano auxilio*.

Eod. cap. ad marg. lit. D. deleantur illa verba, *verbum Dei interrogandum, quod sequamur*.

Cap. 10. ad marg. lit. E. deleatur illud, *Iudæi post percussum Assyrium soli Deo confidentes*.

Cap. 25. ad marg. litera C. deleantur illa verba, *Fideles, impiis Iudæis mulctatis, quamvis inuoluti sint multis malis, seruabuntur per Christum*.

Cap. 26. num. 2. deleantnr illa verba, *q. d. qui sunt in Ecclesia immunes sunt ab omni periculo*.

p. 57. Eod. cap. n. 16. vbi legitur, *Tunc dant operam iustitiæ, & resipiscentiæ,* dicatur, *tunc dant operam iustitiæ, & pœnitentiæ.*

Eod. cap. n. 17. vbi legitur, *resipiscere* legendum est, *pœnitere.*

Eod. cap. ad marg. litera C. deleantur illa verba, *pax fidelibus.*

Cap. 28. ad marg. lit. D. deleantur illa verba, *Christus credentibus salus.*

Cap. 30. ad marg. ante literam B. deleantur illa verba, *in Iudæos, qui spretis Dei consiliis suæ prudentiæ innitebantur, in creaturis spem habentes contra Sennacherib.*

Cap. 35. ad marg. ante literam B. deleatur illud, *lætitia, & consolatio promittitur credentibus in Christum.*

Cap. 43. ad marg. lit. B. deleantur illa verba, & *Idola vana,* ideoque sibi soli fidendum.

Eod. cap. ad marg. lit. D. deleatur illud, *nulla in nobis iustitia.*

Cap. 51. ad marg. litera C. deleantur illa verba, *aufert timorem humanum a fidelibus.*

Cap. 53. ad marg. lit. D. deleatur illud, *iustitia nostra Christus.*

Eod. cap. n. 16. deleatur tota annotatio, cuius initium est, *seculum eius.*

Cap. 56. num. 23. vbi legitur. *Episcoporum*

Vox

Vox, & doctorum, dicatur, *aliquorum malorum* Episcoporum vox, & doctorum.

Eodem cap. ad marg. lit. D. deleatur illud, *inuehitur in Episcoporum impietatem.*

Cap. 58. ad marg. lit. B. deleatur illud, *instigat prædicatores, vt libere hypocrisim humanorum operum redarguant: murmurant hypocritæ ieiunium impiorum, & ieiunium Dei.*

Cap. 59. ad marg. litera C. deleantur illa verba, *confessio peccatorum. Mundo impietatibus abundanti, memor misericordiæ suæ, Deus parcit.* p. 58.

Cap. 63. num. 5. deleatur, *ego sum is, qui nuper prædicabam, cum viuerem in mundo, iustitiam, & eam quidem, quæ est per fidem in me.*

Eodem cap. n. 29. deleatur illud, *subaudi, neque eas ostendis, vt nos liberes.*

Cap. 64. ad marg, lit. B. deleatur illud, *omnes peccatores.*

Cap. 66. ad marg. ante lit. B. deleatur illud, *non in manufactis templis habitat Deus, Sacrificia reiicit, quæ absque misericordia, & fide.*

Eodem cap. num. 49. deleantur illa verba, *in Sacerdotes, id est, qui se ipsos offerrent mihi, vt olim apud Israelitas, Sacerdotes, & Leuitæ oblationes offerebant.*

Eodem cap. num. 54. ad finem deleatur illud, *templi hic nulla fit mentio, quod tempore Christi loca omnia futura erant, orationi opportuna.*

HIEREMIAS.

Cap. 7. ad marg. ante lit. B. deleantur illa verba, *iubetur Hieremias annuntiare populo verbum Domini, confidenti in externo templi cultu, nihil iuuante.*

Cap. 8. ad marg. litera B. deleatur illud, *inuitat eum Dominus ad resipiscentiam, peccata eius enumerans.*

Cap. 26. ad marg. ante lit. B. vbi legitur, *ad resipiscentiam* dicatur *ad pœnitentiam.*

Cap. 31. ad marg. lit. F. deleatur illud, *omnes in peccato morientur.*

Eodem cap. num. 63. in fine deleatur illud, *fœdus nouum &c.* vsque ad finem annotationis.

p. 59. Cap. 51. num. 14. deleatur illud, *contra sua sententia nos tanquam iustos absoluet: opere externo comprobabit fiduciam, quam in eo habemus, hoc est restituendo nos in libertatem pristinam, &c.* vsque ad finem totius annotationis.

BARVCH.

Cap. 2. ad marg. lit. B. deleatur illud, *Christianorum confessio.*

EZECHIEL.

Cap. 1. num. 21. deleantur illa verba, *oportet enim opera fidem*, &c. vsque ad fin. annot.

Eod.

Eod. cap. n. 46. deleatur illud, *oculi prudentiæ &c.* vsque ad illa verba, *quare vbique animaduersione opus est.*

Cap. 14. ad marg. ante lit. B. deleatur illud, *contemptores verbi sui decipit interdum Dominus per Pseudo-prophetas.*

Eod. cap. ad marg. litera D. deleatur illud, *iusti non liberabunt impios e malis immissis, sed ipsi iusti tantum propter iustitiam suam liberabuntur.*

C. 18. ad marg. lit. E. deleatur illud, *resipiscenti salus promittitur.*

C. 28. n. 28. deleatur illud, *qui Sabbathum obseruat, sanctificat.*

Eodem c. n. 31. vbi legitur, *quas Dominus pergentes imposuit*, dicatur, *quas Dominus pergentes imponi permisit.*

Cap. 33. ad marg. ante lit. B. deleatur illud, *Admonet suos, vt vatibus credant docens interim, quod sit officium Episcopi, & subditi: cum exortatione ad resipiscentiam.*

Eod. cap. ad marg. lit. C. deleantur illa verba, *vt iusto, si ad peccandum se addixerit, nihil prosunt priores iustitiæ, ita impio resipiscenti non imputantur ante acta peccata.* p. 60.

DANIEL.

Cap. 3. ad marg. lit. C. deleantur illa ver-

ba, *fide in Deum liberantur, Sidrach, Misach, & Abednago ab igne.*

Cap. 4. n. 40. vbi legitur, *quæ hominum iustum produnt,* dicatur, *qui hominem iustum probant.*

Cap. 6. ad marg. lit. F. deleatur illud, *eius liberatio, quæ fidei in Deum tribuitur,*

Cap. 9. ad marg. ante literam B. deleatur illud, *vera Confessio.*

OSEAS.

Cap. 2. num. 1. deleantur illa verba, *inuitat Synagogam ad resipiscentiam.*

Eod. Cap. num. 45. deleatur illud, *vel per iustitiam id est per fidem, qua iustificantur homines*

Eod. cap. num. 47. deleatur illud, *vel per fidem, &c.* vsque ad finem annotationis

Cap. 9. n. 2. deleantur illa verba, *fidendo alii quam ipsi.*

HABACVC.

Cap. 2. num. 13. deleatur illud, *& vita viuet pereunte eo, &c.* vsque ad finem annotationis.

ZACHARIAS.

Cap. 7. ad marg. lit. B. deleantur illa verba, *respondet Dominus per Zachariam, ieiunia absque operibus misericordiæ nihil esse.*

Cap.

Cap. 14. ad marg. litera D. vbi legitur, *omnia sancta in Ecclesia Dei*, deleatur *verbum omnia.*

MALACHIAS.

Cap. 1, num. 48. deleantur illa verba, *id est optima preces, & animæ fidelium.*

In annotationes diffusiores in priores 70 Psalmos.

Psal. 3. num. 16. deleatur illud, *tu Deus populum tuum id est tibi fidentem, seruare, tutari, liberare soles, & bonis cumulare.* p.61.

Psal. 4. n. 12. deleatur verbum, *resipiscentiam*, & dicatur, *pœnitentiam.*

Eod. Psal. num. 15. deleatur illud, *habeo, inquit, aduersarios multos*, &c. vsque ad finem annotationis.

Eod. Psal. num. 12. deleatur illud, *salus pro auxilio in libris sacris.*

Psal. 16. in ipso textu nouæ editionis num. 20. cuius initium est, *neque enim deseres*, del. totus versus.

Item deleatur illud, *id est cadauer meum*, &c. vsque ad finem annotationis.

Eod. Psal. 22. deleantur illa verba, *Hab. videat corruptionem*, &c. vsque ad finem annotationis.

Psal. 32. num. 2. del. illa verba, *id est cuius peccatum dissimulatur, ad cuius peccatum conniuet Dominus.*

Eod. Psal. num. 3. deleantur illa verba, *cui non solet imputare*, &c. vsque ad finem annotationis.

Eod. Psal. num. 5. deleatur illud, *id est cum vellem reticere peccatum meum*, &c. vsque ad illud, *fidere in bonitate Dei.*

Eod. Psal. num. 8. deleantur illa verba, *quæ docemur quomodo peccatum*, &c. vsque ad illa verba *gratiam & beneuolentiam.*

Psal. 36. num. 15. deleatur iilud, *veritas, & sincera doctrina, Deo solo docente cognoscitur.*

Psal. 37. num. 35. deleatur illud, *per iustum intellige fidentem Domino, & eum, qui implorat auxilium eius.*

Psal. 47. n. 15. deleatur illud, *Deus solus potest homines iuuare.*

p. 62. Psal. 49. n. 9. deleatur illud, *si ab alio pendeant, quam a solo Deo.*

Psf. 50. n. 1. deleatur illud, *quo tempore nulla Sacrificia, sed suæ bonitatis tantum prædicationem requiret.*

Psal. 51. n. 1. deleatur illud in hoc Psal. *prædicatio est peccata sua, &c.* vsque ad finem annotationis.

Eod. Psf. n. 13. deleatur illud, *concupiscentia enim radix omnium peccatorum me inuasit, cum conciperer.*

Psal. 62. n. 3. deleantur illa verba, *per salutem diuinam opem intelligit, id est ab eo seruor in periculis.*

Eod.

Eod. Pſ. n. 4. vbi legitur, *qui a ſolo Deo pendeat*, deleatur verbum *ſolo*.

Eod. Pſal. n. 22. deleatur illud, *nam præſidia humana, &c.* vsque ad finem annotationis.

Pſal. 65. n. 4. deleantur illa verba, *Ante Chriſtum orationes noſtræ non exaudiebantur.*

Pſal. 67. n. 8. deleantur illa verba, *non pro ſceleribus noſtris.*

Ex indice horum Bibliorum, in libros Veteris, & Noui Teſtamenti, deleantur ſubiectæ propoſitiones, tanquam ſuſpectæ.

Ciuitas abducta a fiducia in Deum comburenda, & Ciues occidendi.
Credendo in Chriſtum remittuntur peccata.
Credens Chriſto non morietur in æternum.
Dierum delectus nullus apud fideles,
Diues vix cognoſcit Euangelium.
Fide accipitur Spiritus Sanctus.
Fide purificantur corda.
De Iudæis ſunt fere omnia, quæ in Euangeliis & Epiſtolis ſcripta leguntur.
Imagines probibet Deus fieri, vt adoremus, & coram eis incuruemur.
Propter iuſtitiam cordis nihil tribuit Deus. p.63.
Iuſtitia in nobis nulla.
Iuſtificamur fide in Chriſtum.

Iustitia nostra Christus.
Iustitia ex operibus nulla.
Iustus coram Deo nemo.
In requiem regressuri credentes.
Non propter opera liberati sumus.
Resipiscere omnes desiderat Deus.
Resipiscentia Donum Dei.
Resipiscentia Israelis.
Verbum Dei solum faciendum.
Vxorem habeat vnusquisque.

In plerisque Bibliis circumferuntur, *hic ipse Index Bibliorum Vatabli nihilo mutatus*, in iis hac ipsa censura poterit castigari. *Scholia omnia, & annotationes in Nouum Testamentum quæ eidem Vatablo adscribuntur, omnino tollantur.*

OBSERVATIO XI.

DE ANDREA DVDITIO EPISCOPO QVINQVEECCLESIENSI.

Σύνοψις.

INstituti nostri ratio §. I. Duditii Parentes, educatio, amicitia cum Manutio §. II. Italia relicta, Galliam petit: quibus ibi vsus sit Magistris §. III. Duditius Iurisprudentiæ se dedit. Italiam iterum petit, ibique Reginaldo Polo innotescit §. IV. Eundem Reginaldum Polum in Angliam proficiscentem comitatur. §. V. In Patriam redux

dux honoribus augetur; in Italiam rursus se confert, ibique scripta quaedam edit. §. VI. Peregrinatione in Galliam suscepta, & salutata Catharina Medicaea, domum reuocatus, Episcopus Tininensis eligitur, & ad Concilium Tridentinum ab Imperatore mittitur, vbi salutarium monitorum existit auctor §. VII. Nec mutauit sententiam, licet quorundam incurreret odium §. VIII. Oratio Duditii pro concedendo laicis calice, in concilio Tridentino habita. §. IX. Reformationem ecclesiae in capite & membris ibidem vrget. §. X. Discedit ex concilio, fraudes asseclarum Pontificis Imperatori expositurus. §. XI. Quanta fuerit in Concilio Tridentino Duditii auctoritas, testimonio Petri Fontidonii docetur. §. XII. Initio in Concilio isto auctoritatem Pontificis, contra Lutherum, aliosque, strenue defendit. §. XIII. Causa mutatae sententiae. Episcopus Chanadiensis & tandem Quinqueecclesiensis factus, Legatus a Ferdinando in Poloniam mittitur. §. XIV. Figmenta Florimundi Ramundi de Duditio recensentur. §. XV. Ramundus manifesti erroris conuincitur. §. XVI. An contra caelibatum Clericorum in Concilio disseruerit, & qua causa, vt hoc faceret, adductus sit §. XVII. Error Ramundi & Hoornbekii de coniuge Duditii §. XVIII. Inito matrimonio, Episcopatu se abdicat, & Apologiam ad Maximilianum II. Imperatorem scribit, eiusque sibi conseruat fauorem §. XIX. Duditius Cracouiae degens incipit inclinare in partes Sociniano-

nianorum §. *XX. Gisberti Voëtii de Socinianismo Duditii relatio* §. *XXI. Quo iure a Voëtio Atheismi accusetur* §. *XXII.* & *Epicureismi* §. *XXIII. Ab obiecto Socinismo eum excusari non posse* §. *XXIV. Theodori Bezæ cum Duditio concertationes* §. *XXV. Prætextum ad Socinianos discedendi præbuerunt dissensiones & lites Reformatorum* §. *XXVI. Frustra Duditium defendere annititur G. Michaël Lingelshemius,* §. *XXVII. Duditius post varia fata sedem rerum Vratislaviæ collocat* §. *XXVIII. Mortis suæ tempus ex rationibus astrologicis accurate prædicit* §. *XXIX. Iudicia eruditorum de Duditio* §. *XXX. Scripta eius præcipua.* §. *XXXI.*

§. I.

INter celeberrimos seculi decimi sexti viros omnino referendus est Andreas Duditius, vel vt alii scribunt Dudithius, Episcopus Quinqueecclesiensis. Hic nonnullis vt vir eruditus, cordatus, & moderatus laudatur; ab aliis autem vt frigidus in religione, nec sibi satis constans, imo Socinianorum partibus addictus vituperatur. Nos proferemus de eo testimonia & argumenta virorum doctorum in vtramque partem, non excusaturi vituperanda, nec laudanda dissimulaturi. Et primo quidem vitam eius exponemus, tum aliorum de eo referemus iudi-

dicia, & tandem de ſcriptis ab eo editis aliquid ſubnectemus.

§. II. Vitam Duditii ſcripſit Quirinus Reuterus, Palatinus, in Academia Heidelbergenſi Profeſſor, qui eam opuſculis quibusdam Duditii iunctim editis, & deinceps commemorandis, præmiſit. Et huius præcipue inſiſtere veſtigiis placet. Andreas itaque Duditius Sbardellatus ab Horehoviza natus eſt Budæ in Pannonia A. 1533. die 5. Febr. Parentes habuit illuſtres & generis nobilitate conſpicuos, ſed patre orbatus, Auunculi ſui Auguſtini de Sbardellat cura bonis literis artibusque, quibus formari ad honeſtatem & eruditionem ingenui pueri ſolent, imbutus eſt, Hungaria autem bellico ſtrepitu turbata, Vratislauiam miſſus eſt: vbi cum prima tirocinia poſuiſſet, Viennam Auſtriæ ſe contulit, & in aula Ferdinandi Regis aliquantulum temporis conſumpſit. Poſt in Italiam profectus eſt, ac Patauii & Venetiis, tum aliorum ſummorum virorum, tum & Pauli Manutii familiaritate ac contubernio vſus, in eloquentiæ ſtudiis eo progreſſus eſt, vt puritate latinæ linguæ, & ſtili elegantia, & eloquentia plerosque omnes antecelleret, vt Ciceronianus haberetur ac diceretur. Quanti ſane eum fecerit Manutius, ex teſtimoniis deinceps adferendis, conſtabit. Reuterus autem

tem hoc Simleri etiam testimonio comprobat, qui in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ, præclaro prorsus elogio eum ornauerit.

§. III. Italia relicta Galliam petiit, ac Lutetiæ in Græcis literis vsus est doctore, viro præstantissimo Angelo Caninio, Hebrææ quoque linguæ tirocinia sub eodem Caninio & Mercero eum posuisse, auctor est Reuterus, qui tamen addit, hanc eum non admodum postea excoluisse, quod angustis eam finibus contineri putaret. Ibidem etiam philosophiæ sedulam operam nauauit, præter ceteros autem Franciscum Vicomercatum audiuit, cuius etiam commentarios in Meteorologica Aristotelis minus latine scriptos eodem Vicomercato cupiente & rogante, *in elegantiorem stylum transfudit. Et ita etiam dicti Vicomercati comentarii editi sunt.*

§. IV. Insigni itaque & linguarum & philosophicarum disciplinarum cognitione locupletatus Duditius ad suos rediit: quorum consiliis cum eo adductus esset, vt Iurisprudentiæ capessere studium, secum decerneret, & ad ciuiles functiones, quibus destinabatur, se aptum redderet, denuo Italiam adiit ibique Reginaldo Polo Cardinali innotuit. Hic Paulo Manutio, cui iam ceteroquin notus erat, eum commendauit: cuius literæ ei rursus aditum muniuerunt ad Guidonem

Pan-

Pancirollum, Patauii magna nominis celebritate ius ciuile docentem. Extat Manutii Epiſtola inter reliquas & ſexta eſt libri quarti, in qua profitetur: conſuetudine quotidiana Duditii nihil eſſe iucundius: *non ſolum*, inquit, *quia probitate, modeſtia, morum elegantia, omnibus denique animi bonis excellit; ſed etiam quia paucorum annorum ſtudio, præſtantia videlicet ingenii, quam ego ſemper amaui, conſecutus eſt, vt exquiſitam & variam ſermo illius eruditionem præ ſe ferat, &c.* Et paucis interiectis: *Is cum ante Philoſophiam, præſertim quæ de Græcis fontibus hauritur & humanioris doctrinæ ſtudia diligenter, eximiaque cum laude coluit; tum hoc tempore in cognoſcendo iure ciuili totus eſt. &c.*

§. V. Reginaldo autem Polo Cardinali, cum iuſſu Pontificis, petente Maria, quæ Eduardum VI. in regno Anglicano exceperat, iter in Angliam ſuſcipiendum eſſet, Duditium itineris comitem ſibi accerſiuit. Germaniæ itaque partem, Belgicasque prouincias tum florentes perluſtrauit, atque Carolum V. Imperatorem Bruxellis ſalutauit. In Anglia tum nuptias Mariæ cum Philippo II. Hiſpaniarum Rege, tum maxime perſecutiones & immanitatem Pontificiorum in ſecus ſentientes ſpectauit. *Sed vt erat ingenio miti & manſueto* (ita loquitur Reuterus) *ſemper improbauit.* Summorum etiam, qui tum in Anglia

glia florebant, virorum ſibi conciliaſſe amicitiam, & Eliſabetham quoque ſub Mariæ iugo tum gementem ; eleganti ſermone latino compellaſſe dicitur.

§. VI. Ex Anglia, in qua paulo ſupra annum commoratus erat, in patriam redux, ibique honoribus Præpoſiti thermarum ſuperiorum Budenſium & Canonicatu Strigonienſi auctus, ad munus Reipublicæ gerendæ teſte Reutero noſtro expetebatur: ſed impetrata, vt idem addit, a Cæſare Ferdinando & amicis venia, rediit in Italiam, & humanioribus literis, ſtudioque philoſophiæ ac iuris ciuilis ſe totum conſecrauit. Tum etiam Dionyſii Halicarnaſſei de Thucididis hiſtoria iudicium: eiusdemq; libros de arte Rhethorica: Longinum item atque Demetrium περὶ ἑρμηνείας; ac tres poſtremos Diodori Siculi & Appiani Alexandrini de bello Romano contra Carthaginenſes, & geſtis Hannibalis, in linguam latinam eum vertiſſe perhibet. Idem quoque illum tentaſſe in vetuſtisſimo quodam commentario Græco in ſanctum Euangelium Matthæi, quem illi ex inſtructisſima ſua bibliotheca Michäel Sophianus commodauit. Denique ſub idem tempus, & Reginaldi Poli, eum deſcripſiſſe vitam, dicit.

§. VII. Perluſtratis hinc Principum quorun-

rundam aulis, præſertim Ducis Florentini, in Galliam profectus, Lutetiæ Pariſiorum Catharinam Medicæam Reginam ſermone Italico tam eleganti allocutus eſt, vt eam in ſui admirationem raperet. A ſuis autem reuocatus, Viennam Auſtriæ rediit, & Ao. 1560. ab Imperatore in conſilium ſanctius allectus, Epiſcopus etiam Tininenſis electus eſt. Mox etiam ad concilium Tridentinum orator Imperatoris, ac Epiſcoporum, & Cleri totius Hungariæ miſſus. Quo pacto vero in Concilio Tridentino ſeſe geſſerit, omnium optime nos condocet Petrus Suauis Polanus, vel potius Paulus Sarpius Venetus in Hiſtoria Concilii Tridentini. Is namque autor eſt, Duditium abuſus Eccleſiæ Romanæ ſubinde graui oratione deteſtatum fuiſſe, & Concilii Patres commonefeciſſe, vt ſerio de eccleſia reformanda & emendanda cogitarent. Sic cum de ordinationibus ad titulum quæſtio moueretur, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis cenſuit, inquit, Petrus Suauis, *p. m. 920. magis neceſſarium prouidere ſecundum vetera Eccleſiæ inſtituta, vt nemo ſine titulo & officio ordinetur, quam ſine beneficio ac reditu; quod inde offendiculum maximum naſcatur multis functionem ſacerdotalem capeſſentibus, non vt Deo eccleſiæque inſeruiant, ſed vt otio luxuque diffluentes amplis facultatibus gaudeant. In hoc Synodo animoſe in-*

cumbendum rationemque ineundam; qua nemo reperiatur Ecclesiasticus, non dicatus alicui certo ministerio. Ab se enim proximis temporibus obseruatum, Romae nonnullis Episcopatus dari hoc solo nomine ad eos promouendos: quibus intra breue tempus resignatis ipsi Episcopi tantum titulares maneant; affectata sola nominis dignatione. Quod quidem inuentum priscis illis Ecclesiae Patribus, quippe pestiferum, odiosum fuisset haud dubie, atque abominandum.

§. VIII. Haec satis libere atque cordate Duditius. Vnde fieri aliter non potuit, quam vt multorum incurreret reprehensionem, quos illa παῤῥησία offenderat. Monitus itaque a quibusdam, vt verba in Pontificem nimis aspere dicta, videlicet Romae *Episcopatus dari solummodo ad homines promouendos*, mitigaret, eandem rem, inquit Petrus Suauis, repetitam longa oratione prosecutus est, tanquam excusationis forma animi sui sententiam explanaturus, sed reuera, quae ante dixerat, confirmans, atque sub finem sermonis Patres ad suffragia libere ferenda, nullo habito personarum respectu, adhortatus.

§. IX. Cum Sessio XXI. Concilii Tridentini auspicanda esset, Duditius contra Patrum decretum sententiamque, orationem de calice laicis concedendo habuit, copiose disserens, quemadmodum vsus calicis vigente cari-

ritatis ardore omnium fuerit communis: ea vero deferuescente, & nonnullorum negligentia surrepentibus incommodis, eiusdem vsum minime interdictum, sed e suggestis doctum & declaratum, minus esse mali iis, qui ab indecoro eius vsu sibi temperare non poterant, calice omnino abstinere; horum exemplo alios temporis processu, ne ad curam adeo sollicitam obligarentur, eius vsu abstinuisse. Cumprimis autem Patres Concilii ad pietatem & mitiora consilia adhortatus est: & inter alia dixit: Christo minime placere, vt in sua opinione pertinaces dissidium adeo exitiabile foueant inter Christianos eius sanguinis causa, quem ille effudit, ad omnes arctissimæ caritatis vnione constringendos, vid. Petrus Suauis *p. 926. 927.* Eadem & grauiora adhuc, alia occasione dixit, vt idem testatur *p. 961.*

§. X. Cum primis hoc egit Duditius, vt ecclesiæ reformationem & in capite, & membris, strenue commendaret. Auctor est idem Petrus Suauis, eum aliquando, finita congregatione & reliquis discedentibus, remansisse, cum suis Hungaris, quibusdam Polonis & nonnullis Hispanis, quos ita allocutus sit: Imperatorem omni cura belli solutum, induciis cum Turca factis, nihil impensius desiderare, quam ecclesiæ reformationem; eamque ad

exitum perduci posse, dummodo in Concilio Prælatorum aliqua pars adnitatur. Quapropter & hortari & orare, vt Deum reueriti, pro ea caritate, qua Christianus quisque ecclesiam complecti debet, causam adeo honestam, iustam & vtilem non deserant &c. *p. 2013.*

§. XI. Tandem cum intelligeret, in Concilio Tridentino ob Italicorum Episcoporum Pontificis partibus addictorum, multitudinem, parum profici, discedere ex concilio secum constituit, vt Imperatorem artes illas Pontificias edoceret, causasque patefaceret, cur nihil eorum, quæ tam sollicite cupiebat Imperator, impetrari posset. Addit Petrus Suauis, Granatensem Episcopum, aliosque Hispanos, qui saniorem Concilii Tridentini partem constituebant, negotium dedisse Duditio, ageret cum Imperatore, vti ad Regem catholicū de reformatione scriberet, & residentia, quo & iis & aliis occasionibus ipsi libere profari possint, quod sibi conscientia dictat. Patres autem Concilii Tridentini periculum, quod ex eo imminebat, sentientes, pariter Episcopum Commendonum ad Imperatorem miserunt, qui illorum causam ageret. *p. 1137. 1138.*

§. XII. Magnam autem eius fuisse in Concilio illo auctoritatem, ex dictis haud difficulter colligere licet. Certe melioribus inter

Pa

Patres Concilii ſe non probare non potuit. Ex his Petrus quoque Fontidonus fuit Segubienſis Hiſpanus, Epiſcopi Salmanticenſis Petri de Mendoza Theologus, qui in Epiſtola ad Nicolaum Olaum, Archiepiſcopum Strigonienſem, Tridento A. 1562. ſcripta Duditium noſtrum mirifice commendat *Alias etiam*, inquit inter alia, *in Synodi conſpectu & clariſſimo totius orbis domicilio, diuina quadam eloquentia, voce, & actione de rebus grauiſſimis diſſeruit, & in altera ſummam animi pietatem in patriam, & in ceteras Germaniæ prouincias indicauit, dum omnibus ingenii & eloquentiæ neruis impetrare contendit a Sancta Synodo, vt perditas nationes, ſi hac via fieri poſſet, vnius calicis (cuius infinita quadam cupiditate teneri videntur) conceſſione, ad eccleſiæ gremium & vnitatem reuocaret: qua in re quanto ſententiarum pondere, quanto verborum ſplendore, quam ſuaui & ad miſericordiam procliui genere orationis vſus ſit, quantam inde laudem & admirationem reportauerit, ipſa me tacente teſtatur oratio.* Hæc & alia Fontidoni teſtimonia refert Reuterus in vita Duditii, qui & integram eius epiſtolam ad Archiepiſcopum Strigonienſem ſcriptam exhibet. Cur autem nobis prolixius hæc enarrare viſum ſit, ex dicendis mox conſtabit.

§. XIII. Nimirum cum initio ad Concilium

lium Tridentinum accederet Duditius, Romani Pontificis caufam bona fide egit, iratoque valde in hæreticos, quos vocabant, erat animo. Nec enim aut horum innocentia, aut illius calliditas & perfidia, illi fatis perfpecta erat. Patet hoc ipfum fatis ex ipfa Duditii oratione, quam in concilio prima vice, pro calice impetrando, habuit. In ea enim multa fplendide pro Pontifice, multa acerbe in Lutherum, Melanchtonem, Zwinglium aliosq; hærefeos nomine fufpectos, dixit. Pauca ex hac oratione defumpta verba ad illud comprobandum fufficiant. *Ibi tum præclari fcilicet illi ac generofi & vel ipfis iam nominibus horribiles duces prodierant, Lutherus, Melanchton, Zwinglius, Oecolampidius, Ofiander, Bucerus, Schwenckfeldius atque alii innumerabiles. Atque hi quidem vt primum ex ecclefia Matris caftris profugerunt, arma illa, quæ a Matre acceperant, vt a vi eam tuerentur o Scelus! impii, ingrati filii in ipfius fanctiffimæ, optime de fe meritæ, Matris vifcera contorferunt, & crudelisfimis divinum eius corpus vulneribus lacerarunt. Quid? hoc ne eorum furor ac rabies fubftitit loco! minime vero, longius progresfi funt &c.*

§. XIV. Hoc itaque animo erga Pontificem & Proteftantes cum initio effet Duditius, mox tamen, cum in ipfo concilio fraudes & nefarias artes, quibus Pontifex, & qui eius par-

partibus addicti erant, illius ſtabilire autoritatem,& ſummam poteſtatem, & omnem eccleſiæ reformationem tantopere neceſſariam declinare annitebantur, intellexit, aliter ſentire cœpit. Imperatori tamen Ferdinando, fidem ſuam,dexteritatem,candorem mirifice probauit, hinc non tantum Chanadienſi, & mox Quinque eccleſienſi Epiſcopatu hoc tempore auctus eſt, idque fauente cumprimis & annuente Ferdinando, ſed demandata illi etiam fuit legatio ad Regem Poloniæ Sigismundum Auguſtum,qua ſemel & iterum magna cum laude fideque optima perfunctus, a Maximiliano II. Cæſare tertia vice miſſus orator, educta ad ipſum Sorore Regina Poloniæ, quam Sigismundus Auguſtus dimittebat,re diu multumque deliberata, nobilisſimam virginem Reginam e familia Strozziorum, quæ a filia Cæſaris Ferdinandi ingenue fuerat educata, ſibi deſpondit, eique, matre conſentiente fidem coniugii dedit.

§. XV. Ex hiſce facile diiudicari poſſunt, quæ per ſummam calumniam de Duditio fingit Florimundus Ræmundus de *Origine Hæreſium lib. IV. cap. XII.* Cum enim dixiſſet, Duditium ob doctrinam & multarum rerum vſum Imperatori Maximiliano, dum vixit percharum, multas pro eo legationes in graviſſimis rebus magna cum laude obiiſſe, ſequen-

ſequentia addit: *Tandem cum in legatione ad Sigismundum Auguſtum Poloniæ Regem nobiliſſimam puellam Sophiam Goniſellam nomine vidiſſet, formæ captus pulchritudine ſic repente eius amore exarſit, vt, dum ea potiretur, omnia ſusque deque habere, adeoque religionem potius deſerere decreuerit, cum aliter eius potiundæ nulla ſpes eſſet. Non agnoſcis hic ordinariam ac tritam ferme omnium hæreſium portam. Duditium tamen & verecundia aliquandiu in officio continuit, & vana ſpes, breui fore, vt proculcatis Eccleſiæ legibus matrimonii vſus etiam Eccleſiaſticis permittatur, cœlibatu ad Eremitas, Monachos & alios, quibus tam durum perpetuæ caſtitatis placeret votum, ablegato. Quam ad rem ſe non exiguum momentum allaturum ſperabat, vt qui doctrina non vulgari, tum multarum linguarum peritia, & admirabili imprimis eloquentia eſſet inſtructus. Qua de re cum in Concilio Tridentino nonnullorum animos tentaſſet, adeoque etiam publice verba facere auſus eſſet, a cunctis exſibilatus & cum magna pudoris iactura domum reverſus, contra leges eccleſiæ Sophiam prædictam in matrimonium duxit.*

§. XVI. Aſt vero fallit hic multiplici ratione falliturque Ræmundus. Primo namque conſtat, cum iam e Concilio Tridentino diſceſſiſſet, legatione iſta Polonica Duditium functum eſſe, in qua puella iſta ei innotuit, quam

quam deinceps in matrimonium duxit. Qui potuit ergo amor istius puellæ eũ induxisse, vt Patres concilii ad matrimoniorum libertatem Ecclesiasticis concedendam, permouere oratione sua anniteretur? Mendacem oportet esse memorem. Non constant sibi, nec vllatenus cohærent, quæ Ræmundus finxit. Petrus quoque Suauis diligentissimus Historiæ concilii Tridentini Scriptor, nihil hac de re literis consignauit, nec quod contra cælibatum clericorum disputauerit, nec quod exsibilatus sit a Patribus Tridentinis. Imo aperte hoc cum illis pugnat, quæ supra ex Fontidono de insigni autoritate & existimatione, quam in hoc concilio Duditius obtinuit, retulimus.

§. XVII. Non equidem negauerim, contra cœlibatum Clericorum disseruisse in concilio Tridentino Duditium, cum & alios ecclesiæ abusus ibi perstrinxerit; ast eum amore puellæ istius ad hoc impulsum, eumque ab omnibus exsibilatum esse, hoc est quod meo iudicio probari nequit. Hornbeckius *in Adparatu ad Controuersias & disputationes Socinianas, p. 61.* dicit, eum in Concilio Tridentino duas elegantes habuisse orationes, de communione sub vtraque vnam, alteram de Sacerdotum coniugio valde disertas. Quirinus Reuterus tres Duditii orationes in con-

cilio Tridentino ab eo habitas edidit, in quarum prima, dum locum suum in concilio capessit, de statu ecclesiarum Hungaricarum & eiusmodi generalioribus argumentis, in reliquis duabus, de calice laicis concedendo, disserit. Dubito ergo, an peculiarem de coniugio clericis concedendo orationem habuerit, præsertim cum Petrus Suauis nihil de hac re commemorauit. Quirinus tamen Reuterus dicit: *Non solum pro calice laicis concedendo pugnauit: verum etiam de Sacerdotibus non prohibendis coniugio differere constituit; qua παῤῥησία Papam Pium IV. & qui ei successit Pium V. vehementer offendit.* Ergo saltem constituit de hac re differere, non disseruit. Quæ omnia me in eam inducunt sententiam, privatim cum quibusdam hac de re egisse Duditium, prohibitum vero aut impeditum esse, quo minus publice de hac re verba faceret. Extat equidem apud Reuterum inter reliqua Duditii opuscula, demonstratio, *matrimonium omni hominum ordini sine exceptione Diuina lege permissum esse*, in qua hanc causam erudite & eleganter agit: sed ex ea ipsa demonstratione patet, eam scriptam esse, cum iam matrimonium iniisset, adeoque postquam jam pridem ex Concilio Tridentino discesserat.

§. XVIII. Hoc ὡς ἐν παρόδῳ obseruo, a Flo-

Florimundo Ræmundo coniugem Duditii vocari Sophiam Gonisellam, quæ Quirino Reutero audit, Regina ex familia Strozziorum orta. Cum Ræmundo consentit quidem Hoornbeckius l. c. *Postmodum*, inquit, *relicto Papatu, ducta vxore nobili puella Sophia Gonizella, in quam singulari modo inciderat, in Polonia Regis aula, dum a Maximiliano missus legationem ibi obiret &c.* Ego tamen potius Reutero fidem adhibendam existimo, cui vita resque Duditii satis fuere perspectæ. Atque is quidem circa finem denuo testatur, Duditium duas habuisse coniuges: quarum prima fuerit Sophia ista ex gente Strozziorum, ex qua duos filios & vnam filiam susceperit; ex altera, eaque vidua Comitis a Tornow, plures. Hanc gente Sborouiam fuisse addit, quæ familia apud Polonos nobilissima & amplissima, multos præstantes gloria viros protulerit. Florimundus autem Ræmundus asserit, ex Sophia natum ei fuisse filium, *qui miseri senis crux fuerit, atque flagellum*, qua de re apud alios nihil inuenio.

§. XIX. Sed ad vitæ, quem tenuit, cursum Duditius, redeo. Coniuge sibi sociata, impetrataque a Maximiliano Cæsare missione, Episcopatu & reliquis, quibus fulgebat, muneribus se abdicabat. Scripsit tum apologiam vel excusationem, vt vocat, ad Maximi-

ximilianum II. Imperatorem, *in qua* (ita titulus se habet) *rationes adfert, quamobrem Episcopatu Quinqueecclesiensi & aliis honoribus abdicatis vxorem duxerit.* Extat ea inter reliqua eius monumenta a Reutero edita. Et erudite sane, & eleganter scripta est: Pontificumque Romanorum tyrannidem acriter impugnat, a quorum vt liberaretur iugo, hoc a se factum profitetur. Occasionem hanc apologiam scribendi præbuerunt litteræ Imperatoris, quibus hoc eius factum aliquo modo reprehendebat, quas tamen in gratiam potius Cleri Romani, quam ex animi sui sententia scripsisse Cæsarem coniicias, cum non intermiserit luculentissima fauoris & clementiæ documenta erga Duditium edere. Namque & Principibus eum commendauit viris, & annuum quoque & perhonorificum stipendium illi dependit. Imo Oratoris ac Internuncii perpetui munere apud Regem Poloniæ, Consiliariique intimi nihilominus, quam antea, fungi voluit. Industriamque suam & fidem variis argumentis comprobauit Duditius, præsertim cum hoc ageret Imperator, vt primo post mortem Sigismundi Augusti, tum post discessum Henrici Valesii, Polonici regni Diadema vni ex filiis suis deferretur. Sed hac de re hic dicendi locus non est.

§. XX,

§. XX. Duditius cleri Romani tumultus & strepitus & clamores, ipsiusque Pontificis vibrata in se excommunicationis fulmina parum curans, Cracouiæ rerum suarum sedem fixit. Ibi Reformatæ Ecclesiæ se adiunxit, cui tum negotium in Polonia facessebant Socini asseclæ. Admodum autem Duditio displicebant dissensiones illorum, qui Romanæ Ecclesiæ iugum excusserant: & siue acerbioribus Reformatorum in Socinianos consiliis, siue aliis rationibus adductus, inclinare in partes Socinianorum cœpit, imo si nonnullis credimus, palam ad eos accessit. Ita sane Hoornbekius l. c. *In religione melius, quid fugiendum sibi esset, quam quid sectandum, vidit: deserto Papatu fluctuatus diu, neque ecclesiis Reformatis addictus, a Socino interim & sociis eius artificiose illectus & specioso vanæ insanæque rationis lenocinio abductus est in deterrimam eorum abnegatæ S. Trinitatis hæresin: in quam rem scripsit epistolam ad Iohannem Lasicium Equitem Polonum, nuper iterum editam, vna cum eius refutatione a Cl. Maresio: quam iam ante legeram excusam ex bibliotheca celeberrimi Gomari.*

§. XXI. Prolixe etiam de Duditio, eiusque ad Socinianorum castra transitu, agit Gisbertus Voëtius *in Exercitat. de prognosticis Cometarum,* *quem locum* affert V. Cl. Thomas Creenius, *Animaduers. Philologico-Histor, part. II. p. 142,*

142. seqq. Et Voëtius quidem postquam Duditii sententiam, *cometas lumine suo aut aliis affectionibus singularia euenta non praenunciare* retulisset & exagitasset, addit: *Nunc solum praecognoscendum, eruditissimum hunc virum, in paradoxi huius defensione aliquo Scepticismi & Epicureismi afflatu, non minus quam peregrinantes & exulantes Italos modo recensitos, actum fuisse. Post multas enim variasque fluctuationes, circuitiones in Atheismos pectore conditos erupit, & aperte in θεομαχούντων castra concessit.* Et paucis interiectis, asserit, *eum blasphemiis in Seruatorem nostrum eructandis plurimos impietatis illius socios Socinianos superasse.* Et iterum: *De horrendis ipsius in Deum blasphemiis & plusquam Arrianis Atheismis fidem facit Epistola eiusdem ad Lasizitium* (recte monet Creenius, legendum esse: Lasizium) *equitem Polonum, anno 1590. typis edita, cuius exemplar olim habui, quam aeternis tenebris sepultam, quam recusam mallem. Generhartus Elmenhorstius in vtraque literatura & antiquitatibus tum profanis tum ecclesiasticis versatissimus, inter ceteros Trinitatis hostes coniuratos, hunc vnum Duditium sibi delegit, ex quo specimina impietatum & blasphemiarum exhiberet; hoc addito elogio: Quod ab orbe condito ex orci faucibus nullum (illo Scripto Duditii ad Lasizium) prodierit pestilentius &c.* Similia & alio-

rum

rum documenta quamplurima his adiungere possemus, si necesse esset.

§. XXII. Vides autem non Socinianismi modo, sed Atheismi etiam, Epicureismi, & Scepticismi crimen Duditio a Voetio obiici. Vbi ad Atheismum quidem quod attinet, nescio an auctoritate sola Voëtii stare velint, quibus ingenium viri cetera sane haud indocti, perspectum est. Dubito etiam, an rationem, quam addit, & qua haud obscure Duditii Atheismum euincere cupit, scilicet omnes Socinianos esse Atheos, & Socinianismum nihil aliud esse, quam Atheismum, omnes admissuri sint. Affert enim illud Bezæ *ex Epist. XVI Arrianismum nemo in ecclesia vnquam aliud esse sensit, quam Atheismum.* Et addit. *At quanto magis de abominando Socinianismo hoc dicendum esset.* Ego ex animo execror atque detestor impios Socinianorum errores, sed quod omnes Sociniani sint Athei, id quo pacto comprobari possit, nondum video.

§. XXIII. De Epicureismo quem Voëtius Duditio obiicit, idem est sentiendum. Saltem moribus non fuisse Epicureum Duditium, ex dicendis constabit. Ad Scepticismum quod attinet, hunc & ab aliis eidem exprobrari, video. Hoornbekii effatum iam supra attulimus. Dum enim dicit, *in religione melius, quid*

quid fugiendum sibi esset, quam quid sectandum, vidit, idem innuere videtur. Suffragatur Florimundus Ræmundus: *Primo,* inquit, *Poloniam, deinde in Silesiam, vbi omnium gentium Dii in honore erant, commigrauit, in magna paupertate & miseria vitam traducens, nec vllam certam religionem, in tanta confusione professus, sed pariter omnes, etiam illam, cui initio nomen dederat, irridens.* Et quibusdam interiectis: *Sic ergo harebat, sic fluctuabat Duditius, vt nulla ei placeret religio, adeo vt pro sacris Bibliis, Platonis vteretur libris. Libenter credo imitaturus Iulianum Apostatam, qui in Templis suis versus Homeri decantari & Platonis libros prælegi iussit, vt Sozomenus & Nicephorus testantur. Satis esse aiebat Duditius, vt Christianus in Deum credat, bene & honeste viuat, natura legem obseruet, amet virtutem & fugiat vitia, nec vlla alia opus esse ad salutem suam cuique procurandam religione.* Ræmundo tamen non magis hic credendum esse, quilibet facile videt, quam Voëtio. Certe dubium hæsisse aliquantisper Duditium, cui cœtui se adiungeret, nemo mirabitur, qui secum expenderit, quanti & quam multiplices vbique deprehendantur nævi, & quam parum vita doctrinæ respondeat. Non equidem excusandi ideo sunt, qui hanc ob causam, vt Euangelicam ecclesiam deserant, se induci patiuntur: commonefacere tamen hoc nos debebat, vt

vitæ

vitæ morumque accuratius, quam fieri ſolet, habeamus rationem.

§. XXIV. Quicquid huius ſit: ab obiecto Socinianiſmo excuſari nullo modo poteſt Duditius. Aperte ſatis enim in ſcriptis ſuis hunc profitetur: præſertim in epiſtola ad Theodorum Bezam, vbi inter alia ita loquitur: *Sed vt quid tamen de duobus clarisſimis illis viris, Georgio Blandrata & Franciſco Dauidis dicam, profiteor coram Deo atque eius Angelis, non me quicquam horum autoritate permotum fuiſſe, vt a recepta pasſim de Trinitate opinione diſcederem. Illud etiam ſancte affirmare poſſum, me neutrum horum nunquam vidiſſe. Quare nulla cum illis tam arcta mihi amicitia intercedere potuit, nullum beneficium ab illis profectum eſt, quod oculorum mihi aciem perſtringere queat: itaque non potuit mihi illorum gratia atque autoritas fucum facere, vt tu falſo coniicis. Neque vlla omnino vllius hominis auctoritas tanta eſſe posſit, qua me a vera pietate abduceret. Hoc tamen tantum abeſt, vt inficiaturus vnquam ſim, vt etiam libenter profitear, totam hanc cœleſtem doctrinam ſecundum Deum clarisſimis illis magnaque doctrina, ingenio, iudicio, pietate præditis viris potisſimum deberi, in cuius gloriæ ſocietatem iure ſuo veniunt & Alciatus, & Gregorius Schomanus & Krouicius, & Socinus, & alii præſtantisſimi viri, qui tum ſcribendo, tum docendo plurimum operæ*

ad hanc illustrandam doctrinam posuerunt. Illi primi, quod sciam, illi inquam duo praestantissimi viri, Blandrata & Dauidis, latine editis de hac re libris, Christum e sepulchro nobis eruerunt, in quod eum patres illi vestri, & Papismi conditores & architecti, detrusum atque oppressum, circumpositis satellitibus, detinebant. Quam ingenue fatebor, quod hi mihi euangelii doctrinam simpliciter vt scripta ac tradita est intelligendam, viam quasi digito intendente, demonstrarunt. Affert quoque hunc locum Christophorus Christophori Sandius *in Bibliotheca Anti-trinitariorum p. 62.* qui ceteroquin nimis facilis est in Socinianismi labe viris innocentibus adspergenda, vt suorum numerum augeat. Sed in Duditio non errat & recte quoque obseruat, eum potissimum ex Transsyluanorum Scriptis, a Georgio Blandrata & Francisco Dauidis in lucem emissis, hanc sententiam hausisse.

§. XXV. Ad saniorem mentem vt Duditium reuocaret, omnem mouit lapidem Theodorus Beza, qui ceteroquin eruditionem, & praeclaras ingenii animique dotes, in Duditio admiratus est. Patet hoc ex epistola, qua transitum ex Papatu ad lucem euangelicam ei gratulatus est. De propensione autem eius ad Socinianismum certior factus, prolixam ad eum scripsit epistolam, quae inter

Epi-

Epiſtolas eius eſt prima, ſcriptaque eſt A. M.D.LXX. In ea non tantum grauiter Duditium ab iis cogitationibus dehortatur, ſed teſtatur etiam, quanto inde afficiatur mœrore ob ſingularem in Duditium amorem *Hæc habui*, inquit, *quæ ad tuas reſponderem, non in Duditium, cuius ego pietatem, eruditionem, elegantisſimum ingenium amo & obſeruo: Sed ad Duditium, cuius ſollicitudine afficior, quem ab illis perditis paulatim in auia abduci, vt eſt amor res quædam timoris ſollicitì plena, noctes iam & dies non ſine magno mœrore cogito &c.*

§. XXVI. Conſtat autem ex vtriusque epiſtolis, Duditium ſuæ ab eccleſiis Reformatis auerſioni obtendiſſe, inteſtinas diſſenſiones, diſcordias, odia, diſſentientium perſecutiones, quæ omnia animos præceptorum Chriſti parum memores, arguere dicebat, adeoque vt eam eccleſiam, in qua eiusmodi vigerent mores, pro vera eccleſia haberet, hoc a ſe impetrare non poſſe. Idem confirmat Staniſlaus Lubieniecius *in Hiſt. Reformat. Polon. lib. III. c. IX.* Vocat ibi Duditium virum recondita eruditione, linguarum ſcientia, & quod præcipuum, morum caſtimonia, inter primos, qui vnquam fuerunt, merito ponendum. Narrat porro, quo pacto ad purioris veritatis notitiam peruenerit, & Epiſcopatu

opimo fortiter resignato, matrimonium prope vocante cœlo, inierit. Tandem addit: *Illud tacere non possum, quod solus adnotauit Budzinius, eum fixa Cracouiæ sede frequentasse ecclesiam Caluinianorum, & notasse diligenter istorum odia & iniurias, quibus veritatis cultores ad bonam causam deserendam impellere studebant, & qua erat modestia singulari & verecundia matronæ potius, quam viro, si Budzinio credimus conueniente, animum ab illis auertisse.* Nec abnuit Hoornbekius, hanc fuisse Dudítio a Reformatis discedendi causam, qui & obseruat inter Zanchii epistolas lib. I. esse vnam de vera ecclesia: eadem, inquit, super re, ob quam ad Bezam; quoque ad Wolphium Tigurum A. 1569. scripserat Duditius, nimirum quo pacto in nostra ecclesia, siquidem sit vera, tot existerent dissensiones, de variis religionis capitibus. Suam hac de re ἐπίκρισιν hunc in modum subiungit Hoornbekius: *At abunde & solide ei responsum: neque tot ac tantas esse illas inter nostros contentiones, neque quæ sunt, esse rationem suspicandi de ecclesia veritate, quin potius esse argumentum eius approbandæ, pro perpetuo & communi ecclesiæ hic militantis humanæ statu.* Sed quid? num isti qui in odia plusquam vatiniana quauis de causa in dissentientes exardescunt, vera ecclesiæ Christi sunt membra? quicquid huius sit: non est hoc sufficiens

cau-

causas a coetu nos aliquo separandi, adeoque excusari aut defendi factum Duditii nullatenus potest.

§. XXVII. Hæc itaque quæ hactenus attulimus, licet satis manifesta sint, aliter tamen de Duditio sentit, & Socinianismi labem ab eo abstergere nititur, G. Michael Lingelshemius. Extat huius epistola inter epistolas clarorum & doctorum virorum ad Melchiorem Goldastum, estque trecentesima octaua: in qua, *Virum, inquit, illum colui viuum & veneror mortuum: ob summam olim in me demonstratam humanitatem, sed magis ob probitatem, doctrinam, veritatis studium, & ἦθος illud perfectum viri boni & præstantis. Scio labem eius famæ adspersam ob commercium cum Arrianis, sed mihi de eius recta fide in Christum & pia morte constat.* Exhibet eam epistolam, cum alia inedita hactenus, V. Cl. Thomas Creenius l. c. Quicquid autem Lingelshemius dicat, scripta Duditii nimis aperte testantur, eum in Arianorum militare castris, vt meo quidem iudicio, excusationi locus non sit. Nisi forte dicas, eum agnito errore ad mentem meliorem rediisse, id quod nec affirmare, nec abnuere pronum est, licet hoc confirmet Quirinus Reuterus.

§. XXVIII. Ceterum, vt quod reliquum est vitæ Duditii pertexamus, cum Stepha-

nus Battorius Transſyluaniæ Princeps regno Poloniæ potitus eſſet, exceſſit Polonia Duditius,& ad Maximilianum Imperatorem ſe contulit,eumque ad Comitia Ratisbonenſia A. M.D.LXXVI. ſecutus eſt: Maximiliano autem in illis Comitiis mortuo,apud filium eius & ſucceſſorem Rudolphum,eundem poſtea obtinuit locum. Familiam ſuam tum in Morauia collocauit, in qua, vt Quirinus Reuterus autor eſt,propter inſignem virtutem ac gloriam,priuilegia Baronibus eius prouinciæ peculiaria facile conſecutus eſt,ac oppidum Paſcow cum adiacentibus villis,ære redemptum, inhabitauit. In illo Paſcouiano ſeceſſu ſe totum literarum ſtudiis dedit,accitis vndiquaque viris doctrinæ & ingenii laude florentibus. Aſt biennio exacto, grauibus de cauſis,quas tamen nullibi indicatas inueni,relicta Morauia Vratislauiam ſe contulit, ibique vitam ab omni ſtrepitu alienam, ſtudiis ſacris aliarumque honeſtarum ſcientiarum vacans, duxit. Mortuo equidem Poloniæ Rege Stephano, nouis ob noui Regis electionem motibus in Polonia excitatis, Auſtriacas partes iusſu & voluntate Rudolphi Imperatoris,ſecutus & tutatus eſt, eamque ob cauſam variis incommodis atque periculis obiectus. Aſt turbis iſtis conſopitis, ad priſtinam vitæ ſtudio-

rum-

rumque rationem rediit, tandemque obiit die XXIII. Febr. A. M. D. LXXXIX.

§. XXIX. Mortis suæ tempus ipse præscivisse & accurate prædixisse dicitur. Testis est Florimundus Ræmundns: *Tandem cum Vratislauiæ domicilium fixisset sine vlla morbi suspicione, mortis suæ horam prædixit. Ab amico enim ad prandium inuitatus, quamuis sanus & valens videretur, excusauit se, inquiens: Tempus iam esse, vt alio proficiscatur, & vltimum naturæ debitum persoluat. Deinde in lectulum se componens multa sed philosopho, quam Theologo vel etiam Christiano magis digna, cum summa adstantium admiratione disserere cœpit.* Addit: *eum tandem animum placidissime reddidisse tanta alacritate & constantia, ac si cælos apertos sibi videret.* Hoc tamen minus mirum putat Ræmundus, *cum non raro infamis vita, qualis Duditii fuit, honesto exitu soleat terminari.* Ast morum puritatem vitæque integritatem in eo omnes laudant. Quod si ergo insuper ab erroribus Socinianorum, ad doctrinæ cœlestis veritatem agnoscendam reuocatus fuit, quæ nonnullorum est sententia, potuit sane certa melioris vitæ breui obtinendæ spes ac fiducia, hanc in eo alacritatem & constantiam progignere. Idem vero quod Ræmundus dixerat, confirmat etiam Quirinus Reuterus: Mortem ipsum præsagiisse & prædixisse ferunt, præsentibus ma-

gnificis viris, his verbis : finis meus appropinquat : ac ante finem in conuiuium quoddam philosophicum ab illis attractum, de aliis quoque sacris ac politicis rebus pie & sapienter disseruisse : tandem vbi terminum appropinquare sensit, hæc verba tribus vicibus effatum : *Ah Domine Christe, serua me* : & sic manibus bene compositis, placidissime absq; vlla commotione exspirasse &c. Ex astrologicis rationibus eum didicisse tempus, nos condocet Philippus Caroli in *Animaduersionibus in Gell. lib. XIV. cap. I. aph. III.* Refert is, Duditium in mathematicis quoque studiis egregie fuisse versatum, & arctam cum Iohanne Prætorio harum Scientiarum in Academia Altorffina Professore, amicitiam olim contractam renouasse, & per literas tota reliqua vitâ coluisse. Ad illum itaque Prætorium biduo ante mortem Duditium dedisse literas, quarum in ima clausula post varias de rebus mathematicis quæstiones, propria manu hæc verba scripsit : *Ecclipsis Lunæ 15. huius Mensis incidit in Aquarium, qui meus horoscopus est. Si vera est Astrologia, mortem mihi affert, aut grauissimum aliquem morbum. Tu quid censes ?* Vix hæc Duditium scripsisse, cum mors eum comprehendit.

§. XXX. Testimonia quidem eruditorum de Duditio iam ipsi de vita eius narrationi inter-

terſperſimus, vt plura addere neceſſe non ſit. Pauca tamen adhuc ſubiungemus. Iacobus Auguſtus Thuanus paſſim honorificam admodum Duditii noſtri iniicit mentionem. *Andreæ Duditii*, inquit, libr. IX. *illuſtre nomen in literis & ob legationes ab eo obitas &c.* Et libr. XXXII. *Andreas Dudithius Epiſcopus Tininienſis, admirabili vir ingenio ac doctrina, orator Cæſareus iam Tridentum aduenerat &c. libro autem LVI.* teſtatur, etſi iam ab eccleſia Romana deſciuiſſet, gratiam tamen Cæſaris retinuiſſe, qui etiam in legatione Polonica eius opera vſus ſit, *ſingulari tamen erga Auſtrium nomen adfectu meruit, vt ſi non primas partes (hoc enim Cæſari apud Pontificem inuidioſum fuiſſet) ſaltem ſecundas, tanquam præcipuus Roſembergi conſiliarius, teneret & pro prudentia ſua, & rara in ſcribendo loquendoque facultate, negotium adiuuaret.* In eo ſane omnes conueniunt, ſummam in Duditio fuiſſe eruditionem & eloquentiæ vim admirabilem: Idque porro Ioſiæ Simleri, Iohannis Michaelis Bruti, Florentini, Stephani Poloniæ Regis Hiſtoriographi, porro Iuſti Lipſii, Bucholceri, aliorumq; teſtimoniis comprobare poſſem, ſi in re non dubia, nec admodum neceſſaria, nobis diceret eſſe prolixis.

§. XXXI. Scripta Duditii accurate recenſet Chriſtophorus Chriſtophori Sandius

in *Bibliotheca Antitrinitariorum p. 62. seqq.* Ex quibus praecipua sunt: *Commentariolus de cometarum significatione & dissertationes noua de cometis Basileae A. 1579. in 4to.* Hic eam defendit sententiam, quam Gisberto Voëtio refutatam esse supra diximus. *Orationes duae nomine Episcoporum Hungariae in concilio Tridentino habitae & ibidem* Francofurti & Hanouiae impressae. Imo istae orationes & Parisiis, & Venetiis, & Pataui impressae sunt: Quirinus Reuterus, tertiam illis adiungit, vt mox dicemus. *Monita quoque Politica* scripsit Duditius, quae cum orationibus duabus ante memoratis prodierunt Offenbaci A. M. DC. X. in 4to. De *vita Cardinalis Poli*, itemque veterum aliquot scriptorum Graecorum translationibus in latinam linguam, ab eo adornatis, iam supra diximus. Sandius his addit: *Notas duplices in Fausti Socini disputationem de Baptismo aquae, disputationi huic annexas:* & varias epistolas ad viros doctos de grauissimis argumentis a Duditio scriptas. Inter has vero eminet ea, quam ad Theodorum Bezam scripsit *Cracouiae, A. 1570. Kal. Aug.* in qua disputatur, an ecclesiae nomen soli reformatae conueniat, & quae edita est *Heidelbergae A. 1593. in 8.* cuius itidem supra iniecimus mentionem: Itemque epistola ad Iohannem Lasicium Equitem Polonum, in qua de S. S. Tri-

Trinitate disputatur: scripta *Cracouiæ A. 1571. die 9 Iunii*; impressa ex Bibliotheca Gomari, & postea cum refutatione Maresii. De reliquis Saudius *l. c.* videri potest. Quæ autem Quirinus Reuterus ex Duditianis coniunctim edidit, ex titulo libri constant, qui ita se habet: *Andreæ Duditii de Horeuiza, quondam Episcopi Quinqueecclesiensis, Oratoris & consiliarii Cæsarei, Orationes in Concilio Trident. habitæ. Apologia ad D. Maximilianum II. Imperatorem. Commentarius pro coniugii libertate, cum appendice Epistolarum D. D. Imperatorum & P. P. Germaniæ Orationum ac Scriptorum aliquot, de communione sub vtraque, de connubio Sacerdotum, Ecclesiæ reformatione, Synodique Tridentinæ potissimum actionibus &c. Nunc edita studio ac opera Quirini Reuteri, Palatini, Professoris in Academia Heidelbergensi, Offenbaci, Ao. 1610. in 4to.* In hac collectione nonnulla continentur, quæ Sandio, aliisque, qui de Duditio commentati sunt, non fuerunt nota, præsertim tertia oratio in concilio Tridentino habita, quam prima vice Reuterus edidit. Et huic operi idem Reuterus vitam Duditii præmisit, ad quam hactenus sæpius prouocauimus.

OBSERVATIO XII.

DE IMPERATORIBVS, REGIBVS HISPANIÆ, ANGLIÆ, SCOTIÆ ET GALLIÆ CAPTIVIS.

§. I. Ha-

§. I. Habent & regna & principes suas periodos fatales §. II. Exempla antiquiora per transitum enumerantur §. III. Ludouicus Pius a filiis capitur §. IV. Varia fata Henrici IV. §. V. Fridericus Austriacus a Ludouico Bauaro captus. §. VI. Fridericus III. Imp. a subditis suis varie vexatus §. VII. Fata & captiuitas Maximiliani I. §. VIII. Transitio ad Reges captiuos §. IX. Reges Hispaniæ captiui §. X. Robertus Angliæ Rex captiuus §. XI. Stephanus Angliæ Rex a Mathildi captus §. XII. Richardus I. Angliæ Rex a Leopoldo Austriaco captiuus factus. §. XIII. Henricus III. Eduarduus II. Richardus II. Angliæ: Io. Baliolus & Dauid Scotiæ reges capti. §. XIV. Henricus V. Angliæ Rex captus. §. XV. exemplem Mariæ Scoticæ §. XVI. Tristissimum exemplum Caroli I. §. XVII. Galliæ Reges captiui, vbi etiam communis ista traditio, de septimo quoque Galliæ Rege captiuo, exploditur.

§. I.

VAriis periodis & conuersionibus subiectas esse respublicas, non tam ex Platonis † philosophia, quam ex omnis æui memoria multis luculentisque exemplis confirmari potest vberrime. Oriuntur regna, crescunt eorum opes, augetur potentia: mox, vbi fastigium suum sunt con-

† vid. Cicero *II. de diuin. c. II.*

consecuta, inclinant rursum in exitium & ruinam. Cuius rei quemadmodum potissima & suprema caussa Dei est voluntas, & prouidentia; ita in eadem fatalis consequentiæ serie tum rerum omnium miram quandam vicissitudinem, tum vero inprimis regum principumque casus, obseruare licet. Tam enim versatilis vndique humana conditio est, vt, qui modo auro & purpura fulgebant, omnibusque præscribebant leges, mox deiecti gradu, vincti & captiui suspirent, aliorumque precariam exspectent gratiam, aut sæuam iram metuant.

§. II. Horum in præsenti exempla descripturus, non ibo equidem per remotiora, Crœsique Lydorum Regis, Cyri Persarum Monarchæ, aut Darii Hystaspis fata recensebo. Neque Cananæorum reges, vel Iudæorum Amazias, Achas, Manasses, Iojakim Iechonias postea dictus, huiusque infelix successor Zedekias occupabunt me. Neque per Romanorum duces in triumpho ductos reges exteros, Persen, Andriscum, Iugurtham & eidem reseruatam Cleopatram: neque a Persis captum & misere extinctum Valerianum Imperatorem, nec a Phoca captum trucidatumque cum omni familia Mauritium, aliosque similes ex prisco æuo in medium adducam. Suffecerit ea saltim, quæ

inde

inde a Caroli M. Imperatoris tempore extantiora videbantur exempla paucis commemorare.

§ III. Ex his primo loco nominandus merito LVDOVICVS PIVS ipsius Caroli filius est. Hic anno DCCCXVII † inter tres filios ex priore coniuge Irmengerde natos Lotharium, Pipinum & Ludouicum ita diuiserat imperium, vt Pipinus Aquitaniam, Ludouicus Boioariam, Lotharius vero se defuncto, imperium vniuersum vna cum Imperatoris titulo & honore obtineret. †† Postquam vero anno sequenti Irmengardis decessisset, ad secunda vota transibat Ludouicus, anno DCCCXIX, Iudithamque filiam Huelpi, Comitis, ducebat in matrimonium. Et quamvis anno DCCCXXI priorem illam regnorum diuisionem confirmaret denuo, & Lotharius filius anno DCCCXXIII Romæ coronaretur a Paschali Pontifice, Imperatorque Augustus salutaretur: Carolo tamen Caluo, vt postea vocatus est, nato ex Iuditha, anxius pater, de eius fortuna, Lotharium rogabat, vt aliquam regni portionem illi permitteret. Facilis tunc erat Lotharius, vt pro arbitrio suo id

† vid. annales Francorum ex Bibliotheca P. Pithœi editos ad dictum annum p. 25.

†† Nithardus lib. I. de dissensionibus filiorum Ludovici Pii p. 435.

id ageret, non tantum hortabatur patrem, sed & defensorem patriæ voluntatis contra quoscunque se offerebat, iureiurando interposito. Cuius vero promissi instinctu Hugonis, soceri, aliorumque sera consecuta pœnitentia est. † Ludouicus tamen totam Alemanniam ac Rhætiam, nec non Burgundiæ partem destinabat filio Carolo. †† Aegre id ferentes filii reliqui, vniuersam plebem concitabant, variasque insidias patri struebant. Iuditham quoque nouercam adulterii cum Bernardo, quodam duce, commissi postulabant. Sed Bernhardus more illorum temporum duello obiectum crimen diluere paratus, absolutus est. ††† Tandem quod diu parturiuerat impietas, in campo magno inter Argentoratum & Basileam, qui exinde campus mendacii vocatus est, erupit. Ibi enim obuiam patri suo facti filii cum instructo exercitu, pontificem Gregorium secum adducebant, qui se pacificatum venisse fingebat. Mox a militibus desertus captusque Imperator cum Carolo filio, & Iuditha vxore, variis iniuriis adficiebatur, donec tandem a Ludouico filio, & quibusdam re-

† Nithardus c. I.

†† Theganus de gestis Ludouici Imp. p. m. 310.

††† Theganus c. I.

regni proceribus liberaretur & dignitati pristinæ restitueretur.

§. IV. Iniquiora multo fata exercuerunt Henricum IV, belli, iuxta & pacis artibus clarissimum Imperatorem. Tenera statim ætate e matris potestate rapiebatur ab Hannone Agrippinæ Coloniæ archiepiscopo. † Imperium quippe hactenus administrabat illa. At quum familiarius paulo cum Henrico, Augustano episcopo, viueret, illico in suspicionem adulterii apud Imperii proceres veniebat: quapropter vt filium ab ea abstraherent, omnem lapidem mouebant, quod etiam anno MLXII. circa paschatos festum ita effectum est. Hilarior Traiecti, ex vino & epulis factus Henricus, inuitabatur ab Hannone archiepiscopo, vt nauim mirifice in hanc rem exornatam, secum conscenderet. Quod quum facile impetrasset, nauis confestim soluitur a littore & vela ventis dantur. Perterritus hac noua rerum facie Henricus, insidiasque & mortem metuens, ex naui in medios fluctus præcipitem se dat, mox inde ereptus Coloniam abducitur. Exinde magnum fortemque animum suum, multis egregiis speciminibus, cumulate probauit. Quip-

pe

† Hermannus Contractus *in Chronico ad an. MLXII.* Lambertus Schafnaburgensis *de rebus German. ad eundem annum.*

pe duo & sexaginta numerantur eius prœlia, quibus plerumque superior euasit. Soli perfidiæ & nequitiæ Pontificum ad vltimum resistere non potuit. Inciderat in tempora improbissimorum nebulonum, Hildebrandi, Gregorii VII. dicti, Vrbani VI. & Paschalis II. Quorum primus id agebat vnice, vt non tam dominatum & tyrannidem, quam illimitatam quandam per vniuersum terrarum orbem, potestatem stabiliret, Imperatoribus & regibus pro arbitrio suo leges diceret, eosue, si minus placerent, imperio & omni dignitate exueret. Cæterum Imperatores iure non tantum episcopos in Germania, pro more illorum temporum inuestiendi, sed & ipsum pontificem in ordinem redigendi, aut si elatius se gereret, deponendi hucusque vel vsi fuerant, vel certe id iuris habebant. Hildebrandus vero Henricum idem sibi vindicantem Romam euocabat, vt caussam diceret, Simoniæ & hæreseos eum postulans. Quo quum venire nollet Imperator, sed potius Wormatiæ imperii sui proceribus conuentum indiceret, ibique communi omnium inauditum hucusque sacri hominis fastum detestantium consensu, indignum sede papali Hildebrandum adeoque ab eadem depellendum iudicaret: vniuersum Acheronta stygemque diris anathema-

tum fulminibus in eum ciebat Papa & convocato Romæ conciliabulo, subditos Imperatoris a sacramento debitoque obsequio absoluebat. † Concedebat quidem in Italiam Imperator, veniam anathematis rogaturus Papam, quam quidem Canusii, vbi tum forte commorabatur, ille ægerrime impetrabat, postquam indutus lanea veste, nudis pedibus, sæua hieme sub dio per triduum eam frustra præstolatus erat. †† Vrbanus, qui succedebat Hildebrando, hæc non reuocabat tantum, sed & Conradum Henrici filium aduersus patrem concitabat, Italiæque regem inaugurabat. Hoc etiam demortuo, Paschalis II. instinctu alter etiam Imperatoris filius Henricus, cui tamen imperium iam ante destinaverat pater, in eum armatur a Germaniæ Principibus. Nunquam vero virtute hic vicisset patrem, nisi insidiis & fraude circumuenisset eum. Indictus erat conuentus Moguntiæ ipsis natalitiis habendus. Quo quum & Imperator pergeret, monitus est a filio, ne se facile aliis crederet, sed in

† Otto Frising. *lib. VI. c. XXXV.* Gottfr. Viterb. *Panth. p. XVII.* Onuphrius Panuinius *in vita Gregorii VII.* Ioannes Launoyus *epist. ad Ralmundum Formentinum Theol. Paris.*

†† Lambertus Schafnaburg. *de rebus gestis Germ. ad A. C. MLXXIII.*

in castris, quæ tum forte ad Ingelheim posita erant, euentum expectaret. Ibi comprehenso detracta sunt imperii insignia, quibus filium ornarunt. Inde Leodium ablegatus non multo post exercitum haut contemnendum contraxit denuo, quo & fugauit primum filium degenerem. Qui tamen redintegratis inde copiis denuo adortus est patrem, captumque indigne nimis habuit. Eo namque miseriæ peruenit optimus senex, vt ab Episcopo Spirensi victum peteret, se non inutilem clericum fore pollicitus, quod & litteras calleret, & choro inseruire egregie posset, quæ gratia plane ei denegata est. † Conuersus ad adstantes fertur dixisse: *miseremini mei vos saltem amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Paucis diebus post VII. Idus Augusti ingenti confectus dolore vitam posuit, ac ne in morte quidem desæuientibus anathematum pontificis procellis, corpus eius per integrum quinquennium in cella quadam ædis deserta insepultum iacuit. ††

§. V. Imperatoribus accensemus etiam Fridericum Austriacum, quem ex numero Imperatorum excludunt quidem communiter, alii tamen omnia iura & priuilegia ipsi

 vin-

† Carolus Sigonius *de Regno Italiæ libro IX.*
†† Conradus Vrsberg. *in Chron. ad ann. MCV.*
† vid. Fuggeri *Spec. hon. domus Austr. lib. III. c. IV.* Gerardus de Roo *lib. III. p. m. 95.*

vindicant. Hunc anno MCCCXIV. in Comitiis Francofurtensibus quatuor electores elegerant, quibus quum contradicerent reliqui, Petrus nempe, Moguntinus archiepiscopus, Balduinus, Treuirensis, & Ioannes Bohemiæ Rex, Ludouicumque Bauariæ ducem Imperatorem destinarent, illico ad bella ciuilia itũ est, quæ varia gerebantur fortuna. In quinto conflictu victus est Fridericus & captus anno 1322 in Bauaria prope Muhldorff, & Oettiniam vna cum fratre Henrico abductus est. Quo facto eius etiam copiæ facillimo negotio dissipabantur ac cædebantur. Ex custodia ista, quam per integrum triennium magna constantia sustinuit Fridericus, variis artibus liberare eum adnitebatur frater Leopoldus Austriacus, adeo quidem, vt & ipsi diabolo aliquando id negotii commisisse dicatur. Qui etsi sub habitu scholastici adpareret Friderico, operamque suam offerret, ille tamen carcerē huic libertati longe anteferebat; quam tamen traditionem fabulæ, quam historiæ similiorem habet Gerardus de Roo.† Tandem quum vndique Reges ac Principes auxilium venire Friderico Ludouicus audiret: æquissimis conditionibus eum dimittebat, ita vt nomen quidem Cæ-

saris

† *lib. III. p. m. 94.*

ſaris retineret, omni vero re imperii abſtineret. †

§. VI. Fridericus in ordine Imperatorum tertii cognomen adeptus, nunquam quidẽ in hoſtium ſuorum poteſtatem venit, ter tamen a ſeditioſis ſibi ſubditis ita obſeſſus eſt, vt in ipſis arcibus ſuis, tanquam in carceribus deliteſceret. Quas tamen ſubditorum ſuorum inſidias euaſit, iisdem prout par erat, in ordinem redactis. †

§. VII. Maiorem adhuc perfidiam atque iniquitatem a ſuis expertus eſt Maximilianus, Friderici III. filius. Huic non ignota erant turbulenta, & ad ciendos tumultus prona, Flandrorum ingenia. Quare cum anno circiter MCCCCLXXXVII. Gallorum inſtinctu res nouas quidam viderentur moliri, ex iis præcipue Adrianus Raſſingemius, qui e Gallorum partibus ſtabat, cuſtodiæ committebatur, quem tamen propinquorum vnus ſingulari ſtratagemate liberabat. Gandauum reuerſus Raſſingemius de iniquitate carceris & iniuriis non tam ſibi, quam vniuerſæ reipublicæ illatis, multa ſeditioſe querebatur, ciuesque ſuos ad recuperandam libertatem magno verborum ambitu exhortabatur. His moti Gandauenſes cum Tornacenſibus &

† Roo *lib. III. p. m. 95.*
†† Fuggerus *lib. V. c. XV.*

Brugensibus legatos confestim ad Regem Romanorum (nondum enim Imperator erat Maximilianus) mittebant, qui inter alia rationem ingentis pecuniæ hactenus tributæ exigerent. Sed his respondebatur breuiter: *Regi ad hæc in præsenti non vacare.* Exinde ad dolum atque insidias adplicatis perduellium animis, inuitabatur Maximilianus, vt instans festum consecrationis candelarum, quod ex ritu pagano ita vocant, seu purificationis Mariæ virginis, apud Brugenses celebrare ne grauaretur. Ac initio quidem aperte renuebat ille, non tantam Brugensium fidem esse, vt se iis credere auderet, causatus. Vno tamen ex fidissimis ministris adseuerante, ad tria millia virorum ad eius nutum ibi parata fore, nihil dubitabat eo pergere. Ibi Conradus quidam de Rosa, homo lepidi ingenii, sed manu strenuus, nec omnis, vti postea compertum est, consilii inops, quo ad familiares iocos vti solebat Rex, magna contentione eum prohibebat, se vero nolle capi, sed mox per portam Gandauensem discessurum, Brugensiumque prædia & vicos incensurum protestatus. Neque vana coniectura ductum hunc hominem, sera pœnitentia Maximilianus aduertebat, quando non solum inuitus detinebatur in vrbe ex vna custodia in aliam tractus, sed eius ministri etiam & consiliarii in

eius

eius conſpectu exquiſitiſſimis tormentis cruciabantur in publico theatro, partim etiam per carnificem tollebantur. Conradus quidem aliquoties liberare Dominum ſuum adnitebatur. Primo enim flumen, quod caſtellum, in quo tunc Regem nouerat, circumfluebat, tranare parabat, ſed inde a cygnis magna vi nec ſine præſentiſſimo vitæ periculo repellebatur. Iræ deinde plenus aliud inibat callide conſilium. Artem nempe tonſoriam eatenus addiſcebat, vt caput radere monachumque poſſet facere. Id primo omnium in ſemetipſo expertus, accedebat Franciſcanorum quendam, Guardianum dictum, quem fidum Maximiliano nouerat, illique rem omnem, quam moliebatur, aperiebat. Huius etiam opera ſub confeſſionarii perſona ad regem admiſſus, quod inobediens fuerit, ipſe exprobrat, quod ſalubertimis ſuis conſiliis parere nuper detrectaſſet, mox quid rerum foris gereretur, interrogatus? Chriſtophorum Bauariæ ducem, comitesque, Sonnenbergenſem, Eberſteinenſem, Naſſouienſem & SE inſignem victoriam exigua manu a Gallorum & Gandauenſium ſex millibus comparaſſe gloriatur; tandemque artem ſuam & conſilium regi exponit & vt habitum regium cum clericali commutet, parato in hanc nauigio euadat, hortatur, ſe interim ca-

ptiuum Regem actūrum. At neque huic consilio morem gerere volebat Maximilianus, sed re infecta Conradum dimittebat, maxime quum Fridericum patrem valida imperii auxilia adducere audiret. Hæc vero expectare nimis periculosum rati Brugenses, custodia Maximilianum liberant, iureiurando prius constrictum, ne iniurias hucusque illatas vnquam vltum eat. Qua tamen cautione prohibere non potuere, quo minus varie a Friderico eiusque exercitu castigarentur, seditionisque capita raperentur ad supplicium. †

§. VIII. Atque hi sunt Imperatores, quos in præsenti captiuos recordamur. Wenceslaus enim & Sigismundus in Bohemiæ Vngariæque regibus considerandi deinceps venient. Iam & aliorum per Europam potiora strictim persequemur exempla; quæ quidem si latius singula instituerenus exponere, dubium non est, quin iustum volumen impleremus.

§. IX. Atque ex Hispaniæ Lusitaniæque Regibus duo tantum nominandi hic sunt, Garsias nempe & Alfonsus I. Quorum ille a fratre suo Sanctio hanc expertus fortunam est. Nam cum pater Ferdinandus Magnus tri-

† Fugger *lib. V. c. 35. 36. & seqq.* Michael Boiemus *vita Alberti III. D. Sax. §. XXXIV.*

tribus filiis anno MLXV. totidem regna testamento destinasset, Alphonso nempe Legionem, Garsiæ Galliciam Lusitaniæque partem; & Sanctio denique Castiliam: hic minime contentus sorte sua, Alphonsum regno deiiciebat, Garsiam vero capiebat, donec in obsidione Camoræ qua sororem quoque cinxerat, opprimeretur. † Alphonsus vero Lusitanus anno MCLXXIX. a Ferdinando ad Pacem Augustam, Lusitaniæ vrbem, capiebatur, sed mox restitutis, quas in Gallicia occupauerat, vrbibus, sine vllo alio pretio dimittebatur. ††

§. X. Plures ex Angliæ regibus occurrunt. Anno MCI. Guilielmus Rufus a satellite quodã inter venandum occidebatur. † Cui morienti cum adesset, frater eius natu minor, omnes thesauros ad se pertrahebat, iisque populi fauorem sibi ita conciliabat, vt Roberto, fratri natu maiori, qui tum in Palæstina ad mœnia Hierosolymorũ hærebat, anteferretur. Hic vero reuersus cum valido exercitu in patriam, Henricum fratrem debellabat, qui tum annuæ pensionis sponsione eum sedabat. Sed huius pacti non multo post

 ini-

† Rodericus Santius *hist. Hispan. p. III. c. XXVI* Io. Mariana *de regno Hispaniæ lib. IX. c. VIII.*
†† Mariana *lib. XI. c. XV.*
† Polydorus Vergilius *hist. Angl. sub finem libri decimi.*

iniqua Henricum ſubibat pœnitentia, vt nouum bellum fratri in Normandia moueret, cruentoque prælio victum captumque per reliquum vitæ ſua tempus detineret, oculisq; tandem priuaret. †

§. XI. Henrico in regno ſuccedebat Stephanus eius ex ſorore nepos, comes Bononienſis, quem Mathildis Henrici filia, quæ primo Henrico IV. Imperatori, poſtea vero Giffrido, Comiti Andegauenſi nupſerat ††, & poſt parentis ſui obitum non ſolum Stephanum, ſed & reliquos regni proceres iureiurando fidelitatis, vt vocatur, obſtrictos habebat, in prœlio ad Ceſtriam commiſſo capiebat. ††† Mox vero quum deficientibus a regina Londinenſibus turbida Angliæ facies eſſet, ex cuſtodia elabebatur Stephanus, ac poſtea amiſſum regnum recuperabat, hac tamen lege, vt Henricum II. Mathildis filium, hæredem inſtitueret, qui etiam mortuo anno MCLVI Stephano ſucceſſor datus eſt. †

§. XII. Richardus I. patrem ſuum Henricum II, quem modo diximus, quod ei ſponſam, Adelam, Ludouici Gallorum regis filiam

† Polydorus Vergilius *lib. XI. ſub initium.*

†† Robertus de Monte *append. ad Chronogr. Sigeberti Gemblac. ad ann.* 1135.

††† Guilielmus Neubrig. *rerum Anglic. lib. I. c VIII.*

† Polydorus Virgilius *lib. XII. p.* 271.

filiam, iam in Angliam deportatam diutius detineret, ac cum ea, vt volunt nonnulli, familiarius, quam ſenem deceret, viueret, non ſolum inceſtus crimine publice compellabat, ſed & conducto ex Gallia exercitu varie oppugnabat. Quibus motibus confectus Henricus, anno MCLXXXIX. vitam regnumque ponebat. Hoc adepto Richardus aliquot annos poſt bellum Saracenis inferebat, vt & ipſe pro more illorum temporum ferro & igne peruerteret paganos. Qua expeditione primum Cyprum in ſuam poteſtatem redegit, ac deinde Ptolemaida adnitente etiam Leopoldo, Auſtriæ duce, expugnauit. Quam victoriam ſibi ſoli arrogans Richardus, ex turribus vndique tropæa oſtentauit, & quum forte vexillum Leopoldi ex turri quadam ab hoc expugnata conſpiceret, id illico detrahi pedibusque conculcari iusſit, maledictis etiam & conuiciis inſectatus ducem. Quin immo prædam inter ſuos tantum diſtribuiſſe fertur. † Sed quum poſtea Gallos in Normandiam audiret influxiſſe, inducias pactus cum Saracenis domum feſtinabat. In illo itinere accidit forte, vt quum Auſtriam cum exiguo ſuorum comitatu tranſiret, in pago quodam, haut procul a Vienna diſſito diuerteret vulgari habitu, ibi ex

† Otto Friſing. *lib. VI. c. XXXVII.*

ex pretioso annulo inter culinarias operas adgnitus, a Leopoldo capitur, & postea ad Imperatorem quoque mittitur, qui non contentus, ingenti pecuniæ vi iam regem mulctatum esse, varias caussas effingebat, ob quas adhuc maiori summa eundem emungeret. Itaque tanta mulcta leuem istam temeritatem luere coactus est Richardus, vt deficientibus thesauris regis, ecclesiastici ex omnibus Angliæ fanis colligendi essent. † Interim ne regem huius expeditionis pœniteret, aut eius tristi exemplo deterrerentur alii, Pontifex Romanus anathematis fulmine Leopoldum concutiebat. Guilielmus Neubrigensis etiam †† vbi hanc describit historiam, nimis inuehitur in Leopoldum atque Imperatorem, vbi ait: *Sic ergo Christianus Imperator auaritia deprauatus, memorati Regis versus in Saladinum nouo atque inexpiabili neuo Romanum fœdauit imperium. A seculo enim non est auditum, quod aliquis Christianorum vel Regum vel Imperatorum, quemlibet alium principem Christianum a sancta militia redeuntem, & per suos fines simpliciter transeuntem captiuum detinuerit. Verum quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Imperator Romanus proh pudor præ commodi esurie ad omne honestum, omne ius fasque oculos clausit, im-*

† Otto Frisingensis *l. c.*
†† Guilielmus Neubrig. *lib. IV. c. XXXI.*

imperiale decus nesciuit, alter esse Saladinus non erubuit.

§. XIII. Post Richardi obitum, qui anno MCXLIX contingebat, regnum ad eius fratrem Ioannem delatum est. Cuius filius Henricus III. defuncto anno MCCXVI. fratre, ab ipsis regni sui proceribus varia sustinebat incommoda: a quibus etiam capiebatur in conflictu, sed mox ope filii sui Eduardi I. liberabatur, occiso potiori seditionis incentore Simone de Monfort, comite Licestriensi. † Sub Eduardo odia illa & bella inter Scotos Anglosque exarserunt potissimum, in quibus Ioannes Balliolus Scotiae Rex captus in regno suo, indeque Londinum deportatus est, sed paullo post deprecante pontifice Romano, ac spondente, nihil eum in Scotia moturum, in Galliam est remissus, Eduardo filio obside retento. †† Eduardum II. ipsa coniux Isabella Philippi Pulcri Gallorum Regis filia in vinculis male habuit, multis Spensensibus, qui Regem ab ipsa alienarunt, ad supplicium raptis. Tandem Rex ad regni abdicationem ante adactus publico decreto, misere periit Ao. MCCCXXVII. †

Sed

† Polydorus Vergilius *lib. III. p.* 407.

†† Buchananus *VIII. rerum Scoticarum p. m.* 73. *ed. Edinburg.*

† Polydorus Vergilius *XVIII. p.* 458.

Sed & ipsa Isabella ad carceres perpetuos damnata est postea, sub Eduardo III, quod putidam cum Scotis pacem iniisset. Anno MCCCXLVI. David Scotiæ rex ingenti prælio ab Edoardo superabatur & in custodiam dabatur. †† A Richardo II. Eduardi III nepote regnum ad aliam plane familiam translatum est. Nam cum Henricus Dux Lancastriensis ingentes copias contra ipsum in Gallia contraxisset, iisque commorante interim in Hibernia Rege, impetum fecisset in Angliam: ipse protinus animum suum despondebat, neque cum copiis suis vtut strenuam operam offerentibus adgredi rebellem audebat. Sic vero in vincula coniectus, regia post priuatus dignitate, misere trucidatus est anno MCCCXCIX. †

§. XIV. Henricus V. bis eandem sortem expertus est, primo a Comite Waruicensi, qui stabat a partibus Richardi ducis Eboracensis belli ciuilis tum auctoris, iterumque postea ab huius filio Eduardo IV, qui Rex anno MCCCCLX factus cruento illum prœlio, quo vltra XXXVI. millia Anglorum cecidisse dicuntur, fundebat & in Scotiam fugere cogebat. Vnde quum non multo post reuerteretur cum exercitu Henricus, & no-

†† Buchananus *libr. IX. p. m.* 90.
† Polydorus Vergilius *lib. XX. sub finem.*

nouam cladem ac catenas accipiebat. Quod idem fatum & coniugem eius cum filio postea manebat, quum exercitu in Gallia collecto maritum liberare adniteretur. Neque tamen Eduardus ipse ab omnibus vinculis tutus fuit. Nam ab eodem comite Waruicensi, fratreque proprio, victus, mittebatur in custodiam, vnde tamen neglectu custodum mox elabebatur magis firmaturus regnum suum. †

§. XV. Digrediendum inde nobis est ad Mariam Iacobi V. Scotorum regis filiam, Henrici VII. regis Angliæ e filia natu maiori proneptem, primum Francisco II. Galliarum Regi, deinde, quum hoc defuncto Scotiæ præesset, Henrico Darleio, nobili Anglo, ac tandem, hoc etiam sublato, Georgio Bodwellio nuptam. Quæ partim libidine, quam cum Dauide quodam Ritzio † ignobili terræ filio, partim crudelitate etiam, quam contra proprium maritum, Henricum exercere dicebatur, inuisa Scotis reddita, in vinculis primum tenebatur in Scotis. Ex quibus expedita anno MDLXVIII. cum instructo exercitu in ordinem suos redigere pa-

† Polydorus Vergilius *lib. XXIII. sub finem.*

† Georg. Buchananus *rerum Scoticarum libr XVIII. & XIX. p. 19. & seqq.* Guil. Camdenus *annal. rerum Angl. regnante Elisabetha p. III.*

parabat. Sed hoc dissipato, ipsa in Angliam fugere cogebatur, vbi in diuturnam custodiam missa denuo periculosa consilia contra Elisabetham agitabat, in quibus anno 1586. deprehensa, post multas deliberationes capitis tandem damnabatur; inuitaque, & videri voluit, Elisabetha iterato ictu tollebatur anno MDLXXXVII.

§. XVI. Superest tristissimum Caroli I. Magnae Britanniae Regis, Mariae, quam diximus modo, de Henrico Stuarto nepotis, cui nihil magis, quam clericorum illius temporis dissidia, fuit exitio. Istis enim acerrime inter se contendentibus, quaenam reipublicae ecclesiasticae, quam ita vocant, forma tenenda sit, episcopatus, an, quod & plerique reformatorum in Gallia & Belgii malebant, presbyterianismus? Rex ad stabiliendam potestatem propriam episcopatum conuenientiorem existimans, Puritanorum presbyteria, classes & synodos prouinciales, quibus videbantur triumphare, penitus abrogare nitebatur in Scotia. Heic ergo erumpebat primum exitialis illa flamma, quae sub fauilla delituerat hactenus. Religionis enim & conscientiae obtentu tumultuare temulenti sacerdotes, Regisque auctoritatem hinc inde conculcare, incipiebant. Plura ille contra perduelles istos effecisset haud dubie, nisi &

An-

Anglorum animos plane a ſe abalienaſſet. Præterquam enim, quod Concilium illud, quod Parlamentum ipſis vocatur, conuocare vel nollet, vel conuocatum ſtatim diſſolueret, ingentes exercebat ſumptus, quum aliter neque maieſtatem tueri, neque bella, quibus ſubinde implicabatur, gerere poſſet. Scoti interim in eas anguſtias eum redigebant, ut non ſolum puritaniſmum vndique reductum tolerare, ſed & inducias non ſine dedecore paciſci cogeretur. Quum vero non diu poſt illorum litteræ, quibus a Gallis belli ſubſidia, petebant, interciperentur: Rex Anglis in publico concilio eas proponebat, opem contra rebelles deſiderans. Quæ quum denegaretur, ſtatim dimittebantur Parlamentarii, Regi vero, quod Scotorum legatum, qui litteras iſtas ſubſcripſerat, Londini comprehendi iuſſiſſet, bellum denuo moliebantur Scoti, eiusque mox exercitum profligabant penitus. Reparatis inde induciis nouum Anglorum Parlamentum conuocabatur. Tantum vero aberat, ut Regi ſuccurerent, iſti vt potius variis periculoſiſſimisque decretis poteſtatem regiam vndique circumciderent, bellumque tandem contra ipſum decernerent. Ac primo quidem tantum ipſis negotii dabatur, quantum ad laureolam ſatis fuiſſet, niſi Scoti Anglis veniſſent ſubſidio. Sic vero incli-

inclinata mox Regis fortuna ad Eboracum eius exercitus ſuperabatur, ipſeque, quum ſe Scotorum fidei committeret, Anglis vendebatur potius quam tradebatur. Longum heic foret, omnes iniurias, quas intulerunt Carolo iniqui ſubditi, omniaque diſſidia, quibus lacerabantur ipſi, percenſere. Tandem ad pegma ferale raptus, ſecuri percutiebatur anno MDCXLIX. Cuius cædem Carolus II. filius, qui tum patria pellebatur, acerrime ulciſcebatur poſtea.†

§. XVII. De Galliæ regibus rumor quidam ſine capite percrebuit, quaſi eorum ſeptimus quisque captiuus fuerit. Credo quod myſterium, in carceribus quæſiuerint otioſi homines. Falſi. Neque enim hic verſatur ſeptenari numeri ſanctitas, vt exemplorum inductione oſtendi clariſſime poteſt. Ac de Ludouico Pio ſupra dictum eſt, quum de Imperatoribus verba faceremus. Ab hoc ſextus Carolus Simplex erat. Neque enim enumerandus eſt Lotharius, vt qui Italiæ præfuit. Simplex vero a Danis ſeu Nordmannis variis incurſionibus debilitatus cum eis pacem ac fœdus tandem ſanciebat, horumque

† De hoc parricidio Robertus Iohnſtonus *lib. XXI. & XXII. Rerum Britan.* εἰκὼν βασιλικὴ *regem in ærumnis ſuis repræſentans & ſcripta contraria Salmaſii atque Miltoni.*

que duci Rolloni Gislam filiam in matrimonium dabat, cum ora omni maritima Galliæ, quæ ab illis Nordmannia hodienum adpellatur. Heic vero paullatim senescere incipiebat auctoritas regia, præcipue, cum Haganonem mediæ sortis hominem, ad summam potentiam evectum interioribus consiliis adhiberet. Regni enim proceres primo Ribertum, Ottonis, qui Simplicem antecesserat, fratrem Regem vocant, ac solenni ritu Coronant. Quo, sequente anno, qui nongentesimus vigesimus secundus erat, occiso in prælio, Rudolphum Burgundiæ Ducem quasi in vacuam regni possessionem accersunt. Heribertus vero, siue vt ab aliis vocatur, Hebertus, cuius sororem Robertus in matrimonio habuerat, prætextu reconciliandæ gratiæ perductum Carolum in castellum Theodorici includit, vnde Peronam postea translatus decessit anno nongentesimo † vigesimo nono. Huius statim filius, Ludouicus Transmarinus, qui secundus a patre in regno fuit, eandem sortem expertus est, quum defuncto Guilielmo Rollonis filio, Nordmanniæ duce, eam prouinciam tutoris nomine inuaderet. Abductus enim ab eo Richardus Guilielmi filius, ei non solum eripiebatur a suis, sed & ipse

Cc 2

† Aimoinus *de gestis Francorum lib. V. c. XLII.* Mich. Ritius *de regibus Francorum lib. 1. extr.*

ipse ab iisdem capiebatur anno circiter DCCCCXLVIII. † Postea defuncto Ludovico Ignauo, Vltramarini nepote regnum quidem adfectabalt eiusdem filius Carolus, Lotharingiæ & Brabantiæ Dux: sed mox ab Hugone Capeto obsidebatur ac Ascellini episcopi fraude capiebatur. †† Hunc in infausto captiuorum ordine Ludouicus nonus, sanctus cognomento demum excipit, qui in sancta expeditione, quæ tum vocabatur, a barbaris impio prælio captus ingenti pecuniæ vi liberabatur. ††† Atque hic nonus a Capeto fuit. Sed iam aliquod sententiæ suæ firmamentum inuenient, qui de numero septenario heic sciscunt. Ioannes enim, qui vtique septimus a Sancto Ludouico Gallis imperauit, cum imprudentius cum Anglis, qui tum sæpius negotium illi facessebant, congrederetur, a fortissimo Anglorum Regis filio, Eduardo impari prœlio (XII. enim Anglorum millia L. millia Gallorum fuderunt) superatus cum filio natu minori captus anno MCCCLVI. Quomodo etiam Franciscus I. qui itidem septimus a Ioanne fuit, a Carolo V. Imp. cum quo de ducatu Mediolanensi cer-

† Aimoinus *Lib. V. c. XLIII.*
†† *C. XLIV.*
††† *Vid. Gesta Ludouici IX. a monacho S. Dionysii descripta in Tomo V. Historiæ Francorum.*

certabat, ad Paviam captus & in Hispaniam abductus fuerit, notius est, quam vt pluribus hic narrari indigeat. Sed quid inde tandem conficitur? Nihil profecto minus, quam fatalis illa numeri septenarii necessitas. Aut enim ad Reges ista pertineret, aut ad familiam. Neutrum dici heic potest. Regum enim casus, si numerus iste describeret, omnes haut dubie, aut certe plerique eodem ordine carceres ingressi fuissent. Familiam vero si intueamur, iterum calculus iste fallit. Neque enim patri semper filius in hoc regno successit, quod vel ipsius Francisci I. exemplo liquet. Ne ergo sententiam præcipitemus aut ex fallacibus indiciis incerta ominemur, sed expectemus æquum est, quidquid Deus providerit, qui & captis Regibus augere, & salvis iisdem accidere, vel etiam delere eorum potentiam potest funditus. Adsunt interdum signa & patent sagacioribus quibus huius vel illius regni, ruina portenditur, sed ea certiora esse debent, quam numerorum male adplicata mysteria.

OBSERVATIO XIII.
CONIECTVRÆ DE LIBRO SAPIENTIÆ.

Conspectus.

§. I. *Occasio dissertationis.* §. *II. III. IV. V. Pontificiorum de Canone Script. S. opinio-*

 nes

nes reiiciuntur §. VI. Vnus Canon defenditur. §. VII. & IIX. Explicatur ad Mentem Simonii quid Canonicum sit, quid Apocryphum. §. IX. Non omnes libri Sacri in Canone fuerunt. §. X. XI. XII. XIII. Objectionibus respondetur. §. XIV. Sapientiæ divinus Spiritus asseritur. §. XV. XVI. XVII. Author primarius Salomon Rex dicitur: & probatur. XVIII. Rationes contrariæ recensentur. §. XIX. Liber Sapientiæ in Græcum est conuersus. §. XX. & XXI. Instantia ab Euangelio Matthæi Hebraice scripto. §. XXII. De Parabolis ac Canticis Salomonis coniectura. §. XXIII. Augustino respondetur qui pro Profanis habuit. §. XXIV & XXV. sapientia a Platonismo liberatur. §. XXVI. Stephanus Nye Anglus notatur. §. XXVII. Causa cur stylus Sapientiæ elatior sit. §. XXVIII. & XXIX. Philo Iudæus non est eius Author. §. XXX. Ad internum Librorum inspiratorum κριτήριον provocatur. §. XXXI. & XXXII. Tanguntur Authores qui errores in sapientia quæsivere. §. XXXIII. In specie Franciscusus Turretinus. XXXIV. cujus obiectiones recensentur. §. XXXV. & XXXVI. Prima de Athleticis certaminibus refutatur. §. XXXVII. & XXXIIX. & XXXIX. secunda de Metempsychosi Pythagorica. §. XL. Tertia de Idolorum origine. §. XLI. Ostenditur in hoc Consensus Scriptorum Ethnicorum cum sapientia. §. XLII. Oppositioni Limburgii satisfit. §. XLIII. XLIV. XLV. item Antonii Van Dalen. §. XLVI. Cautio

Gene-

Generalis circa dignoscendos libros Apocryphos. §. XLVII. & XLIIX. & XLIX. Author pro probabilibus coniecturis rationes suas habet. §. L. Librum sapientiæ Canonicum, & non Canonicum dicit diuerso respectu. §. LI. Patrum Testimonia ab Arnoldo adlata commendat.

§. I.

LEgenti mihi sapientiæ librum in mentem statim aliqua venere, quæ ad Θεοπνευςίαν eiusdem pertinent; maxime cum eum a Canone longe semotum viderem, a pluribus errorum insimulatum; a paucissimis defensum. Vnde operæ pretium duxi, disquirere paulo accuratius, an non dici quædam possint pro utilissimo scripto, ex quo diuinus spiritus elucet, licet de Authore inconstans admodum Doctorum opinio sit.

§. II. Non equidem ignoro, sudasse hac in re Pontificios scriptores, ad stabiliendum Canonem aduersariis suis contrarium, multaque finxisse, quæ fingenda non erant; imo proterue quædam asseruisse, quæ fundamento nullo nituntur, nullo testimonio, nulla etiam vel leuissima coniectura.

§. III. Vnde me non multum rationes eorum morantur, qui libros quos Apocryphos appellamus, Iudæorum malitia a Canone rursus expunctos volunt. Silet hic antiquitas, tacent Apostoli; Christus ipse silet, & prima

Ecclesia in alia longa abit, & recentiorum etiam Iudæorum fidem nullo modo labefactat.

§. IV. Quod autem *Genebrardo* placet, a veritate penitus alienum videtur. Excogitauit ille, nescio quibus documentis suffultus, triplicem Canonem. *Esdram* credit confecisse unum cum Synodo Magna; in quo totidem extitisse libros vult, quot ab Ebræis adhuc hodie admittuntur. Alterum in *Hierosolymitana* Synodo Sexta conflatum putat: quam occasione septuaginta Interpretum coactam fuisse docet; coniectosque in eum libros *Tobiæ*, *Iudith Ecclesiasticum*, item & *sapientiam*, de qua nobis potissimum sermo est. Tertium vero in septima Synodo conditam affirmat, quam ad Pharisæorum Sadducæorumque] altercationes sopiendas conuocatam autumat, & ibi tum primum adscriptos libros Machabæorum reliquosque, quos nostro iunctos Codici habemus.

§. V. *Serarius* aliique celebres inter Pontificios viri, gemino Canone contenti sunt, priori Esdrino, recentiori altero, vt libros Apocryphos conseruarent, & a Protestantium obiectionibus liberarent.

§. VI. Ego vero tantis ambagibus opus esse neutiquam puto: Vnus mihi Canon sufficit, quem Synedrium Magnum videtur adornasse,

nasse, Esdra si velis authore, aut præcipuas partes agente. Nam quod a *Spinosa* profertur, parum curo, qui ad Machabæorum tempora collectionem sacrorum librorum reiicit, sine causa παράδοξ☉, & vt dixisse aliquid videatur sine ratione nouaturiens.

§. VII. In eo mea opinione res tota sita est vt explicetur primum, quid Canonicum sit, quid Apocryphum. Impegere hic Authores quotquot mihi noti sunt; si *Richardum Simonium* excipias, Virum in tantum laudandum, quantum eruditio intelligi potest. Credidimus enim hucusque, id saltem quod in Canone est, ab Authore Spiritu S. proficisci: reliquum nec diuini quidpiam continere, nec a Vatibus Sacris originem duxisse; cum tamen exploratum sit ac certum, multos adhuc Propheticos libros extitisse, qui nec a Synedrio in lucem producti, nec publice in ecclesia lecti fuere; quos male propterea vt reiectos considerauimus & abscondendos; ac si nihil in iis diuini esset, nihil Spirituale, nihil θεόπνευστον. add. Histoire Critiqu. du Vieux Testam. p. m. 56. 57.

§. IIX. Mihi potius Canonicum illud est, quod publica Synagogæ autoritate, vt a Deo inspiratum, receptum, determinatum declaratum nondum fuit, sed declarari tamen potu-

est. Apocryphum vero illud est, quod
ut a Deo inspiratum
Haec verba suo loco omissa in indice err restituta sunt.

potuisset, si pluribus ad lectionem libris in coetu fidelium opus fuisset.

§. IX. Persuadebunt enim vix ac ne vix quidem Theologi, Librorum Sacrorum quicquid est in Canonem fuisse relatum. Torquebunt se, credo, æternum; & de Libris *Nathanis* & *Gad*, *Abiæ* & *Ieddonis*, visionibusque *Hozai* frustra disputabunt: vt nunc Scripta *Salomonis* taceam, de quibus postea dicendi locus erit; aliosque Prophetas, quorum ingens videtur numerus fuisse, ita vt temerarium plane foret, adfirmare velle, omnium vaticinia exiguo adeo Codice contineri.

§. X. Scio equidem quid communiter in Compendiis dicatur. Quia Christus ait, (Matthæi 5. v. 18.) ne vnum quidem legis apicem periisse, hinc ad reliquos quoque libros inepta consequentia nectitur. Analogica applicatio firmum argumentum est: Topica consulitur, & a minori ad maius audacissime concluditur. Possem sane si vellem acuere stylum. Nam absonum est, quod de *Luca* & *Paulo* adfirmant. Is, inquiunt, *omnium Scripturarum*, *omniumque Prophetarum* cap. XXIV. v. 27. mentionem facit; quod certe fieri non potuisset, si alii extra Canonem fuissent. Hic vero, (Rom. 15. v. 4.) *quæcunque scripta sunt, ad nostram institu-*

stitutionem scripta esse clarissime docet; quod asserere non licuisset, nisi omnia V. T. scripta reuera extitisse supponantur.

§. XI. Miseret me horum hominum, qui in prima ratiocinationis ac interpretationis fundamenta grauiter adeo impingunt. De Christi dicto non multum disputabo; Cum *Capello* transigant & *Hugone Grotio*, qui de absolutissimo legis complemento, hoc quicquid est volunt intellectum: *Erasmum* enim aliosque omitto qui hy perbolen hic latere volunt, ne vno ictu eorum ratio concidat.

§. XII. Id maxime miror, cæcutiisse eos turpiter adeo circa *Lucæ* locum. Sequeretur enim modo non dissimili, si cauillationes eorum imitari constitutum foret, vniuersam a Christo Scripturam a capite ad calcem esse explicatam, quia vt illi clamant, omnium Prophetarum omniumq; Scripturarum meminit. At hoc pergunt, de præcipuis vaticiniis capiendum est: & ego, inquam, persuadeo mihi, id de libris quos Iudæi publice ex autoritate Synedrii legebant esse intelligendum.

§. XIII. Cum Paulo mihi lis nulla est. Quicquid scriptum est, ad nostram doctrinam scriptum esse affirmo & credo; dummodo argumenti sui nexum illustrare vellent contradicentes, vt immotam inde conclu-

clusionem elicere apti essemus. E. tot tantum, quot in canone videmus libri sacri fuere: E. Nullus alius esse potuit: E. reliqui omnes humana solum autoritate perscripti sunt.

§. XIV. Quod cum non faciant, ignoscent credo S. Sancti Antistites, si liberius paulo mentem meam de dignissimo sapientiæ libro exponam. Neque enim defendo, eum in Canone ab *Esdra* aut Synagoga magna confecto extitisse; cum non opus sit ad hoc extremum dilabi; & fidem Iudæorum, quos religiosissimos Ecclesiæ Capsarios sine intermissione appellitant, in suspicionem adducere. Placet potius, quod superius a me fuit assertum; dum accuratius exposui, quid apocryphum fuerit aut absconditum. Parum quippe mea sententia refert, an a Synedrio in lucem protracta sit sapientia, quam magni facio: sufficit mihi, diuinum in ea afflatum reperiri, licet priuatim tantum legeretur, nec, vti aliis quoque Prophetarum literis accidebat, publici iuris fieret.

§. XV. De Authore notae sunt disputationes Veterum & Recentiorum. Ego *Salomoni* Regum omnium sapientissimo tribuo, rationibus forte non contemnendis adductus. Suadet enim hoc titulus primum, qui & in Graeca & Syriaca & Arabica Interpretatio-

tatione nomen præfert, vt Rabbinorum Christianorumque scriptorum magnam partem prætermittam; qui amice hic conspirant, conspirare tamen vix potuissent, nisi veri quidpiam subfuisset.

§. XVI. Deinde non parum me mouet rerum conceptuumque conuenientia, qui similes omnino iis sunt, qui in Prouerbiis habentur, quæ indubie Salomoni adscribuntur, licet ab alio forte ex diuersis Schedis collecta fuerint: vt procemium ac connexio eos facile docere possunt, qui attenta meditatione Sacram considerare Scripturam apti sunt.

§. XVII. Quæ vero capite nono inueniuntur, rem plane euincunt; non enim credibile est, eo audaciæ aliquem esse processurum, vt ardenter adeo Sapientiam a Deo rogare sub persona *Salomonis* voluerit, characteremque assumere, qui non nisi Regi sapientissimo conuenit, ac ita decipere reliquos, qui hic neque nugas, neque inania verba exspectant.

§. XIIX. Rationes quæ in contrarium afferuntur leues sunt, aut si quid continere videantur, breui illustratione opus habent. Hic liber, inquiunt, Græco tantum idiomate perscriptus est, adeoque recentior multo, quam vt Salomoni imputari posit, qui non

non nisi Hebræo sermone visus videtur. Græci Græce scripserunt, Iudæi item cum Græcis viuentes, non Rex sapientissimus, quo viuente Hellenistica lingua nondum vniuersum orbem occupauerat, & rara admodum cum eis commercia fuerant. Nec stylus addunt, priscam simplicitatem redolet, sed Græcam Sapientiam aut Platonis Spiritum, qui ab Hebraicæ linguæ candore maxime recedit. Vnde Philoni communiter sapientiam attributam legimus, de quo Veteres: aut *Plato philonizat, Philonizat, aut Philo Platonizat.*

§. XIX. Quae omnia, licet speciem habere videantur, nec tanta tamen sunt, nec adeo firma, vt terrere me possint aut abstrahere ab ea sententia, quam semel veritati conformem deprehendi. Esto enim, legamus hunc Græce sapientiam; exinde tamen concludere vix possis, Salomonem non esse Authorem. Quid si ex Hebræo dicam conuersum vel collectum, vel quod aliis placet, e Chaldæo, quem sermonem in fauorem concubinarum suarum adhibuisse creditur Salomo. *Maimonides* sane in præfatione sua ad Pentateuchum librum Chaldaicum antiquissimæ ætatis citat, qui Magna sapientia appellatur, & in iis, quæ referuntur, cum nostro amicissime conuenit.

§. XX.

§. XX. De *Mathæi* Euangelio res nota est. Hebraice primo scriptum vniuersa pene antiquitas agnoscit; & nos tamen illud Græce legimus, & vt diuino Spiritu repletum veneramur. Quod cum in libris Noui Testamenti licite faciamus, nihil caussæ profecto video, quo minus id etiam circa Veteris Testamenti tabulas permissum fuerit.

§. XXI. Nam quod de consensu primæ Ecclesiæ dicitur, nihil est. Sufficit Veterem Iudæorum Synagogam sapientiæ librum non reiecisse; licet tectus fuerit & occultatus cum aliis, de quorum authentia dubitare nefas est.

§. XXII. Id quidem indubium est ac certum, ter mille parabolas locutum esse Regem nostrum & Carmina quinque mille: quæ an in Cantico reperiantur, aut prouerbiis, ii iure dubitant, quibus acetum est. Excerpta quædam extare in libro משלי non repugno; reliqua autem profana fuisse, a diuino Spiritu longe remota, & perdita propterea, nondum credo; nisi euidentioribus signis & argumentis sententiam suam in lucem collocent illi, qui non nisi libros in Canone admittunt.

§. XXIII. At scio, Augustino hic sensus fuit, de Ciu. Dei cap. 38. *Alia*, ait, *sicut homines*

mines historica diligentia, alia sicut Prophetæ diuina inspirationet scribere potuere. Quod idem foret ac si cum Pontificiis diceremus, Papam non esse ab omni errore immunem si priuatim cum suis loquatur; alium vero & Spiritu diuino plenum, si ex Cathedra.

§. XXIV. E stylo qui sapientiam æstimant cauere debent, ne ad præcipitium propius accedant. Diuersa sentientes iisdem sæpe vocabulis vsi sunt, quorum æquiuocatio, nisi ex vnius cuiusque scriptis accurate inuestigetur, fallere eos facile potest, qui ad sonum attendunt, non ad sensum. Ita Grotius *Paulum* Senecæ ὁμόδοξον fuisse credidit, dum Deum non longe ab vno quoque nostrum abesse dixit, nosque & viuere & esse & moueri in eo affirmauit: cum tamen sequentia facile ostendant, Sacrum Senecæ Spiritum, de quo Epist. XLI. sermo est, nil nisi mentem Stoicorum more designare, quæ intra nos sedet, malorum bonorumque nostrorum obseruator & custos.

§. XXV. Eadem præcipitantia aliqui initium Euangelii Iohannis Platonismum sapere sibi persuasere; posteaquam *Amelius* ille, Philosophus Platonicus ad verba solum respiciens, Magistri sui mysteria ibidem se reperisse somniauit. Nec desunt, plura Platonicis locutionibus similia in Nouo Testamen-

mento adnotarunt; & Authorem imprimis Epiſtolæ ad Hebræos huic ſectæ adnumerarunt. vid. Druſius ad cap. 1. Ioh.

§. XXVI. Stephanus Nye Anglus non ita pridem in libro, cui titulus eſt The Doctrine of the holy Trinity and the Manner of our ſavioor S. Diuinity &c. contra Alexium probare voluit, Ariſtotelica quædam in libro Sapientiæ reperiri, quæ Salomon non niſi per vaticinium cognoſcere potuiſſet. Nec dubito, quin, ſi ita perrexerint, alius forte defenſurus ſit, Pythagoricum huius Scripti Authorem eſſe, vt inferius patebit, aut Scepticum tandem, aut quod fieri adhuc facilius poſſet, Epicureum, h. e. hominem plane improbum ac ſceleſtisſimæ vitæ.

§. XXVII. Ego non miror, ſtylum in eo paulo elatiorem videri; cum admodum probabile ſit, ex Poëtico ſermone translationem adornatam fuiſſe, qui ad Græcam eloquentiam propius accedit, & allegoriis & metaphoris vndique diſtinguitur. Nec ſcio, an firmum ſtatim argumentum duci posſit, librum non pertinere ad ſimplicitatem Veteris Teſtamenti; vbi locutio pauliſper exſurgit, & ſupra communem modum euehitur. Alius quippe in Iobo Spiritus eſt, in Pſalmis alius, alius in Cantico, ſimilibusque,

vbi vel Poësis, vel Prophetia vehementiores & viuidiores expressiones poscebat.

§. XXIIX. Nunc, an *Philo* Iudæus sapientiam composuerit, peruidendum est; cui quam plurimi ex veteribus, nec pauciores forte e recentioribus hanc gloriam detulere. Sane si e sermone iudicium ferri debeat, pronunciare non dubitarem, Philonem, cuius opera adhuc legimus, frustra pro autore venditari, cui alia penitus verborum connexio est, & longe diuersus sermonis ductus. Sed apparet, puto, ex ipsa sapientiæ structura & sententiis hinc inde de florentissimo regno sparsis, nimis recentem hunc Philonem esse, vt loqui tali modo potuerit, cum iam exulceratæ Iudæorum res eius temporibus forent, & ad interitum inclinarent. f

§. XXIX. In quo *Clementis* & *Barnabæ* citationes alios adhuc magis confirmant, qui sapientiam nostram, vt librum iam omnibus notum allegarunt; vix autem allegassent, si a Iudæo sibi coæuo perscripta fuisset. Id certum est, eam antiquiorem multo esse, quam vt ad noui fœderis tempora reiici debeat. Quod nec iis etiam obscurum fuit, qui alium Philonem in antiquitate quæsiuere, ad quem referri commodius possit, quod Salomoni sine necessitate eripitur. Quodsi de translatione aut collectione loquerentur, forte non mul-

f el Spenerum Philoni tribuisse librum Sapientiae patet ... in 1685. in 16.

multum refragaremur. vid. la Dissertation Preliminaire sur la Bible de Monſ. Du Pin pag. 108,

§. XXX. Mea opinione perparum intereſt, a quocunque liber ille collectus ſit, aut etiam in Græcum conuerſus. Hoc enim nihil ad inſpirationem eius facit, cum ſine auctoris notitia ac Eccleſiæ teſtimonio omni ſcripturæ credamus, in qua diuinitatis notas deprehendimus. Pontificium nimis eſt αὐθεντίαν literarum S. ab hominum autoritate ſuſpendere, aut perſuadere ſibi velle, Deum nonniſi per Eccleſiam nobiscum loqui poſſe. Sacer Spiritus lux eſt proprio ſplendore lucens, cibus propria dulcedine pollens, odor propria fragrantia ſpirans. Cum ſenſu aliquid percipimus, non argumentis opus eſt ad demonſtrandum, quod percipitur: intra nos conuincimur, & niſi ſcepticos agere velimus, ipſa rerum claritate ita perfundimur, vt ſtultum foret contra diem loqui, aut euidentius ſignum maiusque pondus expetere.

§. XXXI. Eo ſaltem redire tota controuerſia videtur, an lux adeo clara in Sapientiæ libro ſit, roburque tam firmum, vt legentes de diuinitate eius certi reddantur. Quod quidem facile oſtendi poteſt, ſi conſideremus, nihil ſolidi adduci poſſe, quod authoritati vtiliſſimi ſcripti aduerſetur. Laborarunt e-

quidem viri perquam multi,& rationes vndique conquisitas accumularunt, e quibus evincere constituere, falsa quædam inibi doceri, Scripturæ indubie Canonicæ repugnantia afferri, fabulas & traditiones inanes recenseri, omnesque eius doctrinas perspicue ostendere, Propheticum spiritum deesse, & indicia τȣ̃ θείȣ.

§. XXXII. Sed maxime decepti sunt omnes, qui studium suum in his probationibus collocarunt: exemplo suo docentes, quantum præiudicata opinio possit, quantum religio a teneris approbata, quantum Præceptorum nostrorum Auctoritas, quantum denique superstitio, qua facile induimur; difficulter liberamur.

§. XXXIII. Franciscus *Turretinus*, Pastor olim apud Geneuenses, † nimium hic durus est. Mendacii authorem insimulat, quod falso se Regem in Israële fuisse adserat; persuasus frustra, possibile non esse, vt a Salomone proueniret liber Græco idiomate exaratus; sed quod tamen supra latius deduximus, & ab absurditate minimum non contemnendis rationibus liberauimus.

§. XXXIV. Ex qua præcipitantia pleraque, quæ vlterius adferuntur, defluxere. Hinc enim locutiones aliquas adnotauit, quibus ad athle-

† *in theologia sua Elenctica.*

athletica certamina, quæ apud Græcos nondum Salomonis tempore in vsu fuerunt, respexisse auctorem vult. Hinc cap. VIII. 19. 20. Pythagoricam μετεμψύχωσιν exsculpsit: hinc totam de idolorum origine recensionem vt falsam & ineptam reprobauit; luculento admodum indicio, nihil tam sanctum esse ac inculpatum, cui non labes aliqua adspergi, aut macula inuri queat.

§. XXXV. Sed miror *Turretinum* solum adeo lynceum esse, vt Græcorum athletarum pugnas cernere sibi videatur, vbi alii nihil vident. Non enim credendum est, cap. IV. 2. talem, vti fingitur, allusionem reperiri, nisi quidem existimare velimus, in omnibus Veteris Testamenti locis, ubi aut certaminis aut victoriæ, aut præmii aut coronæ mentio iniicitur, ad Graiorum prælia respici. Hebræi ipsi præmia coronæ nomine designarunt, ac id quod magni laboris erat, non raro certamen appellarunt. (conf. Esai. 62. 3. Psalm. 21. v. 3.)

§. XXXVI. Quæ responsio sufficere potest illis, qui nimium subtiles esse nolunt. Reliquis vero κατ᾽ ἄνθρωπον dictum velim; non adeo absonum esse, si concedamus, in dicto versiculo ad Græcorum certamina alludi. Non enim defendimus, ipsum *Salomonem* hoc quicquid est, & prout hodie legimus, iisdem

verbis adornasse, ac scripsisse. Collecta omnia sunt e schedis, non minus ac prouerbia eiusdem: connexio ab alio addita est, facileque euenire potuit, vt is, qui Græcum Interpretem egit aliqua ad genium Græcæ linguæ defle&teret, sine diuinæ inspirationis imminutione.

§. XXXVII. Iam quid de μετεμψυχώσει Pythagorica, quam in authore sapientiæ culpant, habendum sit, examinemus; quod commodissime fiet, si verba adscribamus, ex quibus eam eruere tentant. Παῖς δὲ ἤμην εὐφυὴς, ψυχῆς ἔλαχον ἀγαθῆς. Μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν ἦλθον εἰς Σῶμα ἀμίαντον. Hic quod alii inueniunt, ego vix quæro. Hoc tantum video, *Salomonem* puerum bonæ indolis, viuidique ingenii fuisse, probeque educatum in iuuentute sua, caste ac innocenter quoad corpus etiam vixisse. Qui sensus Lutheri Interpretationi ac versioni conformis est, aliisque, qui vestigiis eius religiose insistunt.

§. XXXIIX. *Grotius* hac parte magis moderatus videtur. *Cogitemus*, ait, *an hoc velit dicere, si vera est sententia*, περὶ τῆς προυπάρξεως τῶν ψυχῶν (*multi enim Hebræi eam sententiam hauserant, vt diximus Ioh. IX. v. 2.*) *cum essem ego bonus.* (*Nam Hebræis nonnullis, vt & Pythagoricis, Animus est homo totus, corpus nihil nisi* σκεῦος) *corpus mihi assignatum est optime*

μετ' κράσεως, sine notabili vitio naturali &c. Turretinus vero iam certo ponit, quod Vir ille Doctissimus dubitanter asseruit, merito nihilominus a *Ioh. Clerico* † notatus, quod saepe Platonicas Stoicas & Pythagoricas sententias e Veteri & Nouo Testamento eruat, communi Criticorum vitio, qui e nimia profanorum scriptorum lectione ad hoc extremum deferuntur.

§. XXXIX. Sed tamen si rursus ad illorum captum placeret respondere, dubitarem sane, an aliquid lucrarentur dissentientes. Προύπαρξις animarum, aut si longius ire fuerit constitutum, *μετεμψύχωσις* non tam a Pythagora ad Hebraeos ac Orientales, quam ab his ad Pythagoram peruenit: & disputari adhuc forte posset, an inconcinna adeo opinio sit, quam nec Christus ipse in citato Iohannis loco reprehendit, *Helmontius*, aliiue non inepte defenderunt, licet diuersum Theologis Aristotelicis arrideat, & eorum adoratoribus, qui nil rectum putant, nisi quod cum ingenii sui dictatibus conueniat. *Augustini* hac de re dubitationes lib. 1. & 4. de libero arbitrio & Epist. 120. notiores sunt, quam vt latius explicari debeant.

§. XL. Vltimum quod sapientiae exprobratur, idolorum origo est. *Lactantius* enim,

† *Art. Crit. Vol. I. & III.*

cuius magna vbiuis authoritas fuit, aliam plane refert; & cum iis ſentire videtur, qui ſuperſtitioſum cultum omnem a populorum ſtudio in mortuos Reges deducunt; diuerſus in hoc a libro noſtro, qui immoderato luctui Parentum ſimulacrorum initium tribuit, qui filios ſuos vt homines primum lugentes, poſtea ſtolidisſimo auſu vt Deos coluere. Sed aduerterunt iam Viri acres, ac eruditionis laude conſpicui, diuerſis in locis diuerſam ſuperſtitionis idolatricæ originem eſſe potuiſſe; nec neceſſario ſequi: hoc lacteæ Eloquentiæ Pater Lactantius affirmauit, E. reliqui omnes, qui aliter quocunque reſpectu rem proponunt, a veritate aberrant. *Conſ. Grot. ad cap. Sap. 14. §. 15. 16.*

§. XLI. *Diophantus Lacedæmonius* in libris Antiquitatum eadem cum Authore noſtro tradidit; vt *Fulgentius Mythologicorum I.* nos docet: nec ſcio an longe hinc illud *Tullii* lib. I. de *Nat. Deorum* abeat: *Qui tota die precabantur, & immolabant, vt ſui liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati.*

§. XLII. Habes igitur omnia argumenta Turretini diſpulſa, quæ primo magnam difficultatem portendere videbantur. Vnum adhuc, quod ſpecioſum apparet, diſcutiendum eſt. *Philippus a Limborch, SS. Theologiæ apud Remonſtrantes Batauos Profeſſor*, ob hoc

ſolum

ſolum ſapientiam reiicit, *Theol. Chriſt. lib. I. c. 3.* §. 7. quod Iſraëlitas ab Inimicis ſuis oppreſſos dicat; cum tamen feliciſſima Salomonis tempora tale quid penitus reſpuant. At ego pace Clariſſimi Viri, quem magni alias facio, dixerim, id non de externis hoſtibus, vi ac potentia inſtructis capiendum eſſe, ſed de Improbis & idolorum cultoribus in genere, qui vbicunque poſſunt amicos Dei, eiusque populum premunt: quod etiam verſio, quæ Vatablo communiter adſcribitur, innuere videtur. Nec video cur non ita interpretari fas ſit authorem, qui nullius contradictionis alias reus peragi poteſt, & Spiritum vbiuis diuinum, & vtiles doctrinas, & fidei tam Veteris quam N. Teſtamenti conformia prodit, imo vti ſupra iam dictum eſt, de florentiſſimo Reipublicæ Iudaicæ ſtatu frequentiſſime loquitur.

§. XLIII. Eſt tamen adhuc aliquis, qui magno niſu id quod nos ſapientiam vocamus, inſipientiæ accuſat. Poliatrum Harlemenſem intelligo, Antonium Van Dalen (cui in Tomo II. obſeru. ſelect. inaduertenia Typographi Iohannis nomen dedit) qui impatiens μορμωλυκεῖα h.e. ſpectra cap. XVII. 3. 4. &c. recenſeri, quibus Aegyptii tot ac tantis plagis affecti, territi dicuntur, eo delabitur, vt totum librum reiiciat, & e numero eorum,

qui diuinitatis notas habent; prorſ9 excludat. vid. *cap. 8. Diſſ. de Origine ac progreſſu Idololatriæ.*

§. XLIV. Sed nos credo facile veniam ab eo impetrabimus, vt ad alia ire liceat, maxime cum tali necesſitate non vrgeamur, vt Vir ille doctus, qui hoc maxime defendendum ſibi ſumſit, non dari ſpectra. Ego nondum video, quid abſurdi inde prouenire poſſit, ſi admittamus, eo loco, cum apud Aegyptios caligo inualeſceret, & formido vndique circumſtreperet, apparuiſſe diuino permiſſu Phantaſmata quædam ac oſtenta, ne quid terrori deeſſet.

§. XLV. Exodus quidem nihil de his ſimilibusque refert; ſed nec *Iannes & Iambres* ibidem recenſentur, de quibus tamen Paulus vel per traditionem informatus, vel ſacro Spiritu afflatus certisſime loqui potuit.

§. XLVI. De cætero in genere adnotamus, cauendum maxime eſſe, ne inter rationes, cur libros non recipiamus pro diuinis, adſumantur dogmata inter nos & alios controuerſa: quaſi ſcilicet indicium authoritatis minime diuinæ ſit, quod eiusmodi dogmatis inde aliquale patrocinium peti poſſit. Hac enim ratione iis, qui a nobis diſſentiunt, cauillandi ac ſuſpicandi anſam præbem9, ac ſi illorum librorum authoritatem reuereamur.

mur. Peccauit hac in re ipse *Lutherus*, qui Epistolam Iacobi stramineam appellauit; quod Pontificiorum Bona Opera inde stabiliri crederet: & omnium crassissime Althammerus, qui Iacobum mentiri in caput suum dixit. Sicut & *Bellarminus* falsè satis Caluinum perstringit, quia factum Iudæ Machabæi reponit inter causas, cur librum illum habeat pro Apocrypho, deceptus in eo, quod Purgatorium Pontificium indubitato ex illo adstrui posse sibi persuaderet. Conf. Limburgii Theolog Christ. lib. I. cap. 3.

§. XLVII. Stat itaque immota adhuc sapientia nostra; omnesque quas attulimus rationes, aptæ non sunt, vt ad contrarium adserendum compellamur. Amicus Lutherus est; amicus Zwinglius; amicus Osiander; amicus Turretinus; amicus Limburgius; amicus Dalenius; magis amica veritas, aut ad veritatem proxime accedens opinio.

§. XLIIX. Coniecturæ enim sunt, quas non sine ratione proposui; libertate aliqua vsus, quæ nec effrenis est, nec periculosa. Si qui acerbe contendere velint, contendant, per me licet. Non nisi rationibus aduersus eos disputabo; quæ probabilioribus sponte cedent; dummodo afferre possint magis stringentes, quam huc vsque factum est.

§. XLIX. Nihil sane magis in votis habeo,

quam

quam discere id, quod obscurum mihi est, atque ignotum. Falsas vero rationes non admittam, quamdiu vel bonæ interpretationis leges contrarium suadent, vel inanes consequentiæ communi consensu reiiciuntur.

§. L. Deum interim ex animo precor, vt veram sapientiam ipse me doceat, ne impingam: & vt spiritu suo me confortet in iis, quæ in amœnissimo sapientiæ libro reuelare ei complacuit. Canonicum eum non vocabo, si Canonicum illud fuerit, quod in Iudæorum Canonem, publica Synedrii autoritate receptum fuit: Alio vero modo hunc titulum non respuam; si Canonicum illud sit, quod diuini spiritus indicia habet.

§. LI. Patrum Ecclesiæ primæ testimonia qui desiderant, apud *Gothofredum Arnoldum* reperire possunt, cuius Sophia p. 14. seq. magnam illorum segetem suppeditabit.

OBSERVATIO XIV.

De NOVO SCRIPTORVM PHILONIS IVDAEI SVPPLEMENTO E SVECIA EXPECTANDO.

ERicus Benzelius, Archiepiscopi Vpsaliensis filius cognominis, ante quadriennium iter litterarium in Germaniam, Belgium, Angliam, Galliamque susce-

ſcepit. Pariſiis Stockholmiam ſuperiori anno reuerſus ad amicum inter alia ſcripſit: *Præcipua mihi cura fuit inquirendi in Codices Manuſcriptos Philonis Iudæi, poſtquam in inſtructiſſima Bibliotheca Bodleiana Oxonienſium inuenire contigit nobilem Particulam Operum eiusdem Auctoris Græce Latineque hactenus ineditam. Eſt vero Commentarii illius ad Leges ſpeciales Liber quartus, eique ad nexus Tractatus de Iuſtitia. Verſionem vtriusque Latinam nunc adornaui, & cum obſeruationibus breuioribus ac Diſſertatione de Scriptis Philonis Iudæi breui edam.* Amicus ille Benzelio reſpondens, Seldeni Librum II. de Synedriis Veterum Ebræorum Cap. XIII. num. 13. commendauit, ex quo pauca mutuabimur: *Habetur inter Philonis Iudæi Alexandrini Opera libellus* τὰ περὶ δικαςȣ͂, QUAE AD IVDICEM *ſpectant, inſcriptus. Boni iudicis officium, ex præceptis Moſaicis exequitur ibi is, quem conſulat lector, vna cum Rolandi Petreii in eum notas, editioni Philonis nuperæ Pariſiis 1640. adiectas. Libentius autem libellum illum heic meminimus, quoniam ex complurium tractatuum Philonicorum, alio quam habentur in editis ordine & diuiſione, codice MS. penes me peruetuſto, legitur quidem titulus*, τὰ πρὸς δικαςήν, *cui ſubiungitur idem ipſum, quod in editis habetur, exceptis lectionibus aliquot variis.* Has cum iam exſcribere nihil attinet, tum pergit poſtea

Sel-

Seldenus: *Absoluto tandem tractatu illo, vt in editis, de Iudicibus, sequitur item additamentum illud de Decalogi praecepto vltimo, quod in editis memoratur, quasi illic Philo Commentarios in illud statim subiungere voluisset. Sed cum nihil ea de re in editis sequatur, in MS. post verba illa postrema*, τῦτο δ' ἐςὶν, ὐκ ἐπιθυμήσεις, NON CONCVPISCES, *sequitur.* πᾶν μὲν πάθος ἐπίληπτον, ἐπεὶ καὶ πᾶσα ἄμετρος καὶ πλεονάζυσα ὁρμή &c. *Atque aliam ibi habet praecepti illius explicationem ab ea, quae in edito eius de Decalogo tractatu reperitur.* Verum quid in Seldeno desideret Cl. Benzelius, audiamus ex litteris ipsius hoc ineunte anno perscriptis: *Ipse ille Clarissimi Seldeni locus Lib. II. de Synedriis Cap. XIII. mihi occasionem dedit in codicem illum Manuscriptum inquirendi, qui vna cum reliquo legato Seldeniano seruatur in Bibliotheca Bodleiana, vt probe nosti. Quis vero satis mirari potest, tā negligenter tractasse ac euoluisse Codicem Manuscriptum praestantissimum, sui iuris, Cl. Seldenum? Sane suo merito iis annumeratur, quos multitudo librorum perturbauit, & quibus varietas studiorum obfuit. Tractatus ille, cui nunc titulus* τὰ πρὸς δικαςήν, *pars est commentarii huius a me reperti, & quidem in praeceptum Decalogi nonum, quod non modo ex Codice MS. didici, sed & ex vltimis eiusdem particulae verbis, vbi ait sibi nunc transeundum esse ad Praeceptum Decalogi*

logi

logi vltimum. Tractatus περὶ καταστάσεως ἄρχοντ☉, *vt nunc in Codicibus vulgatis inscribitur, pars est illius a me reperti*, περὶ δικαιοσύνης, *sed plenius hæc aliàs monebo.* Licet igitur in eo forsan peccauerit Seldenus, quod non attendit, tractatum de Iudice partem esse Commentarii Philonis ad Leges speciales; gratiæ tamen illi debentur ob indicatum seruatumque vetus manuscriptum, quo Commentarius ille in omnibus hactenus editionibus impressis mutilus, in integrum, opera Benzelii interueniente, restitui potest. Equidem Petrus Lambecius in Commentariis de Bibliotheca Vindobonensi tam lib. I. fol. 143. quam lib. III. fol. 76. ex antiquissimo probæque Notæ Codice MSto membranaceo, producit Græcum quorundam Philonis opusculorum, eo contentorum, Indicem, quo post alia sistuntur non solum bini tractatus seu libri in vulgatis editionibus prostantes, de specialibus legibus, quæ tam ad tertium, quartum & quintum, quam ad sextum & septimum Decalogi caput seu Præceptum referuntur; sed etiam tertius liber, de specialibus Legibus, quæ ad octauum, nonum & decimum præceptum referuntur, de furto, falso testimonio, & concupiscentia fugiendis; ac paullo post sequitur de Iustitia, quæ omnibus decem Præceptis cohæret. Verba sunt: καὶ τὸ

τὸ η, καὶ θ, καὶ ι, τὸ περὶ τοῦ μὴ κλέπτειν, μὴ ψευδομαρτυρεῖν, καὶ μὴ ἐπιθυμεῖν, καὶ περὶ τῶν εἰς ἕκαστον ἀναφερομένων, καὶ περὶ δικαιοσύνης, ἣ πᾶσι τοῖς δέκα λογίοις ἐφαρμόζει. ὅ ἐστιν τῆς ὅλης συντάξεως. Addit vero Lambecius: *Quamuis autem hic Titulus siue Index tam multa promittat, tantum tamen abest, vt omnia illa ibi extent opuscula, vt ne primum quidem eorum sit integrum.* Quoniam igitur ex Codice illo Cæsareo nihil ad supplendum Philonis defectum peti potest, gloria restitutionis Cl. Benzelium solum manebit.



INDEX

INDEX OBSERVATIONVM.

INDEX RERVM.

A.

Aqua

po-

D.

E.

F.

Frie-

P.

Q.

R.

S.

T.

Vo-

V.

Z.



OBSERVATIONVM SELECTARVM

AD

REM LITTERARIAM SPECTANTIVM

TOMVS VI.



HALAE MAGDEBVRGICAE Ao. 1702.

Proſtat in officina Libraria Rengeriana.

2



OBSERVATIO I.

De HISTORIA SECTAE MACHIAVELLISTARVM ET MONARCHOMACHORVM.

SVMMARIA.

DOctrina Machiauellistarum & Monarchomachorum. Vtriusque finis §. I. Machiauelli secta tam quoad theoriam, quam praxin, antiquior Machiauello §. II. Varia de Machiauello iudicia. Ab aliis culpatus. Ab aliis defensus. Ab aliis atheismi accusatus. §. III. Scripta eius parum vtilia. Infelix exitus autorem legentium §. IV. Propagatio & fata sectae §. V. Semina Sectae Monarchomachicae vetustiora. §. VI. Eorum aperta secta post nuptias Parisinas. Varii Scriptores huius sectae §. VII. Scriptores alii. §. VIII. Ortus nouus Machiauellistarum ex odio Monarchomachorum, §. IX. Comparatio vtriusque sectae, §. X.

§. I.

DVo sunt in doctrina politica scopuli quasi vitandi, hinc Machiavellistarum, inde Monarchomachorum doctrina:

Vtraque enim rebus publicis valde periculosa est & damnosa. Machiauellismi primũ principium est, imperantibus pro supremo fine propositum esse debere commodum priuatum, h. e. imperantium, tametsi illud cum bono publico subditorum minime sit coniunctum. Monarchomachorum vero: in qualibet Republica summam potestatem ad extremum esse populi.

§. II. Machiauelli secta, certe si praxin inspicias, non cum eo demum cœpit, sed cum ipsis Tyrannis, quem primum Nimrodum quidam fuisse existimant. Vtique Aristotelis æuo Machiauellistas fuisse, tum in theoria, tum in praxi, doceri potest. Quoad theoriam e *lib. VII. Polit. c. 2.* (vbi imprimis lege textum *p. 431. & 432. edit. Conring.*) quoad praxin e *lib. V. c. 11.* vbi vtriusque generis tyrannorum & manifestorum & occultorum artes deteguntur. Apud Romanos Augustus, Tiberius, Nero, tales fuere Principes, quales describit Machiauellus. Tacitus enim (notante Conringio *præf. in Machiauelli principem*) curiose adeo describens Tiberii ac Neronis actus omnes, vt & Augusti extrema, quid aliud quam viuam imaginem Principum ex Machiauelli schola prodeuntium exhibuit? *Machiauellus nempe* (verba sunt Scioppii *p. 21. de stilo Hist.*) *male agendi præcepta seu regulas, Tacitus*

citus exempla tradit. Itaque & Machiauellus fingitur a Boccalino *lib. II. Relat. c. 39.* se excusans, quod ea scripserit, quæ alii egissent.

§. III. Vtut autem hæc ita sint, famam tamen maxime secta hæc demum a Nicol. Machiauello Florentinæ Reipubl. scriba, cuius libri passim versantur in manibus, sub exitum seculi a nato Chr. XV. auspicata est. Porro de hoc homine varia sunt iudicia. Plerique eum accusant, quod nullo discrimine nefaria consilia probis atque vtilibus miscens ad tyrannidem potius quam bonum principatum facem prætulisse visus fuerit. *vid. Conring. Introd. in Polit. p. 583.* Leunclauius *apud* Keckermannum *Tom. II. system. p. 1250.* Confer fictionem Ioh. Val. Andreæ de nodo Machiauelli *p. 42. Apologor.* Alii id culpant, quod tacenda in rebus politicis propalauerit. vid. Heinsius *p. 276. Oration.* Huc refer fictionem Harsdörfferi de Politica a Machiauello constuprata *part. II.* Jonathan *n. 93. p. 151.* Vicissim alii eum defendunt, quod Tyrannorum arcanis palam factis populo eos nudos & conspicuos exhibuerit. Vide Albericum Gentilem apud Keckermannum *d. l.* Atqui hoc ipso nomine traducere eum Boccalinus videtur, *d. l.* quasi qui oues caninis dentibus armare & talpis visum restituere voluerit. Aduocationem quoque Machiauelli pollicetur

Scioppius *p. 22. de stilo Histor.* Aliter eum excusant alii, quod peruersa illa consilia ipse non ad alios, quam ad dominatum seu tyrannidem instituere cogitantes pertinere voluerit. Vid. Cyriac. Lentulum *in arcanis Regnor. p. 71.* & Conring. *praef. in eius Principem.* Atque hi interim nihilominus inconstantiam eius, parum honestos de Deo & Religione sensus, & alia vitia notant. Vid. Conring. *d. l. p. 20. 21. 23. 27.* Keckermann. *loc. supra cit. p. 1251.* Atheismum quidem multi sunt, qui ei obiiciant, Iouius *in elogiis f. 163.* Albericus Gentilis *de Actoribus fabularum p. 113.* Petrus Gregorius *de Republ. p. 936.* Raynaudus *p. 27. Erotemat.*

§. IV. Quodcunque Scriptori isti propositum fuit consilium; Scripta eius certe plus damni quam commodi pepererunt. Et siue nocens ipse, siue innocens hic fuerit, caput scholae nefariae ac tyrannicae, (vt Epicurus olim scholae voluptuariae) habitus fuit, adeo vt in totam Florentinorum nationem ex hoc homine crimen istud propagetur. Conf. Languetum *p. 75. Epistol. ad Sidnaeum* Et omnino consiliis nefariis absque antidoto & cautione propinatis plenissimi sunt eius libri. Itaque non alii fere Machiauellum in sinu gestarint, quam qui Tyrannum gestarunt in pectore; sed & plerique exitu infelicissimo. Ioh. Aloysius Vliscus (qui postea in coniuratione Genuensi

nuensi. A. 1547. de qua Thuanus *Lib. III.* periit) Neronis vitam & Catilinæ coniurationem & Machiauelli Principem persæpe legebat, teste Bonfadio *in ea coniuratione p. 19.* De misero exitu Cæsaris Borgiæ, (quem in exemplum Principis prudentis a Machiauello propositum testantur Conring. & Keckermann) item Sfortiæ, videndus Danæus, *præf. in Polit. Christianam.*

§. V. In Galliam propagata Machiauellistarum secta exiit tandem in sceleratas illas totique orbi notas nuptias Parisienses, quæ in A. Chr. 1572. incidunt. Vid. hac de re Thuanus *lib. 57. Histor. f. 50.* Cui adde Conringium *præfat. in Principem Machiavelli, p. 20.* Quanquam autem ab Alexandro VI. Pontifices XVII. Machiavellum legi non vetuerunt, tamen eum damnavit tandem Clemens VIII. teste Coringio *d. l. p. 11.* Clemens hic Pontifex factus est Anno 1592. Obiit Anno 1608. Machiavellistas etiam catalogo Hæreticorum inseruit Petrejo *p. 126.* Hæc de Machiavellistis.

§. VI. Ad Monarchomachos ut veniamus, semina quædam hujus sectæ observo jam sparsa fuisse tempore Ludovici Bavari a Marsilio Demenandrino, qui Patavinus cognominari solet *in defensore pacis*: postea tempore Leonis X. Papæ a Mario Salamonio *libris de principatu*: denique tempore obsidionis Magdeburgensis,

burgensis, & quod hanc præcessit belli Smalcaldici, a quibusdam seculo superiore severioribus Theologis.

§. VII. Sed in apertam veluti sectam res demum erupit post Parisienses nuptias. Etenim exacerbati illa crudelitate, tyrannide ac perfidia multorum animi, & Gallorum quidem præcipue, cum intelligerent, se non aliis, quam Machiavellicis artibus fuisse circumventos, Monarchomachicam sectam, quæ videlicet Machiavellismo & Regum sceleribus obicem poneret, enixi sunt. Ab eo sane tempore magno agmine eruperunt scriptores hujus sectæ partim veris, partim adscititiis nominibus. Ac placet heic scripta quædã hujus commatis commemorare adscriptis annis, quibus primum lucem adspexere. Ao. 1573. (qui fuit ab illis nuptiis proximus,) *Francisci Hottomanni Franco-Gallia* prodiit, teste Spagio *p. 522. Bibliothec. conf. Thuanus lib. 57. f. 49.* Ao. 1576, prodiit liber *de jure Magistratuum* (qui Magdeburgensibus vulgo adscribitur) *vide editionem eius Francofurtensem in dedicatione & conf. Thuan. d. l. f. 50.* Eodem Anno dedicatur *Anti-Machiauellus*, cuius libri Autorem constat fuisse Innocentium Gentiletum. Prodiit autem Gallice, postea & latine versus. Ao. 1579. Edimburgi (si credimus) excusæ sunt *Stephani Junii Bruti Vindiciæ contra Tyrannos:* cu-

cuiꝯ editionis exemplũ penes me habeo. Spagius *p. 671.* testis est, Ao. illius seculi 80. & 81. latine & gallice prodiisse. Nomen fictum est. Verum autorem alii Hubertum Languetum, alii Phil. Mornæum, alii Theodorum Bezam (omnes hi fuere Galli) fuisse autumant. Bezæ quidem adscripsit nouissima editio, quæ ante annos non ita multos in Belgio excusa est. Eodem Ao. 79. Georgius Buchananus *Dialogum suum de iure Regni* dedicauit. Minus bene Garthius *p. 206.* **von den Puritanern/** assignat annum 1585. Ao. 1596. prodiit Geneuæ *Politica Christiana Lamberti Danai Galli.*

§. VIII. Sunt & alii Monarchomachi Scriptores Ioh. Puscherius, Rossæus, Phil. Henonius, Ioh. Althusius. De quibus vide Naamanis Bensenii *disputat. de subiecto Maiestatis habitam sub præsidio D. Conringii, & eius defensionem contra Figlouium*, B. Hulsemannum *in extensione Breuiarii p. 422.* Barclaium, *praef. Libb. contra Monarchomachos*, Arnisæum, *de authoritate Principum p. 2.*

§. IX. Iam vt Machiauellistarum flagitia occasionem dederunt sectæ Monarchomachicæ: Sic Regicidia Monarchomachorum vicissim ingeniis ansam dedere sectam Machiauellisticam denuo incrustandi. Fecit hoc nostro æuo Thomas Hobbesius *in libris de Ci-*

ne. Fuit is Caroli II. cum eum Angli, decollato parente ipſius, Carolo I. pepuliſſent, in exilio comes: videturque adeo indignatione aduerſus Monarchomachos in Machiauelliſmum abreptus fuiſſe. Machiauellica eius dogmata legi poſſunt vel apud Gisbertum Cockium (Monarchomachum recentem) *in vindiciis pro lege & imperio, præfat. ad lectorem.* Ac videtur Deus Machiauelliſtas veteres punire voluiſſe per Monarchomachos; hos vicisſim per Machiauelliſtas nouòs: vti ſolet alias ſceleratum unum alio ſcelerato tanquam inſtrumento vocare ad pœnam.

§. X. Nunc utriusque ſectæ comparationem inſtituemus. 1) Machiavellismus aperit feneſtram Atheismo, Monarchomachia Polytheismo ſeu multitudini & confuſioni religionum. 2) Machiavelliſmus Reges facit Tyrannos, Monarchomachia populum Regicidam. 3) Machiavelliſtæ ſupparaſitantur Regibus, Monarchomachi populo 4) Machiavelliſtæ tollunt Reipubl. diviſionem moralem in rectam & aberrantem: Monarchomachi numericam in Monarchiam, Ariſtocratiam, Democratiam. 5.) Machiavellismus e ſubditis, Monarchomachia e Regibus facit mancipia. 6.) Machiavellismus civibus ſervitutem parat, Monarchomachia

machia omnium rerum licentiam introducit. Venenum Machiavellistarum crassius; Monarchomachorum subtilius.

OBSERVATIO II.
DE POLYGAMIA FOEMINARUM, LOCUS BODINI EXPENSUS.

Summaria.

Bodini hypothesis de polygamia, ubi plures sunt fœminæ. Sed an ubique æqualis fœminarum copia detur? §. I. Notatur error Besoldi in citandis locis Bodini, §. II. An ejusmodi Polygamia sit lege Naturæ licita? Ea abundantiâ fœminarum minime legitimatur. §. III. Lapsus Bodini in exponendo loco Cæsaris de Matrimonio Britannorum; hinc illius genuina explicatio §. IV. Quæ ulterius illustratur per locum Lactantii & Bessarionis. §. V. De Polygamia Britannorum locus Clementis Romani, §. VI.

§. I.

Besoldus *c. 1. de tribus domesticæ societatis speciebus no 7. p. m. 9.* Bodinum ait statuere, Polygamiam juris esse naturalis, iis in locis, ubi plures sint fœminæ quam mares. Citat eum ex *lib. V. de Republ. c. 1. f. 506. & Meth. Hist. c. 5.* Non dubito eum respexisse ad hunc Bodini loc. *lib. 5. de Republ. c. 1. §. 2. qui legitur mihi f. 507. & 508.* (nam folio

506. de Polygamia nihil reperio:) *illud etiam,* inquit, *incredibile, verum tamen sit, ad septentrionem aut parem aut majorem esse marium quam fœminarum vbique copiam: ad austrum multo plures esse in omni genere animantium fœminas, quam mares. Nam quod Cæsar Britannos duodecim una uxore sæpe contentos scribit, Indos vero singulos greges uxorum habere compertum sit, heic copiam, illic inopiam fœminarum arguit.* Hæc quidem in libris de Republ. invenio.

§. II. In *cap.* vero 5. *Methodi Histor.* & *si p. 135. & 136.* ea reperio, quæ *f. 506.* & *507. lib. de Republ.* tantum non de verbo respondeant, tamen locum de Polygamia similem offendere non licuit. Aberravit ergo in locis Bodini citandis Besoldus: Iam sententiam ipsam videamus. Bodinus eo, quem adscripsi, loco manifeste non loquitur de jure, sed de facto. Aut igitur alium è Bodino locum proferat Besoldus, aut agnoscat injuriam se illi fecisse.

§. III. Quicquid interim sit de Bodino, si quis nihilominus existimet lege naturæ licere Polygamiam, ubi largior fæminarum quam virorum annona est: videamus de hac opinione quid sit sentiendum. Si præsupponamus ipso jure naturæ prohiberi Polygamiam, quæ quorundam est sententia, ferri ista opinio prorsus non potest. Facile enim est negata universaliter thesi, negare hypothesin

cuius

cujuscunque circumſtantiæ. Quodſi contra putemus prohibitionem Polygamiæ non lege naturæ, ſed poſitivâ Dei factam eſſe (vt ſentit poſt alios etiam B. Hülſemannus *c. 21. Breviar. Theol. n. 3. & 8.*) ferri quidem ea ſententia vtcunque poteſt, ſed ſic tantum ut ſenſus ſit ſimpliciter, in iſtis terris jure naturæ licitam eſſe Polygamiam, niſi prohibitio divina interveniat , (quod perinde etiam in omnibus terris valebit) non vero, quaſi illa fœminarum abundantia ſit cauſa, unde viris naturali lege naſcatur jus Polygamiæ. Falſum enim, abundantiam ſexus ſupra ſexum dare jus ſexui deficienti ad Polygamiam. Sequeretur alias, iis in locis, ubi major eſt Maſculorum copia, fœminis a natura Polygamiam permitti, id quod omni rationi repugnat.

§. IV. Redeo ad Bodinum. Labitur ille, dum ait: ætate Cæſaris Britannos duodecim una vxore contentos fuiſſe. Id vero ex Cæſare nunquam probabit: Locus ejus eſt *lib. V. de Bel. Gal. c. 14. p. 146. Edit. Francof. Anno 1606. vxores habent deni duodenique inter ſe communes, & maxime fratres cum fratribus & parentes cum liberis. Sed ſi qui ſunt ex his nati, eorum habentur liberi, a quibus primum virgines quæque ductæ ſunt.* Senſus eſt; non duodecim viris eſſe uxorem unam, & illa una duodecim omnes eſſe ſola contentos: ſed duodecim con-

iugum

jugum paribus conjugia solere esse communia. Atque sic intellexit etiam Græcus Cæsaris interpres priora sic reddens: Καὶ ἄνθρωποι δέκα ἢ δυώδεκα κοινὰς ἀλλήλοις τὰς σφῶν γυναῖκας ἔχουσι.

§. V. Ad eum porro locum Joh. Brantius *p. m. 449.* verba Lactantii advocat *ex lib. 4. c. 4. Matrimonium dici non potest, ubi mulier una multos viros habet, sed hæc aut meretrix, aut adultera nominabitur.* Habuit sane eo pacto mulier una apud Britannos multos viros, sed sic, ut iidem multi viri multas quoque haberent uxores: quæ jam non Polygamia, sed fœminarum & maritorum communio est Platonica. Neque aliter intellexit Bessarion *f. 71. contra calumniatorem Platonis:* dum illam fœminarum communionem Platonicam hoc de Britannis exemplo illustrat.

§. VI. Ex Cæsare ergo Polygamiam istam non probabit Bodinus. Potuisset eam rectius fortasse confirmare ex Clemente Romano, *qui lib. 9. recognit. f. m. 47.* sic loquitur: *in Britannia partibus plures viri unam habent uxorem: In Parthia multæ mulieres unum habent virum.* Quorum sane verborum, quod ad Britannos attinet, is plane sensus esse videtur, quem Bodinus e Cæsare profert, secus enim frigeret ista Britannorum & Parthorum oppositio. Verum Clementis illius seu quicun-

cunque recognitiones illas scripsit, non adeo magna est apud eruditos autoritas.

OBSERVATIO III.
DE DEMOCRATICA LEGE EPHESIORUM

SUMMARIA.

L*Ex Democratica Ephesiorum Nemo de nobis unus excellat. §. I. Eodem modo explicanda illa Lex Sybaritarum aut Milesiorum quamvis a multis exagitata: nemo nostrum frugi esto. §. II. Præprimis cum Lex Ephesiorum eodem modo proponatur a quibusdam, ac Lex Sybaritarum §. III. Et Ephesii etiam luxui fuerunt dediti. §. IV.*

I.

DEmocraticis præcipue rebus publicis accommodata est illa Lex, qua nemo unus permittitur reliquis omnibus excellere; quod si contingat tamen, Exostracismus inventus est illi rei remedium. Talis illa Ephesiorum fuit, quam Cicero nominat *lib. V. Tusculan. p. 248. Nemo de nobis unus excellat.* Quem vide, & adde, vel confer potius aut examina Scherbium *in thesibus Philosoph. p. 100.* Forstnerum *not. ad Tacitum p. 136.* Cœl. Rhodiginum *Lib. II. Antiqv. Lect. c. 57. f. m. 103.* Arnisæum *in Politic. p. m. 537. & 542.* Camerarium *ad lib. V. Tusculan. p. 87. & 88.* Eber-

Eberlinum *de Origine Juris p. 33. 34.* Henr. Stephanum *Poëſ. Philoſoph. p. 135.* Bodinum *de Republ. p. 493.* & Septalium *de Ratione ſtatus p. 241.*

§. II. Jam autem diu ſuſpicor, eiusdem commatis fuiſſe illamSybaritarum in hæc verba [ſic enim citari ſolet] conceptam: *nemo noſtrum frugi eſto:* quam multi exagitant, tanquam extremæ ignaviæ indicinam, quod facit Chriſtianus Matthiæ *Syſtem. Ethic. p. 290. & Syſtem. Polit. 374.* Jacobus Martini *p. 926. Politic.* Itterus *Synopſi Philoſ. Moral. p. 200.* Quanquam enim non ignoro, ignaviſſimam hanc, & luxui deditiſſimam gentem fuiſſe: dubito tamen an ad vitam ſceleratam ac tam turpem lege publica ſe obligaverint. Camerarius *Cent. I. Succiſiv. c. 39. p. 171.* & David Chytræus *in Exod. f. 220.* Mileſiis eam tribuit: fuerunt autem Mileſii Sybaritis non mediocri benevolentia nexi. *Vide Leonicum lib. III. Var. Hiſt. c. 97. p. 330.*

§. III. Cauſa vero quæ me movet, ut hanc Sybaritarum legem (de qua tamen veterem autorem citari nondum comperi) ſi qua fuit, putem eandem fuiſſe cum illa Epheſiorum lege, hæc eſt. Legem illam Epheſiorum ita concipit Strabo *Lib. XIV.* cujus græca verba recitat etiam Petrus Victorius *caſtigat. in Ciceronem ad Lib. V. Tuſcul. p. m. 521.* ἡμέων ὐδεὶς

ὀνήϊςος

ὀνήϊστός ἐστω εἰ δὲ μοὶ, ἄλλη τε καὶ μετ' ἄλλων. Neque aliter Laërtius in vita Heracliti *p. m. 448. Edit. Græc.* Illa vero Strabonis Latinus interpres his ipsis verbis extulit, quibus Legem Sybaritarum vulgo proponunt: *nemo nostrum frugi esto*: Quod autem Ambrosius Camaldulensis in sua Laertii versione non frugi, sed inæqualis vertit, inde dicam esse, quod forte pro ὀνήϊστος legit ἄνισος.

§. IV. Cæterùm omnino ad illius Ephesiorum legis notitiam legendæ sunt quoque Græcæ Variorum epistolæ ab Aldo Manutio editæ *p. m. 291.* e quibus simul patebit, Ephesiorum quoque gentem luxui deditam fuisse. Quod quasi vitium popularibus Rebus publicis adhærere solet.

OBSERVATIO IV.
DE ORDINE ALPHABETI LITERARVM CONIECTVRA.

SVMMARIA.

Post Scaligerum & alios inquiritur in rationem ordinis literarum Alphabeti §. I. Vbi ordo literarum in Alphabeto Ebræorum supponitur pro fundamento, §. II. ad quem reliquæ gentes se composuerunt §. III. Id quod declaratur per ordinem Alphabeti Græcorum §. IV. V. VI. VII. & Latinorum §. VIII. IX. X. XI. Adücitur Parallelismus omnium trium alphabetorum. §. XII.

§. I.

§ I.

NUllum esse literarum naturalem ordinem, vel apud Ebræos, vel Græcos, vel Latinos, vel alios, communis omnium, quos videre mihi obtigit, opinio est, verba sunt Bernardi Mallincrot *c. 14. de natura literarum.* Itaque ipse, qui ordo ad præscriptum naturæ literis Alphabeti aptissimus esse videatur, *d. l.* inquirit. Quod ante eum & Hermannus Hugo, quem ipse aliquoties citat, & Scaliger *c. 38. de causis LL.* fecerunt. Mihi heic idem agere negotium non libet. De eo tantum aliquid commentabor, ut quoniam rationem ordinandi literas non ab ipsa earum natura videntur petiisse, intelligamus, quam sint ergo rationem secuti: Casui enim hunc ordinem imputare velle, ineptum sit.

§. II. Est autem hoc loco gens Hebræa separanda a cæteris, ut ipsa quidem quamcunque tandem rationem secuta sit, hujus vero autoritatem populi reliqui habuerint pro ratione, quod & Mallincrotio *p. 73.* videtur, sive ad Hebræos immediate, sive mediate respexerint. Ac de Ebræis, num ipsi in ordine literarum aliquid arcanæ intelligentiæ comprehenderint, aliis disceptandum relinquo. Vid. interim Mallincrot. *p. 75. 76.* & conf. Henr. Corn. Agrippa *lib. 1. de occulta*

Philosophia

Philosophia c. 74. p. 115. Causinus *lib. 4. de Eloquentia c. 33. p. 170.*

§. III. Reliquæ gentes cum ad exemplum Ebræorum componere se decreuissent, nisi quod א ו י ע reliquis consonantibus prope per æqualia spatia interiectæ, vocalibus maxime affines esse credebantur, faciendum sibi putauere, vt qui harum literarum vim ac potestatem in suis linguis non reperiunt, in ipsissimos prope horum locos vocales substituerent suas, certe inter consonantes quasi dispergerent eas: qua in re & rationem possunt videri secutæ, vt consonantes illa vocalium mixtura pronunciabiles quodammodo fierent.

§. IV. Iam cum ita quatuor tantum vocalibus pateret locus, quas tamen 5. Græci haberent α ε ι ο υ (vocales enim longæ η & ω demum a Simonide feruntur additæ, vide Scaligerum *cap. 6. de caus. LL. p. 12.* & Victorinum Grammaticum *p. 2458. Edit. Butschii*) commodissimum videbatur, vt quinta illa vocalis esset literarum vltima & eo pacto alphabetum a vocali initium pariter & finem caperet. Cæterum, neque hoc ignorandum, priscum Græcorum Alphabetum non modo vocalibus longis, η & ω, sed & consonantibus duplicibus ζ ξ & ψ, item aspiratis φ χ θ caruisse, fuisseque adeo literarum tantum sedecim

cim, quæ his reiectis remanent. Vid. Scaliger *d. l.* Sylburgius *in alphabeto Græco p. 8.* Victorinus Gramm. *p. 2468.* qui hinc corrigendus. Atque in iis si obserues, quæ diximus, & præterea omittas eas Ebræorum literas, quarum potestatem Græci ignorarunt, ipsissimum Ebræi Alphabeti ordinem agnoscas hac ratione:

אבגדהוזחטיכלמנסעפצקרשת.

α β γ δ ε ι κ λ μ ν ο π ρ σ τ υ.

Vbi hoc vnum obserua adhuc dubium esse posse, num ε litera subiicienda sit Ebræorum ה an ו, de quo obseruatione sequente dicendum. Quæres, cur in locum τοῦ ו substituerunt ε & non potius υ vel etiam ο? Credo quia semel decreuerant vocalibus hunc ordinem dare: α. ε. ι. ο. υ. quæ apud Latinos postea fuerunt a. e. i. o. u. Quem etiam maxime naturalem esse assentior Mallincrotio *p. 75. c. 14.* quicquid aduersus ordinem receptum argutetur Scaliger *c. 38. p. 88. de Caus. LL.*

§. V. Nunc videamus cur reliquæ 8 literæ, quæ sunt η ω, ζ ξ ψ, ϑ χ φ, hunc quem in Alphabeto Græcorum videmus, ordinem sint nactæ. Qua in re liceat coniecturis vti. Videtur autem & hic ratio præcipua habita fuisse

fuiſſe ordinis Ebræorum. Ac θ quidem poſteaquam ח iam fuerat a τ occupatum nulli melius poterat ſubſtitui, quam τῶ ט. Z. vtrum ad ז an ad צ potius referretur, dubitari potuit. Sed cur τῶ צ potius iungeretur (ut omittam, quod vulgo notum eſt ζ nihil aliud eſſe quam δσ vel σδ, ut ideo a δ non debuerit nimium remoueri) vel hæc cauſa ſuadere poterit, quia ζῆτα & θῆτα ſimilem habent appellationis ſonum. Quam ob cauſam & ἦτα illis aggregare placuit: quo pacto factum eſt, vt η Græcorum occuparet locum τῆ ח Hebræorum, cui alias & quoad figuram aliquo modo accedit. Imo etiam vt ex ב Græcorum βῆτα, ſic ex ח & ט Græcorum ἦτα & θῆτα videtur appellatum. Adſtipulatur Sylburgius in Alphabeto Græcorum *p. 7.* contraria ratione pro Græcorum ζῆτα Latini dixerunt Zeth.

§. VI. Porro ſimilis cauſa iuſſit τὸ ξ ſubſtituere in locum τῆ ס. Nam etſi ס fortaſſe videatur eſſe potius Σ: tamen Σ iam ש occupaverat, & ita vacuum reliquerat τῆ ס locum pro vna ex literis a Σ compoſitis. Iam autem τῶ ζ ſuus erat aſſignatus locus, reliquæ erant ξ & ψ, vtraque vel ſoni nomine digna quæ iungerentur literis μῆ, νῆ. Locus tamen hic cedere potius debuit τῷ ζ, vt hoc pacto medi-

am quodammodo obtineret ſedem inter K & Σ, vnde eſt compoſitum. Nam ſi τῶ ψ locus ille datus fuiſſet minus iuſtum videbatur, vt vtramque ſimplicem π & σ ſua præcederet compoſita ψ.

§. VII. Sic igitur pleræque ex illis novitiis literis ſedes obtinuerunt ſuas. Reliquæ fuerunt χ Φ ψ ω. Ex his ω vocalis in vltimum coniecta eſt locum, vt vel ſic Alphabetum denuo vocali finiretur. Vt autem inter υ & ω duas ſcilicet vocales, intercederent conſonantes, negotium dirimendi eas vocales datum fuit τοῖς Φ Χ ψ. Hoc enim commodius videbatur, quam vt ſuccederent in locum reſiduarum apud Hebræos literarum: tametſi alias non parum affinitatis ſaltem τῶ χ cum ח vel ק intercedere videbatur. Verum & patebit ex obſeruatione ſequenti, his etiam litteris alias ſubſtitutas fuiſſe. Ex his quæ diximus, parallelismus vtriusque Alphabeti conſtruitur talis:

אבגדהוזחטיכלמנסעפצקרשת .

Α Β Γ Δ Ε ΖΗΘΙΚΛΜΝΞΟΠ -- Ρ ΣΤΥΦΧΨΩ

§. VIII. Nunc Latinorum Alphabetum videamus. Hi initio caruiſſe videntur literis K Q X Y Z (niſi dicas cum Victorino *p. m. 2459.* illis non K. ſed C. defuiſſe) vſum enim τῶν K & Q facile illis præbuit C, qua plane

plane carent Græci. Græcorum vero Y iam in ipsorum V transierat: X denique & Z literas duplices non magis admittendas initio sibi putauerunt, quam ψ quod nunquam aliter nisi duabus literis pinxerunt. Adde, quod ne Z quidem in Latina vlla voce reperitur. Ac testis est Victorinus *p. 1945. 2446.* ante X literam inuentam Regs & Pics scripsisse. Habuerunt igitur has tantum 18. literas: quanquam Victorinus *p. 2468.* non alias nec plures, quam 16. Græcorum habuisse refert) A. B. G. D. E. F. C. H. I. L. M. N. O. P. R. S. T. V. Quas elegantissime potuerunt ita ordinare & diuidere in 4. ordines, vt singulis singulæ vocales tanquam duces quidam præsint, agmen omnium claudat vltima vocalium.

A	b	g	d		
E	f	c	h		
I	l	m	n		
O	p	r	s	t	V.

In vltimum ordinem 4 Consonantes coniicere, cum in cæteris nonnisi ternæ sint, coëgit necessitas.

§. IX. Collatio vero vtriusque Alphabeti hæc est:

ΑΒΓΔΕΖΗΘΙΚΛΜΝΞΟΠΡΣΤΥΦΧΨΩ
A B G D E F C HI - L M N - O P R S T V.

F.C.H. ſubſtituerunt Latini literis Z H Θ Græcorum moti exemplo, qui ſuas Hebraicis זחט ſimiliter ſubſtituerant, vt ſc. loci alias vacui explerentur, nec hiatum facerent concurrentes ſibi duæ vocales E & I. Neque vero Lacuna illa videbatur aptius expleri poſſe, quam iis literis, quas Græcis ignoratas haberent latini. Ac videbatur quidem F debere in locum τȣ̃ χ ſuccedere, ſed ita literarum agmen clauſiſſet conſona, quod illos credibile eſt evitare voluiſſe. Atque ſic vtramque expoſuimus rationem, cur hanc ſedem obtineat F. Aliam & fortaſſe meliorem ſuggeret obſeruatio ſequens, quod alias haud facile explicari poſſe ajebat Scaliger *c.38. de C.LL. p.89.* Venire & hoc alicui poſſet in mentem, literis Z H Θ parallelas olim tres illas fuiſſe hoc ordine C H F. Habet enim C, ſi ante e & i ponatur, ſonum τȣ̃ ζ. Et H Latinum habet figuram τȣ̃ H Græcorum: Vnde pro F ſi cum his peregrinis literis iungi debuit, nullus alius locus quam τȣ̃ Θ vacauit.

§. X. Sed quomodo factum eſt, vt mutato ordine ſic poſtea ſcriberetur: A B C D E F G H pro: A B G D E F C H. vel: A B G D E C H F? Nempe non faciendum videbatur, ut F ſepararetur a G, hoc eſt, Digamma à Gammate; neque tamen placebat ſecundæ vocali præmittere F. id enim paralleliſmum

lismum vtriusque Alphabeti vitiasset, vt hinc patet:

Α Β Γ Δ Ε Ζ
A B G F D E

Commodius igitur videbatur, G suo loco moueri, & permutari cum literâ tum scripturâ, tum potestate simili C. De affinitate τῶν C & G. vide Victorinū *p. 2459. cui conf. p. 2469.* Hinc ergo apparet ratio aliqua, cur Latini literæ B. proximam non G. vt Græci & Ebræi, sed C fecerint, in quo eos alias a natura literarum recessisse Scaliger fert ægre *d. l.* Ut autem τὸ F τῷ G præponeretur, cum contra Γ digammati debuisset præponi, siue casu factum fuerit, seu ratione eadem, qua & Græci & Hebræi τὸ Β τῷ Γ anteposuerunt. Sunt enim B. & F literæ eiusdem instrumenti.

§. XI. Porro quæ adhuc supersunt literæ latinæ, reliquis, vt apparet, recentiores K Q X Y Z sic sunt agglutinandæ, vt K plane obtineat illum locum quem K Græcorum, & Q quem ק Hebræorum (imo & κάππα Græcorum, de quo obseruatione sequenti, quæ causa Scaligerum *d. l.* latuit) X autem Y & Z longo demum post seculo accessisse dixerim, cum obliti essent mortales, pulchrum esse Alphabetum vocali claudere. Itaque for-

tuito ordine has 3. literas tanquam ſcabiem extrema iuſſerunt occupare.

§. XII. Tandem ergo Parallelismus 3. Alphabetorum hic eſt:

תשרקצפעסנמלכיטחזוהדגבא

Α ΒΓΔ-ΕΖΗΘΙΚΑΜΝΞΟΠ -- Ρ Σ Τ Υ Φ Χ Ψ Ω

A BCD-EFGH I KL M N-OP - QR S T V X Y Z

Acies Latini Alphabeti, ſi ſingulas vocales velis eſſe ſingulorum ordinum duces talis erit:

A	b	c	d		
E	f	g	h		
I	k	l	m	n	
O	p	q	r	s	t
U	x				
Y	z				

Germani Ordinem Latini Alphabeti plane non mutarunt, ſuam tantum literam W interiecerunt eo loco, qui eſſet commodiſſimus. Cum enim W ſit geminatum V, proximo poſt hanc literam loco merito debuit poni.

OBSERVATIO V.

NOTAE GRAECORUM NUMERALES SUBSIDIARIAE, *ἐπίσημον, κόππα, χαρακτήρ.*

SUM-

SVMMARIA.

Literis vulgaribus Græcis in numerando tres aliæ subsidiariæ sunt additæ. §. I. Ubi quæritur 1. quæ nomina hæ notæ subsidiariæ habeant? 2. An sint literæ? 3. cur illo ordine positæ, qui §. 1. designatur? §. II. Locus eâ de re Varini. §. III. Aliorum autorum §. IV. Senarium dici Episimon, nonag. variam Koppa, nongentenarium Characterem. §. V. Senarium & nonagenarium esse literas, nongentenarium tantum notam numeralem. §. VI. Nempe nonagenarium seu Koppa esse Ϙ Latinorum. §. VII. Interpositum autem esse inter Π & P. uti apud Latinos Ϙ ad imitationem Hebræorum. §. VIII. Locus ex Scholiaste Aristophanis dicta illustrans §. IX. senarium seu Ϛpisimon respondere Latinorum F. §. X. Parallelimus trium linguarum §. XI. Character in ultimum locum reiectus, cum non sit litera. §. XII.

§. I.

Literæ suæ Græcis duplicem usum præbent, unum in exprimendis animi sensibus, alterum in numerando, sunt enim in iis numerorum compendia. Priori usui non nisi 24. inserviunt literæ, etiam pueris notæ. In notis autem numeralibus tres alias his viginti quatuor adiecerunt, quarum unam, quæ esset nota Senarii, interiecerunt literis E & Z; alteram quæ esset nota nonagenarii interiecerunt literis Π & P, tertiam quæ

 esset

esset nota nongentenarii, postposuerunt literæ ultimæ ω. Nos primam posthac nominabimus senarium, alteram nonagenarium, tertiam nongentenarium. Nimirum ad tres notarum numeraliũ ordines conficiendos in quibus singulis essent characteres novem, viginti septem opus erat literis, vt eo pacto ab vno ad mille progressio iusta fieret hoc modo:

1 α	2 β	3 γ	4 δ	5 ε	6 ϛ	7 ζ	8 η	9 ϑ
10 ι	20 κ	30 λ	40 μ	50 ν	60 ξ	70 ο	80 π	90 ϟ
100 ϱ	200 σ	300 τ	400 υ	500 φ	600 χ	700 ψ	800 ω.	900 ϡ

Appinximus trium notarum figuras, quales reperiuntur apud Sylburgium *p. 61. Græci Alphabeti.*

§. II. Iam de eo dubium non est, primam ex his subsidiariis notis esse signum numeri 6. alteram 90. tertiam 900. quodque ex hoc prope sequitur, primam interponendam esse literis E & Z, alteram π & ϱ, tertiam in finem omnium reiiciendam. Atque adeo confessum hoc est inter omnes, qui hoc argumentum

tum tractarunt, aut tabulam notarum apud Græcos numeralium nobis exhibuerunt, vid. Sylburgius *d. l. & p. 8.* Golium *in Gramm. p. 332. 333.* Camerarium *de notis numeralibus p. 33. 46.* Sed dubitationem capere quædam video. Quæret enim aliquis 1.) quæ nomina his notis fecerint Græci? 2.) an sint literæ? 3.) cur hunc quem designauimus ordinem in Alphabeto eis dederint. Antequam de his quæstionibus, quid videatur, exponam, operæ pretium est locos quosdam integros auctorum adscribere, præsertim cum iis postea, ubi corrupti videantur, medicinam afferre decreverim.

§. III. Luculenta verba sunt Varini *in* Ἀριθμός *f. 177.* Ἀριθμός. παρατηρητέον, ὅτι τότε τὰ φωνήεντα, τότε τὰ σύμφωνα συντελοῦσιν εἰς τὸν ψηφισμὸν, καὶ ἀριθμὸν, ὡς παρὰ τοῖς ἐπισήμοσι λατίνοις ὁ λογαριασμός. Συντελοῦσι καὶ εἰς τοῦτο τρία σχήματα, ἅπερ κυρίως οὐκ εἰσὶ γράμματα, τὸ ἐπίσημον δηλορότι ϛ̄ σκόππητα, καὶ ἡ χαρακτῆρα. Πάντα γὰρ τὰ γράμματα ἀριθμὸν διασημαίνουσι. τὸ γὰρ ᾱ συμαίνη ἓν, τὸ β̄ δυο, τὸ γ τρία καὶ τὰ ἑξῆς. καὶ τὸ ἐπίσημον τὸ οὕτω γραφόμενον ϛ̄ ὅπερ ἑκτὸν ἐν τοῖς γράμμασι τιθεθαι ἓξ ποιεῖ. Καὶ οὕτως ἀκολούθως ἕως τοῦ ῑ ὅπερ ποιῆ δέκα. Καὶ ἕκαστον ἀκολουθοῦμενον γράμμα δέκα προςίθησιν ἐπὶ τὸ προηγούμενον, ἕως τοῦ π̄ ὅπερ ποιεῖ ὀγδοή-

δοήκοντα, ἔπειτα ἀκολουθεῖ ἡ σκόπητα ὅπερ ποιεῖ ἐννενήκοντα, καὶ μετὰ ταῦτα ἀκολουθεῖ τὸ ϡ ὅπερ ποιεῖ ἑκατὸν. Εἶτα ἕως τοῦ ω τὸ καθέκαστον γράμμα προστίθησιν ἑκατὸν, ἐπὶ τὸ προηγούμενον. Τὸ δὲ ω ὀκτακόσια ποιεῖ, καὶ ἀκολούθως ἐπάγεται χαρακτῆρα ἥτις ποιεῖ ἐννακόσια.

§. IV. In Membranis Fuldenſibus, teſte Sylburgio *p. 8. Alphabeti Græci*, characterum Græcorum nomenclatura hæc legitur: Alfa, Beta, Gamma, Delta, He, Eriſinen, Zeta, Heta, Theta, Iota, Kappa, Lauta, My, Ny, Xi, y, Koppin, Ro, Semma, Tau, Ioy, Fi, Sci, Pſi, O. In Moguntiacenſibus vero membranis eidem Sylburgio, quem vide *d. l.* a Canonicis ad S. Stephanum communicatis hæ duæ literæ Alphabeto Græco inſeruntur, ſed nominibus paulum mutatis: nam pro Eriſinen, Epiſimon ibi legitur, & Cophæ pro Koppin. Regino Prumienſis *Lib. I. de diſciplina Eccleſ. Sect. 426.* notam quinarii nominat ἐπη, Senarii σένον, nongenarii κόφι, nongentenarii Ennekoſe.

§. V. Quod igitur ad primam quæſtionem attinet, Senarium Varinus τὸ ἐπίσημον, membranæ Fuldenſes Eriſinen, Moguntiacenſes Epiſimon, Regino Senon appellant. Vbi non dubito Varinum verum nomen attuliſſe, iuxta quem cæterorum ſcripturæ corrigendæ ſunt

sunt. Nonagenarius Varino est ἡ σκόππητα, Fuldensibus membranis Coppin, Moguntiacensibus Cophæ, Reginoni Cophi, scribendum, quod & Sylburgio video in mentem venisse, κόππα. Ratio e sequentibus patebit. Nongentenario qui nomen inderet, neminem vidi præter Varinum & Reginonem: sed heic Varino adstipulor potius, ita tamen vt apud eum pro ἡ χαρακτῆρα malim scribere ὁ χαρακτὴρ. Nam ἡ χαρακτῆρα non minus quam ἡ σκόπητα nomen esse nihili videtur. Puto autem nongentenarium ideo appellatum τὸν χαρακτῆρα, quia non esset litera Alphabeti, vt τὸ ἐπίσημον & κόππα, sed tantum Character numeralis. Quam ob causam nec Fuldenses, nec Moguntiacenses membranæ nomen illi fecerunt, tametsi hæ figuram eius expressere. Regino autem non aliud ipsi dat vocabulum, quam eius numeri, quem exprimit ἐννεκόσια. Sic enim legendum videtur.

§. VI. Venio ad secundam quæstionem. Fuisse literas, priores saltem duas, vel hoc ipso persuadeas, quod in medio cæterarum literarum ordine eas reperimus, loco scilicet honoratiore, quam qui meris subsidiariis conueniat notis: debuissent enim alias coniici in sedem extremam. Quæ ratio & probabile facit, vltimam harum, quæ est signum non-

gen-

gentenarii non literam esse; sed meram notam numeralem. Tametsi autem negat Varinus, has notas esse literas, tamen non sine causa videtur addidisse τὸ κυρίως, ἄπερ, inquit, κυρίως οὐκ εἰσὶ γράμματα. Et κόππα certe literam Græcorum olim fuisse sed in desuetudinem abiisse postea, confirmat hic locus Marii Victorini in *Grammaticis p. m. 2459. Sed nec G quidem nec Ϙ latinus sermo introduxit. Ex quibus Ϙ & fuisse apud Græcos & quare desierit fungi vice literæ, cognoscere potestis, si Pontificum libros legeritis. Nunc enim apud Græcos iuxta π est posita.*

§. VII. Exarauimus locum, vt omnino legendus videtur, scripsimusque *desierit* pro *desiderat*, quod est in Editione Butschii, vel *desideret*, vt citat Sylburgius *p. 8. Alphabeti Græci.* Deceptus autem hac lectione Sylburgius hæc addit: *quæ cum Victorinus Pontificalium librorum auctoritate confirmet, mirum est apud Græcos Latinæ Historiæ scriptores, non Ϙ in talibus inveniri, sed K constanter vsurpari. Atque apud vetustiores quidem Polybium, Dionysium, Plutarchum,* Κοϊνθος, *apud Dionem modo* Κοΐντιος, & κοϊντίλιος, *modo* κύνθος, κύντιος & κυντίλιος. Nimirum, inquam, hanc ipsam ob causam & Latinorum Scriptores Græci non per κόππα sed κάππα exprimunt, quia κόππα desierat esse litera iam iis temporibus, quibus Homeri libri

libri sunt ordinati, qui cum numero sint literis Alphabeti æquales, in iis nec τὸ ἐπίσημον, nec τὸ κόππα reperies. Et hinc vetustatem & numeri pariter vulgati & ordinis literarum in Alphabeto Græco ipse confirmauerat Sylburgius *p. 8. init.*

§. VIII. Facit huc etiam locus alius Victorini *p. 246. Scripseram autem vobis - ex adiectis nostros solum X recepisse, F vero G & Q in græcis etiam literis fuisse, & nunc esse, sed G numero sex, Q nonaginta significare.* Locum hunc cum corruptum haberet Sylburgius *p. 10.* non potuit se expedire e scrupulo quodam de contradictione Victorini. Nobis heic sufficit, quod auctoritate Victorini probauimus, Coppa Græcorum esse ipsum Q Latinorum, illisque initio inter literas vsurpatum postea in desuetudinem venisse. Hauserunt nimirum, vt iam & quæstioni tertiæ respondeamus, vtrique hanc literam ex Hebræorum Alphabeto; ad quorum Cuph alludunt nomina τοῦ κόππα Græcum, & τοῦ Ku latinorum. Vnde & rationem petes, cur hæc litera seu nota apud Græcos inter π & ρ locata sit. Nam sic & Ebræi τὸ פ & ר interiiciunt ק

§. IX. Non prætereundus heic est locus egregius Scholiastæ Aristophanæi de hoc κόππα ad νεφέλας f. 99. Sed idem aliquantum

tum deprauatus, & a nobis obiter emendandus. Κοππατίας ἵππους ἐκάλουν οἷς ἐγκεχάρακτο τὸ Κ (lege Koppa) στοιχεῖον, ὡς σαμφόρας (malim σαμφόρους) τοὺς ἐγκεχαραγμένους τὸ Σ. Τὸ γὰρ Σ (καὶ τὸ Ν χαρασσόμενον, Hæc verba delenda videntur, orta vt apparet ex imperitia Librarii ignorantis, quod hodie Grammaticis passim vulgatum est, Σ fuisse etiam σὰν appellatum) σὰν ἔλεγον· αἱ δὲ χαράξεις αὗται, καὶ μέχρι τοῦ νῦν σώζονται ἐπὶ τοῖς ἵπποις. Συνεζευγμένου γὰρ τοῦ Κ καὶ Σ τὸ σχῆμα τοῦ λ ἀριθμοῦ δύναται νοῆσθαι, οὗ προηγῆται τὸ Κ (lego τὸ π. Nam aute h est π) καὶ παρὰ γραμματικοῖς οὕτω διδάσκεται, καὶ καλεῖται κόππα ἐννενήκοντα. Τινὲς δὲ κοππατίαν ἐξηγήσαντο τὸν κόπτοντα καὶ κοιλαίνοντα ταῖς ὁπλαῖς τὸ ἔδαφος, οὐδὲν ὄντως (legendum e Suida οὐδεόντως) ὑποτιθέμενοι. οὐ γὰρ βουκεφάλους ἵππους καλοῦμεν διὰ τὸ μορφὴν τοιαύτην αὐτοὺς ἔχειν, ἀλλὰ διὰ τὸ οὕτως ἐγκεχάχθαι. Hunc Scholiastæ locum videntur in conspectu habuisse, quorum etiam collatio proderit, Suidas *voce κοππατίας*, Varinus *f. 1089.* Rhodiginus *Lib. IV. A. L. c. 31. f. 147.* Camerarius *Comment. utriusque Linguæ p. 372.* Scapula *in Lexico f. 717.*

§. X. De κόππα satis. Ad Ἐπίσημον venio seu senarii notam. Eam Victorinus eandem facit cum litera G Latinorum, vt supra vidi-

vidimus, quanquam in eius locis quædam eſt perplexitas. Mihi vero illud Græcorum παράσημον comparandum potius cum Latinorum F quam G videtur, G enim Latinorum, r Græcorum. Iam in vtroque Alphabeto ſexta litera apud Latinos quidem eſt F, apud Græcos vero ἐπίσημον. Vtrumque ſubſtitutum pro Hebræorum Vau, cuius & poteſtatem Latinorum F non male exprimit. Imo F appellatum fuiſſe Φαῦ, teſtis eſt Victorinus *p. 2468.*

§ XI. Itaque trium linguarum Paralleliſmus ad vsque literam I conſtituendus videtur in hunc modum:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י

α β γ δ ε ϛ ζ η θ ι

a b c d e f g h - i

Quo pacto & Latinorum H ſubijcitur Græcorum H, quod non inepte dicas ſubſtitutum fuiſſe iis demum temporibus, quibus adſpirationem, quam plane vt Latini ſcribebant, H numero literarum eiecere, ſic enim H & in figuram eius & locum ſucceſſit. Suſpiceris & hoc, adſpirationem illam primitus fuiſſe dictam Heta ex ה Hebræorum, vt Beta ex ב poſtea adſpiratione eiecta, vocalem illam longam appellatam fuiſſe Eta, quam codex Fuldenſis aperte Heta vocat.

§. XII. Hæc de ſenario : ſupereſt Nongentenarius. Pro hoc vacabat locus adhuc in Alphabeto Hebræorum, nempe τȣ̃ ϡ quo pacto ſedem habuiſſet inter κόππα & Rho, verum hanc notam, opinor, nunquam pro litera habuerunt Græci, ſed tantum pro ſigno numerali, ſubſidiario, ideoque in finem totius Alphabeti reiecerunt.

OBSERVATIO VI.

NATIONVM LAVS ET VITVPERIVM EX LINGVA. ETYMOLOGIAE LVBRICAE.

SUMMARIA.

Cicero laudans Latinos præ Græcis quod conuiuia dixerint quæ Græci συμπόσια appellauerint, ab aliis notatus. §. I. Vnde obſeruatur nationum laudes & vituperia etiam ex lingua deſumi, & Etymologias vocum ſæpe eſſe lubricas, vt argumenta inde deſumi posſint tam in laudem quam vituperium. De Conuiuio locus Ciceroni parallelus ex Ariſtotele §. II. Item Iohanne Sareſberienſi. Non probabilem tamen eſſe, hanc Ciceronis Etymologiam. §. III. Simile exemplum in etymologia Hoſtis qui olim peregrinum denotauit. §. IV. Locus ea de re Ciceronis qui laudat Latinos, qui hoſtem vt peregrinum conſiderauerint, æquitatis erga hoſtem etiam exercendæ memores. Simi-

Similis locus Saresberiensis §. V. & B. Ambrosii §. VI. Contra ex ea etymologia vituperari etiam poterant Romani, quod peregrinum pro inimico habuerint, quod fecit Grotius & Bodinus.§.VII. Notatur Ambrosius, asserens etiam Hebrais peregrinos pro hostibus sumi §. VIII. Notatur Bodinus, dum Gracis etiam synonymice hostes & peregrinos dictos fuisse statuit. §. IX. Neque id probari ex Plutarcho aut Herodoto §. X. vt qui plane de re diuersa loquantur, de Lacedamoniis videlicet Atheniensium Legatos voce peregrini ambigua ludentibus §. XI. adeoque parum apte post Bodinum etiam ab aliis ad illustrandam Ciceronis sententiam adhibentur §. XII. Notantur & alia sententia Hadriani Iunii & Bodini. §. XIII.

§ I.

CIcero *de Senectute p. 86. & lib. IX. Epist. fam. 24.* laudat præ Græcis Latinos suos, quod accubationes epulares amicorum cum illi συμπόσια vocent & σύνδειπνα, h. e. compotationes & concœnationes, hi conuiuiorum nomine honestarint: esse enim in eo genere minimum voluptatem illam, quæ edendo bibendoque percipiatur longe vero maximum illos amicorum in conuictu mutuo sermones. Græcorum caussam aduersus Ciceronem huic nationi sæpicule parum æquum, susceperunt in hoc negotio

Henr. Stephanus *Lib. I. Schediasmat. c. 8. p. 30. seqq.* & M. Antonius Muretus *Lib. 19. var. lect. c. 4.* Quorum hic: elegantius, inquit, illi (i.e. Graeci) qui aliud esse viderunt vna bibere, aliud vna viuere. Ille vero in Romanae nationis opprobrium id vrget praecipue, quod viuere ipsis saepe idem sit, quod genialiter viuere, genio indulgere, curare cuticulam *p. 34.* Idque prolatis Virgilii, Catulli, aliorumque locis probat *p. 37. & 38.*

§. II. Duo sunt, quae hinc discere possis. Primum nationi alicui laudem aut vituperium conciliari posse ex ipsa loquendi aut suis nominibus res appellandi consuetudine; alterum, Etymologias interdum sic esse lubricas, vt in laudem pariter, laudisque contrarium valeant. Nam quo ex loco Cicero Latinis suis laudem quaerit, ex eodem reprehendunt eos Stephanus & Muretus. Cicero conuiuium inde sic dictum esse, a maioribus suis opinatur, quod qui vna cibum capiunt, praecipuam voluptatem non ex cibo capiendo, sed ex amicis honestisque confabulationibus haurire debeant: id enim esse conuiuere, animos scil. potius pascere sermonibus, quam ventrem eduliis. Et vero, si ostendi possit latinis veteribus conuiuere id fuisse, quod iucundos vtilesque sermones sociare, nihil potuit proferri honestius, cum sit haec ratio ex ipso Philo-

so-

ſophiæ meditullio depromta, nec male Cicero, cum ad Poetum hæc talia ſcripſiſſet, addit, philoſophando eum ſe ad cœnas cum amicis ſumendas reuocare conari. Nam & Ariſtotelis hæc Philoſophia eſt elegantisſimo loco & heic etiam legi digno IX. Nic. 9. συναισθάνεσθαι ἄρα δεῖ καὶ τοῦ φίλου, ὅτι ἐστί. Τοῦτο δὲ γένοιτ' ἂν ἐν τῷ συζῆν καὶ κοινωνεῖν λόγων καὶ διανοίας. οὕτω γὰρ ἂν δόξειε τὸ συζῆν ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων λέγεσθαι, καὶ οὐχ ὥσπερ ἐπὶ τῶν βοσκημάτων τὸ ἐν τῷ αὐτῷ νέμεσθαι.

§. III. Ad mentem autem Ciceronis etiam Ioh. Saresberienſis reſpexit in his : *quæ apud Græcos coepulationis aut compotationis cenſentur nomine, a nobis honeſtiore nomine conuiuia nominantur. Cœtus ſiquidem conuiuentium, quam coëpulantium aut compotantium venerabilior eſt. Lib. I. Polycratici c. 6. p. 25.* Verum enimvero cum in promptu ſit oſtendere viuendi vocem Latinis veteribus ad illas corporum voluptates, quod & noſtri fecerunt Germani in verbo Wolleben / & Græci in ſuo εὐφραίνεσθαι *Luc. XVI. 19.* traductam fuiſſe: valde probabile eſt, in appellando conuiuio ipſos, rudes quippe, meliorisque, & a ſenſibus abductæ Philoſophiæ, parum peritos, eam potius vitæ ſignificationem, quæ ſenſibus placeret, ſecutos eſſe. Quis enim ſuſpi-

cetur, indendis rerum quotidianarum vocabulis eos philosophari voluisse?

§. IV. Cæterum eorum quæ hactenus dicta sunt, exempla etiam in vocabulo *hostis* deprehendas. Certum est ea voce peregrinum antiquitus significatum fuisse, quod non suadetur autoritate solum scriptorum LL. *p. 3. 1373. & 1375. Edit. Dionys.* Gothofredii, & Laurembergii *in Antiquario p. 212.* sed insuper ex Etymologia, si cum Scaligero deducas a græco ὅςις pro quo Æoles dicebant ὅσπις, vt ab illo sc. esset hostis, ab hoc hospes (*vid.* Becman. *Orig. p. 201.*) qui & hodie peregrinum notat, cumque eo sæpissime coniungitur. Quanquam nec Festi Etymologia refragatur, ab hostire hostem deducentis, quod est æquare apud Buchner *in Fabro f. 460.* æquitatem enim colere inter se peregrinos conuenit.

§. V. Itaque Cicero in laudem trahit quod tam honesto mitique vocabulo inimici olim affecti fuerint. Locus eius integer hic est *Lib. I. Offic. p. 8. Equidem illud etiam animaduerto, quod qui proprio nomine perduellis* (πολέμιος) *esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant XII. Tabulæ: AVT. STATVS. DIES. CVM. HOSTE.* itemque *ADVERSVS. HOSTEM*

STEM. AETERNA. AVCTORITAS. Quid ad hanc manſuetudinem addi poteſt, eum quicum bellum geras, tam molli nomine appellare? Quanquam id nomen durius iam effecit vetuſtas, a peregrino enim receſſit & proprie in eo, qui contra ferret arma, remanſit. Cæterum id eo loco agit Cicero, vt in bello etiam aduerſus hoſtem iuſtitia æquitateque perſungi doceat oportere. Ciceronis ſententiam hac in re ſequuntur Cruſius *in Rhetor. p. 152.* & Voſſius *Lib. V. Inſtitut. Rhetor. p. 345.* dum in hac ſignificatione hoſtis ὑποκορισμὸν quendum vel μείωσιν agnoſcunt. Quanquam autem Cicero non aperte ad illud hoſtis etymon ab hoſtiendo, i. e. æquando dicti alludit: factum hinc tamen dixerim, vt in hanc alluſionem Saresberienſis ea interpretatus eſſe videatur, quæ ipſa tamen huius expoſitio ob verborum ambiguitatem dubium de ipſius mente reddat lectorem. Verba hæc ſunt *lib. 8. Polycrat. c. 13. p. 523. auctore ſiquidem Cicerone ob æquitatem hoſpitibus exhibendam hoſtis dicebatur antiquitus; quem modo dicimus peregrinum. Cui quisquis fuerit inhumanus, de iure antiquo iniquus eſt. Declarant hoc legum tabulæ & titulus iuris: qui eſt ſtatutus dies cum hoſte.*

§. VI. Putes etiam B. Ambroſium *I. Offic. 29.* vbi hanc ipſam de vocabulo hoſtis obſeruationem argumento ſuo accommodat, Cicero-

ceronis quasi sententiam suis verbis exprimens,&noua ratione confirmans verba,quædam Ciceronis, quæ textum supra positum antegrediebantur, minus abs se intellecta in alium sensum detorsisse,cum ita scriberet: *Liquet igitur etiam in bello fidem & iustitiam servari oportere,nec vllum decorum esse posse, si violetur fides. Denique etiam aduersarios molli veteres appellatione nominabant, vt peregrinos vocarent. Hostes enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Quod sæpe etiam ipsum de nostris assumtum docere possumus. Aduersarios enim suos Hebræi Allophylos h. e. alienigenas latino appellabant vocabulo.* Cum his autem iunge initium dicti apud Ambrosium capitis.

§. VII. Quicquid sit de his, dubitare licet, ad laudemne magis humanitatis, an ad inhumanitatis dedecus pertineat, quod Latini vocabulum cui initio tantum hospitis vel peregrini atque externi significandi vis inesset,detorserunt ad notandum eum, quem aduersarium sibi bello petendum proposuissent? Quid enim si hoc aliquis factum esse dicat, non præ humanitate ac proposito cum inimicis quoque iura fidemque colendi, sed præ multorum quondam populorum consuetissima, & quæ iuris aliquam vim obtinuit, feritate, externum quemuis & peregrinum non alio, quam inimici loco habendi, vt adeo hæc appel-

appellatio originem traxerit a iure latrocinandi, peregrini & aduersarii discrimina vel tollente, vel ignorante. Sane huc rem trahi video a Grotio, cuius *II. de Iure Belli c. 15. n. 5. p. 264.* vbi de illa latrociniorum licentia agit, hæc sunt verba: *hinc in barbaros prædam exercere laudatum Aristoteli, & ipsa vox hostis veteri Latio nihil nisi externum significabat.* Eadem mens Besoldo *IV. Polit. VI. p. 63.* in his: *& humanæ cognationi, quæ inter homines est, repugnat, quod olim Romani peregrinum pro hoste sumebant.* Vbi quod non modo Varronem, sed & Ciceronem citat, dicas, eum Ciceronis expositionem, qui hoc ad humanitatem ex alio principio trahit, tacite refellere voluisse, nisi placeat Ciceronis & Varronis testimonia in id tantum allegata fuisse, vt de τῶ ὅτι simus certi, scil. quod hostis & peregrinus idem aliquando valuerint.

§. VIII. Sed quid Ambrosio respondebimus? Coniecturæ Ciceronianæ fulcrum supponentis ab exemplo Hebræorum hostes suos allophylos i. e. alienigenas appellantium. Locum Ambrosii dedimus supra. Si constaret prius & illam Ciceronis obseruationem recte se habere, & hostes Ebræis allophylos vocari, non improbabiliter dici posset, illam verbi mansuetudinem Romanos ab Ebræorum gente vel didicisse, vel discere

ſaltem potuiſſe. Iam cum alterum hactenus infirmatum ſit, alterum iam ſit infirmandum, nihil eſt, quod Ambroſiii auctoritas heic nos detineat. Fallitur autem ignorantia ſermonis Pater Sanctiſſimus quod vel ab Ebræis putat allophylos dici, vel allophylorum voci ſimilem reperiri in fontibus per ea loca, & allophylos idem eſſe quod hoſtes. Quid de ea voce tenendum ſit nobis, locus Hieronymi *in c. 2. Eſa. Tom. V. Oper. f. 6.* euidenter oſtendit: *Pro Philiſtiim ſemper LXX alienigenas interpretati ſunt, i. e. τὰς ἀλλοφύλους, nomen commune pro proprio, quæ eſt hodie gens Palæſtinorum. Vnde & illud, quod in Pſalmis dicitur, cum enumeratione gentium cæterarum: Mihi alienigenæ ſubditi ſunt, non omnes externas nationes, ſed propriè Palæſtinas ſignificat.*

§. IX. Reſtat vt excutiamus, rectene ſcriptum fuerit a Bodino *l. de Republ. 6. f. 47.* Græcis veteribus æque atque Latinis hoſtes peregrinos appellatos fuiſſe. Vbi quidem pro Græcis Plutarchum citat in Themiſtocle. Themiſtoclem totum huius rei perlegi, ne μῦ quidem in eo eſt, quod ſententiam Bodini iuuet. Eſt aliquid in Ariſtide *f. m. 290.* Pro quo lapſu memoriæ Themiſtoclem videtur nominaſſe, quod aſſertionem Bodini ſpecie quadam iuuet, ſed in vanum abitura, ſi accurate examinaueris. Cum illo autem Plutarchi loco coniun-

iungendus alter Herodoti *L. IX. seu vltimo, qui Calliope inscribitur, p. m. 60.* rem eandem narrantis. Nam Laurembergius *in Antiquario p. 212.* ad Vraniam Herodoti, qui est *Lib. VIII.* nos mittens, simile quid Bodino passus est, nisi docere queat, vltimo Herodoti libro Vraniæ nomen factum esse forte ab aliis.

§. X. Primo autem Bodinus in ea re nimis generaliter (quam rectius ad Lacedæmonios restringunt Xylander *ad Plutarch. f. 90.* & Lauremberg *d. l.* nominatos scil. ab Herodoto & Plutarcho) Græcos vniuersim nominat, quasi toti genti familiare fuerit *ξένȣς* hostes appellare. Deinde neque hoc exsculpas ex historia, apud eos loquendi quadam consuetudine *ξένȣς* & *πολεμίȣς* peregrinos & hostes synonyma fuisse: cum hoc tantum innuant historici, Lacedæmonios quasi *αἰνιττομένȣς* in responso quodam Athieniensibus dato, cum de industria obscuritatē affectarent, pro Persis nominasse *ξένȣς*, quod illi prope simile est, quod modo habebamus, LXX. pro Philistæis vsurpasse Allophylos. Vtrobique enim voce generis species fuit significata.

§. XI. Res sic habet: Mardonius Persa premebat Athenienses. Hi Aristidem mittunt Lacedæmonem petitum auxilia. Lacedæmoniorum Ephori clam subsidia mittunt, palam (puto quod voluptatem quandam ex Lega-

Legatorum anxietate captarent) incuriam, præ se ferentes, vt Hyacinthia interim sua, qs. ludendi tempus esset, strenue agentes. Expostulantibus & responsum flagitantibus id tantum renunciant, copias suas iam in Orestheo esse, tendentes aduersus peregrinos. Peregrinorum nomine Persas intelligebant, sic enim expresse Plutarchus, vel Barbaros, vt habet Herodotus. Quæ locutio cum sic satis esset obscura; nec enim, rebus ita hactenus dissimulatis, diuinare poterant Legati Atheniensium, quos ξένϛς seu peregrinos ipsi vellent. Itaque expresse Herodotus non intellexisse ait Athenienses quid diceretur, vt aliis & clarioribus verbis rem eandem edocendi fuerint. Itaque Aristides Atheniensium Legatus regessit alieno tempore eos ludere, h. e. in re seria ludicra verborum ambigua minime fuisse vsurpanda.

§. XII. Patet ex his, nihil esse in hac narratione, quod ad Ciceronis sententiam aut, illum locum communem faciat, quod hostis idem olim fuerit, qui peregrinus, quanquam ea non Bodinus tantum sed & Xylander atque Laurembergius *loc. cit.* Vossius it. *Lib. V. Instit. Orator. p. 345.* in illud argumentum vtantur. Neque enim Lacedæmonii, cum peregrinos dicerent, tam hostes volebant ea voce quam Persas aut Barbaros signare, quod affir-

affirmantibus Plutarcho ac Herodoto credendum omnino eſt nobis. Et hæc ipſa tamen ſignificatio non tam popularis erat, quam ænigmatica, & ſtudio obſcuritatis quæſita; alias Athenienſes in illius verbi ſignificatione non hæſiſſent.

§. XIII. Herodoti locum ne Hadrian. Iunius quidem recte percepiſſe videtur *in Lexico* ſic ſcribens: *Herodotus ſcribit ξένυς a Laconibus peculiariter Barbaros intelligi.* Haud dubie locum Herodoti, quem heic expoſuimus, reſpicit. Sed verba Iunii legens aliquis id innui putet, Lacedæmoniis peculiare hoc fuiſſe præ aliis Græciæ populis, vt Barbaros populariter appellarent ξένυς. Id vero non eſt: ſed illis tantum Ephoris eo tempore libebat ſuſpenſos animis Athenienſium Legatos obſcuritate verborum ludificari. Itaque & Bodinus, cum ſcribit, mutatis verbis Græcos πολεμίυς hoſtes vocaſſe, quia bellum aduerſus eos geratur, ξένυς vero peregrinos: Ipſe viderit quomodo hanc mutationem probet, qua, ſi quid iudico, nulla vnquam opus fuit, cum ex communi loquentium vſu hoſtes ſemper πολεμίυς, nunquam autem ξένυς vocauerint. Equidem ξενίζειν apud Sophoclem in *Aiace*, (citante Porto *ad Suidam voce ξενία*) poſuit pro ἀποκτίνειν, vt Suidas exponit. Vnde putes, ſi ξενίζειν eſt occidere, i. e. tractare,

vt

vt hostem, ξένον quoque esse hostem. Verum ironica illa est locutio: sequitur enim apud Suidam: ξένια γὰρ ἄρεος τραύματα καὶ φοναί i. e. Xenia (dona hospitasia) Martis sunt vulnera atque cædes.

OBSERVATIO VII.

De RITV POETAS LAVREATOS CREANDI.

SVMMARIA.

Scaliger hunc morem deducit ab Agonibus Capitolinis a Domitiano institutis; eiusque hæc sententia cum aliis conciliatur ostendentibus, iam Virgilii tempore Poetas lauru coronatos fuisse. §. I. *Verosimilius a temporibus ab æuo Domitiani remotioribus, & ritibus conferendi gradus Academicos deriuatur.* §. II. *Hinc & jus creandi Poetas in diplomatibus Comitum Palatinorum coniungitur cum iure creandi Doctores, Magistros &c.* §. III. *Scilicet Poetam facere olim nil aliud erat quam creare quintæ alicuius facultatis magistrum.* §. IV. *Igitur conuenientia saltem remotior est inter lauream Poetarum nouiorem & antiquiorem illam tempore Virgilii aut Domitiani vsitatam,* §. V. *magna vero discrepantia* §. VI, *quæ illustratur verbis priuilegii Petrarchæ, cum inter primos Poeta crearetur dati* §. VII. *Olim agones Cepitolini vsque*

vsque ad tertium vel quartum seculum durarunt. §. *VIII. Petrarcha examinatus a Roberto Siciliæ Rege* §. *IX. Formula potestatis quam Petrarcha accepit dum Poeta coronaretur. Coniunctio artis Poeticæ & Historicæ.* §. *X. Academiis cur primitus non data sit potestas creandi Poetas laureatos,* §. *XI. & cur Imperatoribus solis ea reseruata sit, hodie vero in vsu esse desierit.* §. *XII. Ante Petrarcham Albertinus Musatus Poeta creatus. Anni determinatio, quo Petrarcha creatus est.* §. *XIII. XIV. Locus Vossii de coronatione Poetarum* §. *XV. Formula priuilegii anno 1661. Poetæ cuidam dati* §. *XVI.*

§. I.

EXistimauit Scaliger hunc ritum non aliunde quam ab Agonibus Capitolinis ad nos manasse. Verba eius *Lib. I. Ausonian. Lect. c. 10. p. m. 40. Agones Capitolini primum a Domitiano instituti sunt: & p. 42. Cæterum semper Agon ipse mansit Romæ, vt in eo Poëtæ, Rhetores, aliarumque Professionum homines coronarentur ab ipso Imperatore. Neque puto aliunde Poëtarum laureatorum morem manasse. Nam & ipsi antiquitus ab ipsis Cæsaribus Romanis coronabantur, magnoque in pretio habiti semper apud Italos & Germanos, qui id honoris, virtute ingenii consecuti essent.* Heic obiter obserua, etiam ante Domitianum coronatos fuisse Poëtas, & quidem lauru, non hedera tan-

tantum, vt opinabantur quidam. Notauit Iac. Pontanus *ad versum Eclog. VII. Virgilii: Pastores hedera crescentem ornate poëtam:* & ad illud *Eclog. seqq. hanc, sine, tempora circum, inter victrices hederam tibi serpere laurus.* Citat autem præter alios Ouidium quoque, & ipsum Horatium. Hæc ne cum Scaligero pugnent cuius de Agone Capitolino sententiam Pontanus probat, concilianda sunt. Dici potest coronas suas Poëtis vndecunque ante Domitianum potius obuenisse, quam e manibus Imperatorum.

§. II. Virgilius sane vt audiuimus, vult Poëtam a pastoribus coronari. Neque aliud voluisse Scaligerum existimo, quam morem, vt ipsi Cæsares Germani Poëtas coronarent, a Domitiano fluxisse videri. Quod si forte ostendi possit non primum id fecisse Domitianum, satis esse pro se Scaliger dicet, si id Domitianus in eo Agone præter cæteros fecit eximium in modum: neque enim se dixisse, quod ille mos ab Agone Capitolino primum manauerit, sed tantum manauerit. Verum hoc ipsum est, quod dubito, an in huius ritus etiam nostro æuo vsitati, eruendis caussis necesse habeamus ad illam vsque Domitiani aut etiam antiquiorem ætatem recurrere: nisi velimus pariter ab eadem origine Magistros quoque ac Doctores creandi omnem ratio-

tionem repetere. Similius enim vero videtur mihi, vt Poëticam laurum pari iure cum gradibus, quos vocant, academicis, qui vt ab æuo Domitiani longe ſunt remotiores, ſic a Capitolino agone minime ſunt deriuati, cenſeamus.

§. III. Mouet me, quod in Comitibus, vt appellant, Palatii ius coronandi Poëtam intime connecti video cum iure creandi Doctores, Licentiatos, Magiſtros, Baccalaureos. Cuius rei placet heic formulam adſcribere: Weiter geben wir auch obgedachten Theodoro Securio Macht und Gewalt/ daß er in allen Facultäten/ als in der Iurisprudentia, Artzney und Philoſophia Doctores und Licentiaten/ auch der freyen Künſte Magiſtros, Baccalaureos und Poëtas Laureatos creiren und machen ſol und mag. Welche Doctores, Licentiati, Magiſtri, Baccalaurei, und Poëtæ, ſo von ernandten Theodoro Securio creiret und gemachet werden / auff allen Vniuerſitäten zu lehren/ zu leſen/ zu diſputiren / und andere dergleichen actus zu üben Macht und Gewalt/ auch alle Gnade/ Freyheit/ Vortheil/ Recht/ Gerechtigkeit und gute Gewohnheit haben ſollen und mögen/ als andere Doctores, Licentiaten / Magiſtri, Baccalaurei und Poetæ, ſo auff hernach benambten Vniuerſitäten/ als nehmlich Pariß / Bono-

nien, Padua, Perusa, Pisa, Löven/ Wien/ Ingolstadt/ Leipzig/ Wittenberg und Marpurg creiret werden/ üben/ verrichten/ haben/ gebrauchen und geniessen/ von allermänniglich unverhindert. Eadem pene verba fuerunt in Diplomate Christoph Preibisii. Cæterum quod dicitur Poëtas a Comitibus creatos, dignitate pares habendos esse iis, quos Academiæ crearent, commode est interpretandum. Pleræque enim Academiæ, vt Lipsiensis nostra, nullum vsurpant ius renunciandi Poëtas Laureatos. Neque tamen desunt, quæ id exerceant iuris vel exercuerint, vt Viennennensis, vt Argentoratensis, vt Altorfina atque aliæ.

§. IV. Redeo in viam, habet summam cum aliis academicis gradibus cognationem laurus poëtica, & illi vicissim cum lauru. Vnde Salerni Doctoribus etiam Laureas coronas imponi, qui idcirco Doctores laureati dicantur, Camillus Borellus prodidit *lib. I. de Magistratuum edict. c. 8. n. 110. p. m. 144.* Itaque causam esse non existimo, cur peculiares rationes inquiramus in hoc regali, imponendæ laureæ, si expeditum habeamus, cur inter regalia locum habeat potestas creandi Doctorem vel Magistrum. Fuit enim sub initium repurgatæ a situ tot seculorum laureæ Poëticæ, nihil aliud Poëtam facere, quam quintæ

cu-

cuiusdam facultatis Magiſtrum. Vt adeo nulla nos ratio cogat, ad ſcrutandas antiquitates illius æui, quod fuit antequam Doctoris aut Magiſtri axioma peculiare Chriſtianis ſolenne fieret, i. e. (docente Conringio *Diſſ. 4. de antiqu. academ. p. 135.*) ante ſeculum Chriſtianum XIII.

§. V. Sed fuerunt tamen, inquies, diu ante Petrarcham Poëtæ lauru redimiti. Fateor: verum quid hi ad Petrarchã, aut nos, qui ſucceſſimus Petrarchæ? An nobis, vt illis, in publica panegyri quarto quoque anno celebranda decertandum fuit prius, ſubeundumque periculum, ne pro gloria reportaremus infamiam? Equidem non plane tollo omnem ſimilitudinem: id ſolum nego, tantam eam eſſe vt quæ huic Regali propria ſunt hodie, debeant inde vsque a Capitolino agone, aut vetuſtioribus temporibus repeti. Concedo, in ipſius quoque Petrarchæ coronatione reſpectum habitum fuiſſe ad agonem Capitolinum: maiorem autem, quam ad ſolennes tum temporis promotiones academicas, id vero nego.

§. VI. Enimuero multum intereſt inter æuum Domitiani & tempus Ludouici Bauari, quod Petrarcham aut primum dedit Poetam nouis moribus coronatum, aut a primo quaſi proximum. Sub Domitiano & ante

 Poe-

Poetæ propemodum erant ὡς μύρμικες ἀνάρυθμοι & illi tales, qui nescio annon artes Demagogicas exercuerint: certe vel in laudandis Principibus vel denigrandis non parum potuerunt. Quæ causa Domitianum mouisse potuit, vt eos demulceret, at vero iisdem rationibus ductos eos fuisse, qui Petrarchæ Laurum vel obtulerunt vel imposuerunt, nemo credet facile. Præter Petrarcham Poeta aut nemo plane, aut nemo certe, qui cum eo posset velletue certare de Lauru. Porro qui vir erat Petrarcha? Viuebat in solitudine, neque per omnem vitam egit quicquam, nisi vt sibi & musis caneret. Itaque non studebat concionari ad populum, E. non erat, cur ab eius innocenti Musa Lycambeum carmen sibi metuerent Principes. Quid porro? parum abest, quin probare luculenter possim æuo Petrarchæ neminem fuisse, qui priscum illum morem coronandi Poetas (adeo res tota interciderat) memoria teneret, ne ipsos quidem eius coronatores excipio, antequam Petrarcha, id vt scirent, effecisset. Primus enim ipse, vt fuit antiquitatis indagator studiosissimus, rem obliuione sepultam æuo suo demonstrauit.

§. VII. Quæ hactenus dixi, confirmantur verbis ipsius priuilegii, quod ab Anguillariæ Comite datum est Petrarchæ, habeturque

Tom. III. Oper. Petrarchæ f. 6. vbi hæc verba reperio: *hoc nempe poëticum decus ætate nostra quod dolentes referimus, incertum, qua seu ingeniorum tarditate, seu temporum malitia vsque adeo oblitum esse videmus, vt etiam quod per ipsum Poëtæ nomen importetur, pene incognitum nostris hominibus habeatur. Sane autem Poëtas egregios in morem triumphantium accepimus in Capitolio coronari, vsque adeo & in desuetudinem nobis abiit illa solennitas, vt iam a 1300. annis nullum ibi legamus tali honore decoratum. Quod excogitans ingeniosus vir, & talium studiorum ab adolescentia scrutator ardentissimus, Franciscus Petrarcha, Florentinus, Poëta, Historicus præsertim tempore præsenti scientiæ succurrendum ratus, quæ neglecta magis erat ab hominibus & deserta, post auctorum volumina, diligenti primum indagine non incognita relicta, deinde post propria proprii ingenii opera; historiarum præcipue & Poëmatum, quorum partem adhuc habet in manibus, honesto Laureæ flagrans desiderio, non tam propter gloriam, sicut idem in nostra & populi Romani præsentia professus est, quam vt ad simile desiderium studiorum omnium animos irritaret, quamuis ad hunc ipsius honorem alibi suscipiendum studiis atque vrbibus euocatus: tractus tamen memoria antiquorum Poëtarum nec non affectu atque reuerentia huius SS. vrbis, cuius eum semper constat fuisse feruidissimum amatorem,*

D 3 *post-*

posthabitis aliorum precibus decreuit huc potissimum, vbi laureatos esse meminerat, se conferre.

§. VIII. Et tamen ipse quoque Petrarcha, vt æuo tam rudi necesse fuit, in hac historia lapsus erat quodammodo. Si enim sciuissent, durasse agones Capitolinos vsque ad Constantinum M. qui cum Licinio Consule sexagesimum celebrauit, vt ex Onuphrio annotat Raderus *ad Martialem f. 615.* aut saltem cum Caluisio 40. agones notos habuisset, non persuasisset suis, morem illum per annos 1300 interquieuisse. Primum agonem Capitolinum Caluisius *ad Ann. Chr. 86. p. m. 460. II. ad 90. p. 461. III. ad 94. p. 463. IV. ad 98. p. 465. V. ad 102.* habitum refert *p. 466. VI. Ao. 106. p. 467.* in quo Lucius Valerius Pudens, cum esset puer annorum 13. claritate ingenii coronatus est inter Poetas Latinos omnibus sententiis iudicum, & sic deinceps continua serie vsque ad agonem XL. *Ao. 242.* vbi hæc addit Caluisius: an vero postea temporis is celebratus sit, & quamdiu, nulla in historiis vestigia supersunt.

§. IX. Maneo igitur in sententia, quo tempore reuiresceret laurus, totam illam poëticam facultatem quæ non modo pangendi carminis sed & historiæ scribendæ peritiam & summatim vt dicam, omnem eloquentiæ

faciem

faciem ambitu ſuo complectebatur, habitam fuiſſe pro quinta quadam a cæteriſque quatuor ſeparata facultate, de cætero cum ipſis communia multa habuiſſe. Heic mihi duo tantum ſuffecerint, examen puto & ipſam priuilegii formam. Vt de priore prius dicam, cum decreuiſſet Petrarcha laurum oblatam accipere, putauit examen præuium eſſe oportere. Cumque per ea tempora doctiorem, in hoc genere quidem, haberet neminem, & a quo maiori cum dignitate poſſet examinari, quam Robertum Siciliæ Regem, eum prius examinis cauſa adiit, ab eoque per totum triduum examinatus, lauru dignus eſt iudicatus. *Vide Epiſtol. Petrarchæ Operibus præfixam de Origine & vita ſua.*

§. X. Quod ad formam attinet Priuilegii, eam cognoſce ex ipſo Diplomate Comitis Anguillariæ: *Præfatum Franciſcum, tam dicti Regis* (Roberti) *quam noſtri populario nomine magnum Poëtam & Hiſtoricum declaramus, præclaro Magiſterii nomine inſignimus, & inſignum ſpecialiter Poëſis nos Vrſus Comes & Senator præfatus, pro nobis & Collega noſtro Coronam lauream noſtris manibus eius capiti impreſſimus, dantes eidem tam in dicta arte Poëtica, quam in dicta hiſtorica arte, atque in omnibus ſpectantibus ad eaſdem, autoritate præfati Domini Regis, Senatus, Populique Romani, tam in hac ſanctiſſima vr-*

be quam omnium vrbium caput esse non ambigitur, & Magistram, quam alibicunque locorum legendi, disputandi atque interpretandi veterum scripturas, & nouos a se ipso omnibus seculis, auxiliante Deo, mansuros libros & poemata componendi liberam tenore præsentium potestatem. Annon mutatis mutandis hac formula aliarum quoque Facultatum Magistri creati sunt, hodieque creantur? Fuit certe olim referente Gersone hæc promotionis formula: *do tibi facultatem disputandi, docendi, legendi, heic & vbique terrarum*, vt legitur apud Gerhardum *Tom. VI. Locor. Comm. Tit. de Ministerio Ecclesiastico. n. 198. p. m. 233.* Apud Gersonem *Tom. I. f. 143.* formula sic concipitur: *Ego autoritate Apostolica* (dicit Cancellarius) *do tibi Licentiam legendi, regendi, disputandi, docendi, in sacra Theologia Facultate heic* & *vbique terrarum.*

§. *XI.* Porro ex his quæ dixi, iam & ratio reddi speciosa potest, cur academiis maximam partem non data sit potestas conferendæ laurus Poëticæ? Nempe quia hoc ipsum ægre ferebant, per quintam illam facultatem cæteras quasi cogi in ordinem elegantioris literaturæ, a qua illud etiam adhuc Petrarchæ & sequens seculum, cum barbariem quasi longa annorum præscriptione tuendam suscepisset, maximopere abhorruit, odio eo vsque crescente, vt Poëtæ pro hæreticis etiam

iam infamarentur: cuius rei non in epiſtolis modo virorum obſcurorum (quarum Autor verus Vlricus Huttenus fuit) crebra ſunt veſtigia, ſed etiam documentum ſuppeditat Squarza Ficus in vita Petrarchæ ſic inquiens: *Fuit illa tempeſtate poëticum nomen ita inuiſum, vt qui illa ſtudia ſequeretur, Magum, ſortilegum, & Hæreticum eſſe dicebant.*

§. XII. Inde factum dixerim, vt recuſantibus academiis, ſaltem plerisque, illam quintam facultatem imo & perſequentibus hoſtiliter, penes Imperatores ſolos ea poteſtas reſederit: quam tamen in Comites Palatinos exonerarunt paulatim. Noſtrís temporibus vbi omnes facultates Eloquentiæ operam dare ſolent, (poſſunt vtique absque Magiæ vel hæreſeos ſuſpicione) atque adeo quinta illa facultas deſiit eſſe a cæteris ſeparata (etſi præcipue ad Philoſophiam videtur pertinere, cuius eſt Profeſſio poëtica, hiſtorica & oratoria, vnde apud Argentoratenſes penes Philoſophos eſt examen Poëtarum laureandorum,) non video profecto, quid referat magnopere, Poëtam ſeorſim creari: niſi quod mori iam inueterato obtemperatur. An etiam hæc eſt cauſa, cur extra Germaniam noſtram, etſi non deſunt homines eruditi, aut nulli tamen, aut pauciſſimi ſolent Poëtæ creari? Paſchalii quidem *Lib. V. Coron, c. 14. p. 329.*

verba hæc ſunt: *qui mos etſi, vt dixi, antiquiſſimus, certe laudabilis, hodie tamen, vt multa præclara, exoleſcit; Niſi forte in vna Germania, vt audio, hac ipſa corona quandoque a Cæſaribus eos inſigniri, qui carmina feliciter pangunt, quique peculiari & honorifica appellatione vocantur Poëtæ laureati.* Poſſes etiam illam rationem ex dictis afferre. Olim, cum Poëtæ &Hiſtorici tam male audirent apud Philoſophos & Theologos Scholaſticos, vt eos tanquam Magos & Hæreticos diffamarent, opus erat, vt autoritate Regia vel Imperatoria defenderentur ab hac rabie Theologorum. Igitur coronatione illa ſolenni declarabant, quod velint Poëtas a ſe coronatos in tutelam ſuam recipere aduerſus calumnias ſcholaſticorum, omnia quæ ſupra captum & ſtudia eorum erant, Diabolo adſcribentium: (vti hodienum adhuc facere ſolent eiusmodi homines.) Hodie vero cum cuilibet absque metu huius calumniæ liceat eſſe Poëtæ, & cum nulli etiam ſit interdictum carmina pangere, quid opus eſt, licentiam cum impenſis & ſumtibus petere? Accedit abuſus coronationis, cum Comites Palatini iam longiſſimo tempore inceperunt dignitates venales habere & aſinis etiam lauream Poëticam imponere, quæ res inſuper occaſionem dedit elegantisſimæ ſatyræ Nord-

Nordhusæ 1673. typis impressæ, cui titulus. Reime dich oder ich fresse dich / oder Schellen-und Scheltens-würdige Thorheit Bœotischer Poëten in Teutschland / Hans Wursten zu sonderbahren Nutz und Ehren u. s. w. vorgestellet von Hartmann Reinholden dem Franckfurtern.

§. XIII. Quod superius dixi, Petrarcham aut primum fuisse Poëtam nouis moribus coronatum, aut a primo proximum, non sine ratione factum est. Quanquam enim vulgo vix aliter videas referri, quam primum Petrarcham fuisse, in quo vetustus ille mos, & post aliquot secula mortuus, renouaretur, aliter tamen res se habet. Prior enim ante Petrarcham, licet annis non plurimis, id honoris meruit Albertinus Musatus. Res ita habet: Franciscus Petrarcha coronatus fuit Ao. 1341. Falluntur enim, qui alium annum nominant, quanquam dissensus ille non est ita magnus. Platina in *vitis Pontificum sub Benedicto XII. p. 261.* & Nauclerus *Vol. II. grad. 45. fol. 251.* annum nominat 1338. Neque enim hi dissentiunt, secus atque Caluisius *sub anno 1339. Chronolog. p. 1219.* prodit, qui fortasse mendoso Naucleri Codice vsus est. Ac videtur mihi Nauclerus ipse de Platina transcripsisse. Verum ab vtroque dissentit Sabellicus. *Ennead. IX. f. 419.* qui annum nominat

nat 1340. Verum nemo horum verum annum attigit, quem non alium esse, quam quem nos prædiximus, monumenta coronationis Petrarchianæ conuincunt. Sed huius laurea tantum eam, quam Albertus Musatus Patauii meruit, necesse est antiquiorem fateamur, quando Musatus hic obiit Ao. 1329. Scardonio teste *lib. II. de antiquit. vrbis Patauii classe 10. f. 130.*

§. XIV. E quo illud etiam disco, coronatum fuisse ab Pagano Tarriano Antistite & ab Alberto Saxoniæ Duce, tunc Patauii Gymnasii Moderatore. Hunc Albertum suspicor esse filium Alberti II. Electoris quem Annales Ao. 1322. Passauiensem Episcopum esse factum, & Ao. 1342. obiisse confirmant. Facit ergo hanc primæ laureæ palmam, si de tempore quærimus, ambiguam Petrarchæ Musatus, quin & illam alteram, quæ Petrarchæ tribui solet, primorum in restauranda latinitate conatuum. Quanquam enim hanc ipsam Petrarchæ vindicat Epitaphium eius apud Scardonium *f. 433.* cui post alios & ipse Vossius *lib. III. de Historicis Latinis c. 1. p. 534.* calculum videtur adiecisse: Pro Musato tamen luculentum testimonium dedit Scardonius idem *f. 229.* tametsi & hoc e dicto loco intelligas, aliquid ante Musatum Arsegnino Grammatico bonas literas debuisse:

§. XV.

§. XV. Heic non possum comminisci, cur Musatum plane prætereat Vossius *c. 7. de Poëtis Latinis*, memoratum tamen sibi inter Historicos Latinos *lib. 2. c. 64. p. 509. & vberius lib. 3. c. 9. p. 792.* Omnino frustra fui, cum sperarem, in eo viri doctissimi libro aliquid me de Poëticæ lauri antiquitatibus inuenturum. Habet interim de consuetudine coronandi Poëtas aliquid in libro de artis Poëticæ natura, sed nec ibi mentio Albert. Musati. Verba hæc sunt *c. 10. § 4. 5. p. 58. Etsi consuetudo coronandi Poëtas est perantiqua, satis tamen recens mos ille, vt a Principe aliquis Poëta fiat laureatus, vt qui non multo ante Petrarchæ tempora cœperit. Inuehitur in eum morem Lilius Gyraldus Dialog. I. Histor. Poëtar. non tamen eam consuetudinem magnopere culparo, modo abusus abfuerit; cur enim non æque in Poësi possit aliquis publico testimonio ornari, quam in Philosophia, Medicina, Iure aut Theologia, quæ consuetudo est non paulo antiquior.* Hæc Vossius, cui vides etiam in mentem venisse cognationis illius, quæ lauro Poëticæ intercedit cum aliarum gradibus Facultatum supremis. Sed obseruaui tamen egregiam dissimilitudinem: quæ tamen iuris an facti sit appellanda, disceptandum aliis relinquo. Doctorales aut Magisteriales honores nulli conferuntur fœminæ (nisi forte per nocturna coniugum commercia.)

At

At possum ego fæminam nominare, cui Poëticam laurum Comes aliquis Palatinus obtulerit. Ea est Elisabetha Ioanna Westonia quam Melissus Poëtriam creauit, vt patet ex Parthenicis eius.

§. XVI. Coronidis ergo, adiiciam verba diplomatis, quo Theodorus Securius XV. Febr. Ao. 1661. M. Beniaminem Prætorium Poëtam renunciat, vt formula, quæ antiquior mihi, quam pro genio huius æui videtur, sit in conspectu. Formula hæc est: *Nos --- Te Poëtæ titulo dignissimum veteri instituto, auctoritate Imperatoria, vigore nostri Priuilegii, scientes, & animo deliberato Poëtam creamus, facimus & declaramus, laureamque coronam ingeniosissimo tuo capiti imponendam omni tempore & loco pro lubitu & in ipsa etiam Romani Imperatoris præsentia, quod alias non-Poëtis piaculum esset, gestandam transmittimus, omnemque Cæsaream gratiam tibi pollicemur, dantes & concedentes Tibi insimul plenariam potestatem ac licentiam per totum Romanum Imperium, in omnibus vrbibus, ciuitatibus, communitatibus, Vniuersitatibus, Collegiis & Academiis in Arte Poëtica publice legendi, repetendi, scribendi, disputandi, interpretandi, commentandi, & omnes actus poëticos, quos alii Poëtæ laureati solenniter insigniti subire & exercere consueuerunt, suscipiendi & exercendi, omnibusque & singulis, quibus iidem Poëtæ vtun-*

tuntur, gaudent, & fruuntur, ornamentis, insignibus, priuilegiis, praerogatiuis, exemptionibus, libertatibus, concessionibus, dignitatibus, praeminentiis, fauoribus, ac indultis vtendi, fruendi, potiundi, gaudendi, quomodolibet, de consuetudine vel de iure.

OBSERVATIO VIII.

De
IOANNE ISACIO PONTANO ET HVIVS ORIGINVM FRANCICARVM LIBRIS SEX.

I. Scriptores Francici pracipui. §. II. Pontanus quis fuerit. §. III. Libro primo Originum Francicarum de Germaniae antiquae terminis & populis antiquis agitur. §. IV. Libro secundo de Francorum origine, sedibus antiquis & diuisione agitur. §. V. Libro tertio de Francorum nomine & regibus agitur. §. VI. Libro quarto de rebus Francorum sub Imperatoribus Romanis. §. VII. Libro quinto de Childerico, Clodouaeo aliisque Francorum regibus §. VIII. Libro sexto de ritibus, moribus & institutis, regimine, re militari & legibus veterum Francorum dicitur. §. IX. Pontanus ob hoc scriptum aduersarios nactus est pontificios. §. X. Controuersias habuit cum Philippo Cluuero. §. XI. Alios adhuc aduersarios de eo fuit nactus.

§. I.

§. I.

INnotuerunt ab aliquo tempore ſcriptores qui Francicarum rerum hiſtoriam vel antiquitates publico tradere non fuere dedignati. Plures tamen inter hoſce habemus, qui hiſtoriam traderent; pauciores qui originem, ritus & inſtituta. Andreas & Franciſcus du Chesne quidem rerum Francicarum ſcriptores a Dagoberti temporibus, vsque ad Philippum Auguſtum, quinque tomis congeſſère. Antiquiora tempora deſcribentes in corpore Francicæ hiſtoriæ diſpoſuit Marquardus Freherus. Petrus Pithœus quidem, doctiſſimus Gallus, in annalibus ſuis Francorum ſcripta quædam proponit rariora, quæ ad hiſtoriam Francorum temporis Carolingici faciunt: ex quo plura in tomum ſuum ſcriptorum rerum Germanicarum digesſit Schilterus. Reliqui Paulus Aemylius, Ioannes Tilius, Hadrianus Valeſius, res geſtas regum a Pharamundo potiſſimum deſcribunt. Nec defuere tamen, qui Francorum etiam origines, ſedes priſcas & mores deſcriberent. Hermannus quidem, Comes Nuenarius, de origine & ſedibus priſcorum Francorum ſingularem edidit tractatum. Ioannis Trithemii Chronica de origine Francorum nota eſt, ſed ex Hunibaldo potisſimum deſumta, ſcriptore fabuloſo. His vlti-

mis

mis præferendi omni merito sunt Ioannis Isacii Pontani Originum Francicarum libri VI. in quibus præter Germaniæ ac Rheni chorographiam, Francorum origines ac primæ sedes, aliaque ad gentis in Gallias transitum, variasque victorias, instituta ac mores pertinentia, ordine deducuntur, Harderuici editi 1616. 4.

§. II. Auctor hic Pontanus Helsingoræ, in Seelandia Danica, Belgis natus fuit parentibus, Tychonis Brahei in Huena insula, per triennium, domesticus, Medicinæ dein Doctor, Physicæ & Matheseos in Athenæo Geldriæ Harderuiceno Ptofessor, simulque Christiani IV. Danorum regis & Ordinum Geldriæ Historiographus. Spreta vero postea, Harderuici, linguæ græcæ ac Historiarum, professione, quæ cum 800. aureorum salario offerebatur *, in Gröningana academia, consenuit, & post Annam filiam Antonio Matthæi, ICto Vltraiectino elocatam ** anno 1640. demortuus est ***. Hæc atque plura de eodem docente Ioanne Mollero. **** Admiran-

* *ep. ad Franc. Gomarum inter epp. ipsius, ab Ant. Matthæo Iun. editas p.* 249.

** *vid. epithalamium M. Z. Boxhornii in poem. p.* 3, 4. 5.

*** Boxhornius *in epist. p.* 113. Io. Halleruord *bibliotheca curiosa p.* 195.

**** *in hypomnem. ad Bartbolinum de scriptoribus Danis.*

randæ vir induſtriæ erat Pontanus, qui ex ſcriptis pluribus, iisdemque doctisſimis ſatis eſt notus, & licet aduerſarios quosdam fuerit nactus, de quibus infra dicemus, multa tamen clarorum virorum promeritus fuit elogia, quæ congeſſit dictus Mollerus. Speciale eſt quod de hoc noſtro tractatu eidem tribuit Martinus Opitius * : *omnem*, inquit, *Francicæ gentis notitiam, & quidquid huc facit, magno ſtudio congeſſit in originibus Francicis Pontanus.*

§. III. Dedicauit auctor tractatum hunc, ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Ordinibus, eundemque ſex libris abſoluit. Primo quidem libro Germaniæ terminos & li-
cap. 1 *&* 2. mites metitur, & quidem probat Rhenum, Danubiumque ſemper manſiſſe Romanæ po-
C. 3. tentiæ terminos verſus Germanos, ita vt ſi quando Rhenus Danubiusq; congelarentur, aut alias tenui alueo fluerent, metus & ſuppli-
C. 4. cationes eſſent apud alterius ripæ accolas. Ex limite vero Rheni Germaniam diſtinctam ait in ſuperiorem & inferiorem : primam & ſecundam, ſeu, vti nos loquimur, ſuperiorem &
C. 5. inferiorem. Agit porro de Galliæ Belgicæ termino, fluuio Fleuo, & vero Batauiæ & Fri-
C. 6 ſabonum etymo. De Taciti Mattiacis, qui
C. 7. fuerint: de ripa Romanorum, ad quam ex aduer-

* *in notis ad rythmum vet. de S. Annone p.* 13.

aduerſa Germanorum ripa neminem niſi inermem & ſub cuſtode admiſſum probat ex Taciti IV. Hiſt. c. LXIV. Pergit ad Germa- C. 8.
niam transrhenanam, & de Sueuis, Vbiis ac 9.
Sicambris, Chattuariis aliisque gentibus finitimis & horum veris olim ſedibus agit, de Sala fluuio Straboni memorato diſquirit eamque Iſalam interpretatur. Pergit porro ad Fri- C. 10.
ſios, Anſuarios aliosque Straboni non nominatos, Sicambros etiam, atque eos explicat.

§. IV. In libro ſecundo in Germaniæ magnæ Cap. 1
notationem atque diuiſionem, qua vſi veteres & præſertim Plinius, inquirit, dum Germani diſtinguantur in Ingeuones, Iſteuones & Hermiones, Alteram Germaniæ diuiſio- C. 2.
nem factam fuiſſe ait in Saxones, Alemannos & Francos, & quidem ex Engelhuſio Saxones a breuioribus gladiolis, quibus vſi, ipſis dictos *Sachs* ſic adpellatos probat. Progre- C. 3.
ditur vlterius ad Franços, de quibus præ cæteris agere ſibi propoſuit: & quidem exortos eos notosque primitus fuiſſe dicit eo loco, quo collocati a Cæſare Sicambri. Tacitus vero Germanos proprie ſic dictos adpellauit, & quidem eo in loco, vbi Bructeri, Chamaui, Angriuarii, Tencteri, Vſipii ac Friſii, & reliquæ gentes inter occiduum Rhenum Oceanumque atque Albim: id quod a ſitu, vete-

rum testimoniis, & gentium indole probat.
C. 4. Pergit & aliorum opiniones explodit: eorum primum, qui ex Ciceronis XIV. ad Atticum ep. X. Francos longe vetustiores faciunt, & populos, qui ibi memorantur, de Cæsaris veteranis intelligit, qui ipsius largitione bona
C. 5. Pompeii possidebant. Dein variorum refu-
& 6. tat opiniones, eorum quidem, qui a Troianis repetunt: Ioannis Goropii Becani, qui a Mœotide palude arcessendos censet: Bodini, qui
C. 7. a Gallis ortos putat. Adducit dein opiniones aliorum, qui Francos in Franconia quærunt, vel qui gentem Italiæ Alpibus vicinam faciunt. Adriani Turnebi, qui Francos ex Scandinauia ortos putat: Francisci Hottomanni, qui Francos ea regione ortos censet, quæ inter Albim Rhenumque est interiecta. Wolfgangi Lazii, qui Francos per multiplices nominum anfractus ac metamorphoses modo Cimmerios, modo Cimbros, modo Brencos Sicambrosque facit, eosque per Pannonias e Bosporo quondam egressos, late per Europam se fudisse: Adriani Schriekii, qui Francos non propriam, sed promiscuam Germanorum gentem ac populum esse ait, qui excusso Romanorum iugo, Francorum, id est, liberorum nomen sibi adsciuerint. Tandem Adriani Iunii, qui Francos illos veteres, haut alios fuisse censet, quam quos Cæsar & Tacitus

tus Sicambrorum Germanorumque vocabulo nominarunt, quam ſententiam præ aliis probat Pontanus. Perluſtrata gente pergit ad diſtributionem, quam ab Ammiano Marcellino fieri probat in Anſuarios & Salios. Anſuarios quidem vagum hominum genus facit, ſine certis ſedibus collectitium ac Martium populum, qui ſe Francis poſtea potentia ac gloria nominisque fama paullatim inualeſcentibus conſociauerint. Dictos autem Anſuarios ſiue Hanſuarios putat ab Hanſis, per quos Teutonum Gothorumque idiomate intelligebant, qui cæteros mortales fortuna atque opibus antecellerent: Id quod ex Iornandis lib. XVII. de rebus Geticis confirmat. Inde & Germanorum *ein groſſer Hanß*, & ciuitates hansaticæ dictæ, quod potentes. Altera gens Francorum erant Salii, quos vltra Moſam Scaldim verſus, ſedes fixiſſe ait, occupatis Romanorum territoriis, ſed a Iuliano exinde ad propria repulſos, teſte Ammiano libro XVII. Hosque a Sala fluuio, hodierna Iſala ſic dictos putat.

C. 8.

§. V. Ad vlteriora tranſit in libro tertio, atque inquirit, vnde Franci fuerint dicti: vbi refutatis primum aliorum ſententiis Francos non a Francione, Hectoris filio, nec a Franco primo rege, nec a feritate, vel libertate, nec a cenſu vel alio quouis modo ita adpellatos, ſed

Lib. 3. C. 1.

a bi-

a bipennibus, quas francescas dictas ex Gregorio Turonensi libro II. c. XXVII. probat, locum talem adlegans: accepit autem rex francescam eius, quæ est bipennis, vbi tamen, in editione Freheri, solum lego bipennis. Illud autem ex Isidori Origg. libro XVII. c. VI. patet, secures Hispanas ab vsu Francorum, per deriuationem Franciscas vocari. Ex quo potius patescit, franciscas a Francis, non hos
C. 2. a franciscis dici. Pergit vero ad Regum Francorum successionis seriem, quam ordine Hunibaldico ex Trithemio, a Marcomiro, Bosporano rege & huius successore Priamo Troiano ad Clodouæum vsque 47. successioni-
C. 3. bus numerat: vniuersæ tamen huius Hunibaldicæ reuolutionis systema confictum & fa-
C. 4. bulosum opus esse late probat. Discusso hoc systemate de potestate regum apud veteres Germanos non libera & infinita, sed certis le-
C. 5. gibus circumscripta agit. Pergit ad stemma regum Sicambrorum, quorum adpellationes
C. 6. Germanicæ esse originis monstrat, Francorum reges antiquos ex priscis monumentis e-
C. 7. ruit, hosque Teutonicæ esse prosapiæ probat.

C. 1. §. VI. In libro quarto res Francorum sub
2. Imperatoribus Romanis gestas considerat: primamque horum sub Valeriano, Gallieno & Aureliano in historia Romana mentionem fie-

fieri tradit. Pergit dein ad varios Francorum reges antiquos, Genebaldum, Esatech, Ascaricum, Radagisum, Malaricum, Mellobaudum, Theodemerum, Genebaldum, Marcomerum, Sunonem, Faramundum, Clodium, Merouеum horumque res Imperatorum Romanorum temporibus singulatim gestas considerat. C.3. ad 12.

§. VII. Vlterius progreditur libro quinto ad Francorum reges in Gallia, Childericum & Clodouæum, cuius res gestas plenius persequitur: huius coniugium cum Clotilde, bella Thuringicum, Alemannicum, Burgundicum, cum Alarico & expeditiones aliquot minores, conuersionem item ad fidem Christianam tradit, Arborichos Francis iunctos probat, accuratam temporum Clodouæi chronologiam definit. Postea imperii Francici incrementa, magnitudinem & diuisionem stabilit. Orientalis, tum Francia dicta, superatis Thuringis & Alemannis: occidua vero, quæ Galliam pene totam contineret. Hæc autem diuisa in Austrasiam, quæ & Teutonica Francia dicta, quia ibi Teutonice loquerentur indigenæ, cui in diuisione Ludouici, Rhenus, Mosa, Vosagus mons, Carbonaria sylua, Schaldis atque Oceanus ad Sequanam vsque includebatur. Et Neustriam, seu Franciam Romanam, quod ibi loquerentur C.1. 2. C.3. 4. C.5. C.6. C.7.

Romane, hoc eſt, Romano in Gallicam Germanicamque phraſin detorto idiomate, & continebat, quidquid inter Ligerim & Sequa-
C.8. nam ad Oceanum vsque fuit. Dein demonſtrat, qua ratione Imperium Romanum a Francis ad Saxones fuerit deuolutum, quod ex Marſilio Patauino adducit.

C.1. §. VIII. In libro ſexto & vltimo ritus tandem & inſtituta veterum Francorum adducit, vbi primo de paganiſmo eorundem & idololatria agit & a planetarum cultu dierum adpellationem deducit: horum vero ſub Clodouæo ad Chriſtianiſmum conuerſionem exponit, & quæ ratio ſynodorum apud eos-
C.2. dem. Notabilis vero eſt locus Agathiæ li-
C.2. bro I. quo omnia Francorum inſtituta tum
C.3. ſacra tum profana explicat. Sacra autem noſter prius exponit, & quidem de monaſteriis ac locis ſacris agit, Francorumque circa eadem ſtudio ac cultu. Monaſteria quippe eadem ac nunc gymnaſia, ab Eccleſia vero & clero ſeparata fuiſſe probat, ita tamen, vt & criminoſorum eſſent ergaſtula, innocentium
C.4. refugia Eccleſiaſticarum autem perſonarum varia fuiſſe dicit vocabula & officia, hosque inter ſe præpoſitos habuiſſe atque decanos. Inter ipſos vero fuiſſe camerarios, cellarios, lectores, bibliothecarios, hoſpitarios, Cancellarios, ſcribas & Chartularios: Abbates

tes vero cum dignitate, tum potestate praeminuisse. Episcopos autem & presbyteros, C.5.
quos & clerus & populus elegerit, vtrumque erudiuisse. Episcoporum, quibus adhuc vxores ducere licebat, erat, synodos particulares conuocare. Progreditur ad cæremo- C.6.
nias baptismi & eucharistiæ, quam etiam missam fuisse adpellatam dicit. Imaginum cul- C.7.
tum apud Francos admissum: festa ac nata- C.8.
lia martyrum atque sanctorum celebrata: la- C.9.
tinum in sacris idioma, quod tamen postea ita mutatum, vt in rusticam Romanam aut Theotiscam linguam episcopi transferrent singula, vti ex canone concilii Turonensis sub Carolo M. patet. Transit dein ad politica C.10.
instituta, & morem creandi reges considerat, quod electione factum dicit, ita tamen vt filiis successionis prærogatiua concederetur, qui criniti fuerint, comamque alendi veluti ius quoddam sibi solis vindicauerint. Comitia se- C.11.
quuntur, quæ tribus ex generibus constabant, regali, optimatium & popularium. Horum morem persequitur, qui in eo constabat, vt ligno in altum porrecto, scutum suspendatur & rex solio resideat aureo. Pro- C.12.
greditur ad maiores domus & horum officium, quibus statim subiungit duces ac comites C.13.
horum dignitatem & officia illustrans. Pergit & 14.
dein ad tres Francorum ordines, Adelingos C.15.

E 5 Fri-

Frilingos & Lassos, siue nobiles, ingenuos, & C. 16. seruos. Principes quoque siue Reges præsentes ac ore proprio quoque ius dixisse probat. Leges Francis non multas fuisse contendit, illas tamen recenset. C. 17. Legem Salicam primam facit, de qua notabilis est locus Sigeberti Gemblacensis ad ann. CDXXII. quem adducit: *Franci vti cœperunt legibus, & legem Salicam dictauerunt per quatuor gentis suæ proceres, electos de pluribus, his adpellatos nominibus: Wisogast, Bosogast, Salogast, Widogast in villis Germaniæ Salochaim, Bodochaim, Wingehaim. Hi quatuor proceres per tres mallos conuenientes caussarum origines sollicite tractantes, de singulis discutiendo, sicut lex Salica declarat, iudicare decreuerunt.* Hanc autem legem a Sala siue aula regia dictam putat, cum tamen iustior videatur sententia Henrici Coccei, a Saliis populis. Notæ porro apud Francos leges Alemannorum, Baioariorum, Ripuariorum, capitula Caroli M. Ludouici Pii & successorum, quæ congessit Lindenbrogius: e quibus aliqua adducit, inprimis de iudicio aquæ frigidæ & feruentis aquæ, ac duelli agit, etiam monetæ cudendæ ius Francis fuisse C. 18. declarat. Persequitur inde priscorum Francorum habitus speciem & vestitum, atque ea occasione de statura Caroli M. agit, integrumque Marquardi Freheri de eadem φιλο-

πόνημα

πόνημα inserit. Eiusdem Caroli M. vestitum ex Eginhardo adducit. Vultus speciem Francis attribuit glaucam, & cœruleam, vestitum adstrictum & velut membra singula exprimentem: saga ex pellibus lupinis atque animalium, capillum longum, barbam rasam nec squallidam. Inter arma ob ferri raritatem rarae loricae, rariores equestres copiae, ensis femori & scutum sinistro lateri adpendebat: arcubus aut fundis, vel aliis telis, quae eminus iaciuntur, non vtebantur, sed ancipitibus securibus, siue bipennibus, quae postea Francescae fuerunt dictae. In oppugnandis vrbibus non tam valebant, vtebantur tamen machinis quibusdam bellicis: cingebant vrbes corona, vtebantur ariete, clitellis, Troia & machinis similibus, quas explicat Pontanus. In repugnando potissimum vtebantur lapidibus. Aciem & Stratagemata eorum ex Agathia & Gregorii Turonensis II. c. IX, describit. A Marte se vertit ad Mineruam, & gymnasia ac publica Francorum studia considerat, vbi latius adhuc probat, cœnobia fuisse pro gymnasiis. Vltimo tandem capite de lingua Francorum veteri agit, & quidem contendit, Francos olim Germanico idiomate fuisse vsos, atque vt haec dilucidius probet, varia exempla ex Gregorio Turonensi adducit, quibus conuenire inter se verba Francica cum Germanis dicit

C. 19.

C. 20.

C. 21.

C. 22.

C. 24.

dicit, quod etiam appellatione mensium a Carolo M. facta ex Eginhardo, variis vocibus: vt *leudes* pro hominibus, *aert* pro terra, *cupa* pro doliis,& similibus probat.

§. IX. Sed licet adplausum multorum reperiret hoc scriptum, nactus tamen de eo etiam varios adversarios. Acerrimus enim defensor religionis reformatæ & oppugnator pontificiæ cum esset Pontanus, illã vbiq; euehere fuit conatus. Feruorẽ hunc in suam religionem non solum tribus epigrammatibus, quib9 horridiora de prædestinatione dogmata defendit, docet: quæ adlegauit Adamus Contzenius in chronologia iubilæi euangelici: sed etiam in synodo Lotharii anno 855. Valencenæ apud Hannones Belgii celebrata formulam de diuina præscientia & prædestinatione fuisse compositam probat libro VI. c. I. Quod in tantum mouit pontificios, vt non solum acerrimum censorem nactus esset Adamum Contzenium Iesuitam Moguntinum, qui in chronologia sua iubilæi euangelici hoc scriptum tanquam erroribus fœdis ac mendaciis conspurcatum censet, sed etiam edicto singulari Romæ d. 10. Maii 1619. proposito in librorum prohibitorum indicem, subscribente Roberto Bellarmino, referretur.

§. X. Alter, quem sibi ipsi fecit, aduersarius erat Philippus Cluuerus; Ediderat ille tractatum

tum de tribus Rheni alueis & ostiis, ac quinque populis, quondam accolis, Lugduni 1611. 8. Cuius sententiæ cum in multis contrarius esset Pontanus, illud non solum in libro primo originum Francicarum exposuit, sed & antea singulares ediderat disceptationes chorographicas, de Rheni diuortiis atque ostiis, eorumque accolis populis, Amstelodami 1614. 8. quibus ad singula capita tractatus Cluueriani respondet. Hic cum se in Germania sua antiqua defenderet, nouã syllogen disceptationum chorographicarum edidit Pontanus, Harderuici 1617. 8. Sane si ipsam consideremus controuersiam, res dubia est & incerta, quæ vix vnquam vere indagabitur.

§. XI. Alios adhuc nactus fuit adversarios, in eadem de * originibus Francicis materia, vti Boxhornius nos docet. Hic enim apologiã pro originibus Francicis aduersus antagonistas duos, Gallum alterum, alterũ Leodiensem adlegat, quæ eidem Boxhornio inscripta & Lugdunum, vt ederet, transmissa, quæ tamen publicata non fuit. De reliquis autem Pontani scriptis egit Ioannes Mollerus in hypomnematibus ad Alb. Bartholinum de scriptis Danorum p. 277.

* *epist. p.* 71-72. 109. 110. 113.

OBS

OBSERVATIO IX.

AQVAM ET TERRAM PETERE, SIGNA DOMINII APVD GENTES.

Summaria.

§. I. Habebant gentes sua signa dominii §. II. Varia veterum de hoc more testimonia. §. III. Curtii locus explicatur §. IV. Idem mos apud Assyrios fuit, & Plutarchus emendatur. §. V. Per aquam & terram autem ipsum petebant dominium. §. VI. quod per exempla probatur §. VII. huius ratio adseritur.

§. I.

Variæ inter gentes recepta domini signa, quibus illud vel probare vel sibi deberi & petere contenderent. Inter non minima erat, qui apud Persas obtinebat mos, vt Persarum reges si quas terras occupare & hostilem in modum adgredi vellent, misso prius præcone vel feciali aquam & terram peterent, de quo more prius erit dicendum, ipse dein plenius explicandus.

§. II. Varia veterum de hoc more videmus testimonia, quorum multa congesta videmus a Barnaba Brissonio, eruditi sed infelici Gallo, in suo de Persarum regno libro III. p. m. 311. Ex quo necessaria depromere & alia addere, singula vero explicare nobis licebit.

De

De Xerxe quidem narrat Diodorus Siculus ſub initium libri XI. ὡς δ᾽ ἧκεν εἰς Σάρδεις, κήρυκας ἐξέπεμψεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, προςτάξας εἰς πάσας τὰς πόλεις ἰέναι, καὶ τοὺς Ἕλληνας αἰτεῖν ὕδωρ καὶ γῆν. *Statim vero ac Sardes venit, præcones miſit in Græciam, præcipiens iis, omnes vrbes circumire & a Græcis petere aquam & terram.* Venerunt iſti legati Athenas, de quo Ariſtides in Panathenaico ait: καὶ πρῶτον μὲν ἡ τῶν κηρύκων περίοδος ἡ γιγνομένη κατὰ τὴν Ἑλλάδα ὑπὸ ἐκείνου τε καὶ τοῦ μετ᾽ ἐκεῖνον βασιλέως περὶ τῆς γῆς καὶ τοῦ ὕδατος, ἀπὸ ταύτης τῆς πόλεως ἤρχετο. *Prima quidem Præconum acceſſio in Græciam, quæ ſub illo, & huius ſucceſſore facta, ad petendam terram & aquam ab iſta vrbe venit.* Darius cum in Scythas bellum moueret, horum regi Indathyrſo, miſſo equite ſcripſit, ſi ad reſiſtendum par eſſet, vt prælium conferret: ſin vero ſe imparem adgnoſcat, deſiſtat fugere, addens: δεσπότῃ τῷ σῷ δῶρα φέρων γῆν τε καὶ ὕδωρ ἐλθὲ ἐς λόγους. *hero tuo munera offerens, terram atque aquam, veni in colloquium.* Ad quæ vero Indathyrſus inter alia reſpondet: σοὶ δὲ ἀντὶ μὲν δώρων γῆς τε καὶ ὕδατος, δῶρα πέμψω τοιαῦτα ὅσα σοι πρέπει ἐλθεῖν *tibi autem pro terra & aqua, quæ dono poſcis, mittam quæ decet ad te venire dona.* deſcribente Herodoto lib. IV. c. CXXVII. Sic etiam Megabyzus, narrante He-

Herodoto lib. V. c. XVII. nuntios in Macedoniam ad Amyntam misit septem Persas, qui post eum eant in exercitu spectatissimi *αἰτήσοντες γῆν τε καὶ ὕδωρ Δαρείῳ βασιλεῖ petentes terram & aquam Dario regi.* Idem in Græciam liberam moturus, ut exploraret Græcorum animos præcones misit, *κελέυων αἰτέειν βασιλεῖ γῆν τε καὶ ὕδωρ iubens petere regi terram & aquam* Herodotus lib. VI. c. XLVIII. Sed quale fatum isti nuntii tum acceperint, idem narrat lib. VII. c. CXXXIII. alios enim in barathrum, alios in puteum coniecerunt Græci, *ἐκέλευον γῆν τε καὶ ὕδωρ ἐκ τουτέων φέρειν παρὰ βασιλέα* iubentes terram&aqvam ex istis ferre ad regem quod etiam confirmat Polybius I, 32. Quare Xerxen dicit neque Athenas neqve Spartam legatos terram petitum misisse: quod etiam confirmat Aristides in Panathenaico. Hinc laudatur factum Themistoclis, quod interpretem, qui hoc legationis sub Dario munere fungeretur, Græcæ Persicæque linguæ peritum plebiscit autoritate nixus, morte mulctauerit. Plutarchus Themistocle *p. m. 114. ed. Xylandri.* Ipsum etiam Atheniensium hac de re plebiscitum celebrat in Panathenaico Aristides. Mitius vero Mardonii legatos excipiebant Athenienses. Hic enim ad Ahenienses legatum mittebat Alexandrum, Amyntæ regis filium, petitum aquam

quam & terram: hunc seuera comminatione castigatum orbe excedere iusserunt, vbi testatur Harpocration voce ἀλέξανδρος.

§. III. Alexander Magnus cum dispofita contra Persas acie agmen obequitaret, varia oratione vt cuiusque animis aptum erat, milites adloquens Græcos cum adiret, hos ita admonebat, *ab iis gentibus illata Græciæ bella. Darii prius, deinde Xerxis insolentia, aquam ipsam terramque postulantium: vt neque fontium haustum, nec solitos cibos relinquerent*, referente Curtio III c. x n. 8. Mire hic locus Curtii torsit interpretes, cum alii, vt Modius tributo pro aqua & terra soluendo interpretarentur. Alii pro *postulantium* legunt *populantium*, & de fluuiis ab Xerxis exercitu sic Ioannes Freinsheimius horum sententias iuste explodit cum Darii & Xerxis coniunctim fiat mentio: Alexander hoc adscribat insolentiæ, cum tamen ex necessitate potius ob multitudinem flumina exsiccarit Xerxis exercitus. Et si hoc intellexisset Alexander non dixisset fontium haustus. Bizarus hist. Persicæ lib. II. nouam plane amplectitur opinionem, dicens Persas populatos esse fontes inficiendo. Sed etiam hoc contra verba est.

§. IV. Similem apud Assyrios morem obtinuisse ex historia Iudith cap. II. v. 6. patet, vbi Nabuchodonoso iubet Holoferni adnuntiare gentibus ἑτοιμάζειν γῆν καὶ ὕδωρ. Aliter

ter quidem Plutarchus libro περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι sub initium exponit, & quod ignem atque aquam petierint, contendit, ubi ait, Φεῦγε πολέμιον, καὶ τύραννον δανειστὴν οὐ πῦρ αἰτοῦντα καὶ ὕδωρ, ὡς ὁ Μῆδος ἀλλὰ τῆς ἐλευθερίας ἁπτόμενον καὶ προσγράφοντα ἐπιτιμίαν fuge hostem & tyrannum fœneratorem: qui non ignem & aquam sicut Medus, poscit: sed libertatem tentat, mulctam adscribit. Bene tamen Brissonius monet, loco γῆν facile per librariorum imperitiam scriptum fuisse πῦρ.

§. V. Per istam autem terræ & aquæ petitionem, non tantum vt sibi commeatus pararetur, petebant, sed ipsum terræ dominium. Docet illud Aristides in Panathenaico: καὶ προὔλεγον ἃ μηδενὸς ἦν εὑρεῖν πλὴν ἐκείνου, αἰτεῖν μὲν γὰρ ἔφασκεν οὐδὲν τῶν ἀλλοτρίων ἀλλ' ἀπαρχὰς γῆς καὶ ὕδατος: πάντων δ' εἶναι τούτων κύριος: *& prædixerunt quæ nemo, excepto illo poterat inuenire. Dicebant enim, se nihil aliud petere ac tributum terræ & aquæ siue se velle esse dominos omnium.* Quare & Aristoteles II. Rhetor. scribit: ὅτι τὸ διδόναι γῆν καὶ ὕδωρ δουλεύειν ἐστι *quod dare terram & aquam idem est ac seruire.* Himerius etiam in Polemarchico, terram & aquam quam Persarum reges poscebant δουλείας symbola adpellat, & Stobæus serm. I. ex Theseo adducit, Xerxem terram & aquam ceu ἀπαρχίας τῆς λείας *prædæ primitias* postulasse. Ad-

Adgnouerunt id Græciæ populi, qui cum de Romanorum postulatis deliberarent, hæc quoque proponebant: *initium semper per ius iniusta impetrandi fieri nisi crederent, Persas cum aquam terramque ab Lacedæmoniis petierunt, gleba terræ & haustu aquæ eguisse.* Liuius XXXV c. XVII

§. VI. Hinc etiam illæ ciuitates, quæ Xerxi petenti terram & aquam negarent, in responsis testabantur τὴν περὶ τῆς κοινῆς ἐλευθερίας σπουδὴν Diodorus Siculus lib. XI *sub initium.* Illæ vero ciuitatis, quæ ad postulata terram & aquam cedebant, se dominio subii, ciebant. Exempla huius rei varia. Sic legati Amyntæ regis obtulerunt Dario terram & aquam Herodotus lib. V. cap. XIII. Idem fecerunt insulani, Herodotus VI c. XLIX Gelo Syracusanorum tyrannus, vbi primum Xerxem Hellespontum, traiecisse audiit, Cadmum Coum cum mandatis misit τά τε χρήματα αὐτῷ διδόναι, καὶ γῆν τε καὶ ὕδωρ *Concedere ipsi omnes possessiones terram etiam & aquam*, Herodotus XII c. CLXIII

§. VII. Ratio autem cur sub aquam & terram petendo, ipsum dominium quæsiuerint sine dubio hæc erat: regiones aqua & terra constant; homines binis hisce ad quotidianam vitam vtuntur ita vt nec viui nec mortui iisdem carere possint. Quid ergo aliud per

quam & terram petebant Persæ, quam plenum rerum dominium cum per terram & aquam omnes sibi incolas subiicerent.

OBSERVATIO IX.

De VITA ET SCRIPTIS DANIELIS CASPARI A LOHENSTEIN.

SVMMARIA.

Occasio scribendi §. I. Lohensteinii, natiuitas & parentes §. II. Educatio §. III. Studia scholastica §. IV. Studia academica & Peregrinationes §. V. Domum is redit, & matrimonium init §. VI. Munia obit §. VII. Sublime dicendi genus excolit. §. VIII. Arminium & Thusneldam scribit §. IX, Iudicium de eo. §. X. Encomium ejus §. XI. Apoplexia moritur §. XII. Tragœdias condidit. §. XIII. Easque notis illustrauit. §. XIV. Varia poemata florum nomine edidit Rosas scilicet §. XV. Hyacinthos §. XVI. Primulas Veris §. XVII. Poemata ejus sacra. §. XVIII. Orationes funebres. §. XIX. De editione operum poeticorum §. XX. De iis judicia §. XXI. De editione Arminii §. XXII Lohensteinii mores §. XXIII. Amici §. XXIV. Balthasar Fridericus Baro Logauius §. XXV. Ioannes Casparus Baro Abschatzius §. XXVI. Fridericus a Roth. §. XXVII. Aliique §. XXVIII.

§. I.

§. I.

CLarorum Virorum facta moresque posteris tradere; antiquitus vsitatum, ne nostris quidem temporibus, litteratorum cura omisit. In illorum censum Lohensteinium omnino referi posse, nemo inficias ibit, nisi qui scripta eius nunquam legit. Quamobrem præcipua vitæ eius momenta paucis hic complecti operæ fuerit pretium.

§. II. Lohensteinius ex Silesia ortus, in ducali arce Nimpschii oppidi ducatus Bregensis VIII. Calend. Februarii anno M DCXXXV. natus est. Patrem Ioannem Casparum, senatorem patriæ, & Cæsareorum ibidem redituum. Censitorem habuit, quem Imperator nobilitaverat, eique Lohensteinii cognomen; ex saxo quodam perforato, quem Loha in agro patrio amnis interfluit, desumtum, dederat.

§. III. Ab hoc præcautum atque provisum est, vt filius doctrinis quibus puerilis ætas impertiri debet omnibus, erudiretur. Hinc is septennis ex patrio ludo, in Vratislauiense gymnasium Maria-Magdalenæum est missus, ubi nouem annos in litterarum studio consumsit.

§. IV. Erat autem in adolescentulo præter oris vocisque suauitatem summa docilitas ingenii, vt non solum celeriter acciparte quæ tradebantur sed etiam quæ

ipse excogitauerat, excellenter pronunciaret. Cui rei testimonio sunt tragoediæ, *Ibrabim Bassa*, *Agrippina & Epicharis* dictæ, quas inter Scholasticas lucubrationes vix quindecennis condidit. At in iis tamen grande genus poematis, in eoque tristia & atrocia cædes, luctus, atque querelas decenti vehementia egregie expressit.

§. V. Ingenuis studiis artibusque delectatus, sedecennis academias petiit Lipsiensem primum, vbi Carpzouium, deinde Tubingensem vbi Lauterbachium celebres Jure Consultos docentes audiuit, huiusque sub præsidio de voluntate disputauit. His peractis reliquit academias, ingenii enim magnitudo atque celeritas, qua pollebat, extra hos cancellos egrediebatur, quos jurisprudentiæ addiscendæ Tribonianus circumdederat, vt quinque annos eo studio cupida legum juuentus tereret; idquod Lohensteinius noster biennio laudabilius peregit. Tunc peregre abiens in patria, vt ne peregrinum ageret; Electorum atque Principum Germaniæ splendidiores aulas, & ipsa comitia Ratisbonæ habita perlustrauit. Inde per Heluetiam, amœnumque Rheni tractum, adductus est in fœderatum Belgium, ubi Lugduni, Vltrajectique maximè eruditionem virorum conuersatio eum detinuit; usque dum per

per Hamburgum Silesiam repetiturus erat. In quo itinere maris seditio tredecim naves supprimebat hac vnica seruata qua Lohensteinius vehebatur.

§. VI. Vratislauiam cum rediisset desiderio peragrandi & Italiam & Galliam tenebatur, quod earum gentium linguas vna cum Hispanica [vt Scaliger & Muretus eruditionem suam omnem] in admirationem omnium αὐτοδίδακτος ferme didicerat. Sed in Italiam tendenti, cum tutum pestilentia non permitteret iter Viennam Graciâ rediens peruenit; magnaque insimul Hungariæ parte collustrata patriam petiit. Vbi fructus diligentiæ suæ percipere inceptans anno M DCLVII. primum auspicatum iniit Connubium, ex quo filium vnicum, tres filias suscepit.

§. VII. Deinde Ducis Olsnensis Consiliariorum ordini adscriptus, demandata negotia præclare gessit. Tandem inclutæ Vratislauiensium reipublicæ capiti Silesiæ operam suam condicens, syndici spectabile munus suscepit. Hanc quam nactus erat spartam, domi forisque eximiè ornauit, & cum in curia, tum in legationibus ad Inuictissimum Leopoldum, virum semper se præstitit, opinione quam omnes de eo conceperant dignum; promeruitque simul, ut Consiliarii titulo ab Imperatore ornaretur.

§. VIII. Hæc ergo ciuilem ſtatum eius merita ſunt non mediocria: ſi autem ea conſideraturus es, quæ in litterariam rempublicam, quæ in excolendam linguam germanicã fecit prorſus excellentia reperies. Is enim primus eſt, qui ſublime dicendi ſcribendique genus ea felicitate in Germaniam introduxit, qua nec ante nec poſt eum quisquam vſus eſt. Hinc ipſi & inuentionis & propagationis geminata gloria cedit. Nam ſi apud Gallos Balſazius, apud Hiſpanos Gratianus, ſublimis orationis inuentoress & architecti celebrantur, quidni Lohenſteinium iisdem laudibus Germani ferre debent?

§. IX. Sed Oratoris laudes excedit amplitudo eius eruditionis, Poetam enim, Hiſtoricum, Philologum, Philoſophum, & Jure-Conſultum, vno nomine verum Polyhiſtorem eum fuiſſe; inter genuinos bonarum literarum æſtimatores nemo facile inficiabitur. *Arminius & Thusnelda* inter concatenatos curiæ labores, inter frequentes arthritidis dolores, elaborati, autorem abundè probant inter Germaniæ eruditos, inſignem, quidni principem locum? eum mereri.

§. X. Hinc vir quidam præclarus qui Arminium perlegerat, ſic de eo exiſtimavit: Librum in quo ſolidæ plus eruditionis ſit cumulatum, ſe nullum adhuc reperiſſe; nec heroicum ſcriptum legiſſe, ad quod attentius cogita-

gita-

gitationes essent dirigendæ, quodque acriori perpendendum sit iudicio, non obscuritatis sed materiæ sublimitatis & scribendi generis causa; res enim in vtramque partem ventilata, in medio indecisa relinquitur. Veræ eruditionis nectarem generosæ iuuentuti, grato dicendi lepore, historiis atque politicis axiomatibus referto, tanquam condimento perspersum in eo propinasse.

§. XI. Nam id quod Franciscus Mothæus Vayerius in Gallia magnus Philosophiæ antistes, & Didacus Saauedra Politicus in Hispaniis clarissimus, summa vtrique ingenia: boni in scriptis suis spirant; id ex ipsis fontibus autoribus græcis & latinis (quos diligenter legerat) haustum, egregie in hoc opere expressit Lohensteinius; cuius nec sublimius quicquam iudicio aut rectius, nec eloquentia grauius, nec rotunditate decentius, nec vbertate fertilius Germanorum habet eruditio. Adeo non historiæ tantum dignitatem perfecit, sed mensuram omnis fermè sapientiæ, qua hominibus licet expleuit.

§. XII. Unicum hoc deplorandum restat, quod supremam manum insigni huic operi non imposuerit, nec ultima lima id prosecutus fuerit, præmatura morte ereptus. Annum enim qvadragesimum nonum agens IV. Calend. Maji inclinato in postmeridianum

tempus die anno MDCLXXXIII. apoplexia arreptus ex improuiſo interiit, & III. Non eiusdem Maii in ædibus D. Mariæ Magdalenæ olim dicatis, ſplendido funere, quod præter celebriores Sileſiæ vates, latino quoque epigrammate extemporaneo Franciſcus Liber Baro de Neſſelrode S. C. M. Camerarius condecorauit, humatus eſt. Poſtea germanus quidem Ioannes Chriſtianus a Lohenſtein opus Arminius inſignitum, grande hoc ce fratris ſui, ad finem (ut dici ſolet) ſed forté non vbique fratris ingenio ſcribendique ſublimitate, perduxit.

§. XIII. Præter Arminium alia adhuc exquiſita ſcripta â Lohenſteinio noſtro elaborata extant; breuioris enim vitæ iacturam indefeſſa eius ſolertia compenſabat. Primo loco nominandæ veniunt *Tragœdiæ* â iuuentute gymnaſiorum Vratislauienſium in ſcenam productæ agitatæque; quarum tres priores vt ſupra iam monuimus, ad imitationem Andreæ Gryphii quindecennis condidit. In *Ibrahimo Baſſa*, ex Scuderii deſcriptione Ibrahim plurima hauſit. *Epicharis & Agrippina* Neronis crudelitatem, atque tyrannidem & Senecæ loquuntur interitum. Hæc Ludouicæ Ascanienſi Principi Lygio-Bregenſi; Illa Ottoni Baroni Nostizio inſcriptæ. Has excepit *Cleopatra* anno MDCLXI. condita, Senatui Vratislauienſi oblata. Sequuntur virilis

rilis ingenii opera; tragœdiæ *Sophonisbe*, eo tempore quo Imperator cum Margaritha Hispanica, & *Ibrahim Sultan*, quo cum Austriaca, auspicatissima concelebraret connubia, repræsentata. Illa Francisco Baroni Nesselrodio dedicata temerariam Massanissæ Regis, atque Sophonisbæ reginæ Numidiæ, coniunctionem, huiusque mortifera potione interemtæ obitum describit. Hæc Imperatori sacratæ, salacitatem Ibrahimi Sultani ad inferos relegatam damnat; e contrario vero Augustissimi Leopoldi & Claudiæ Felicitatis castum amoris ardorem summa laude ad cœlum extollit.

§. XIV. Vt in tragœdiis versus pangendi solertiam, ita *in notis & additionibus*, his adjectis, insignem suam historiæ, & antiquitatum probauit peritiam. Ad Epicharim & Agrippinam collecta scholia, in antiqua historia Romana doctissimum; ad Sophonisben in Hebræorum, Græcorum atque Phœnicum antiquitatibus probe versatum eum fuisse; additiones ad Cleopatram mysteria Ægyptiorum eum intellexisse, & ad Ibrahimum Bassam, & Ibrahimum Sultanum itidem tragœdias, historiæ regni Turcici exactam notitiam habuisse, satis abundè declarant. Nec in rei nummariæ intelligentia hospitem aut rudem fuisse, Lohensteinium indicio sunt adiecta hisce scholiis illustrationis gratia rariora numis-

numismata, imagines clarorum virorum fœminarumque in quorum mentionem ibi incidit repræsentantia, atque eleganter æri incisa, ex theca sua nummaria, quam bene instructam, sicuti & bibliothecam, libris historicis & antiquitates inscriptionesque explicantibus maxime refertam, ipse habebat; pleraque desumta, atque delineata. Sed post mortem vtraque vendita & distracta est. Nam venit plerumque, id usu eruditis, ut collectos multo studio, magnisque sumptibus libros, hæredes dissipent. Rarum ergo igitur est, id quod Thuanææ bibliothecæ accidit, quæ ad nepotem vsque propagata, tum vero alienata, etiam num quamuis Menarsianæ titulo Lutetiæ Parisiorum adseruatur.

§. XV. Præter has quas hactenus recensui tragœdias; sub Florum quoque nomine anno M DC LXXX. varia Carmina, iuuenilis ingenii opera, Lohensteinius coniunctim edidit, in quibus primo loco *Rosa*, Friderico Rothio Cancellario Bregensi, bonarum artium æstimatori anno M DC LXVIII. dedicatæ continentur; in iisque præter epithalamia & epigrammata quædam, nec non Colorum atque pulchritudinis & humanitatis certamina, octo epistolæ heroicæ, quarum prima soluto, reliquæ stylo metris allegato conditæ; in quibus tamen herbam Domino ab

ab Hoffmanswaldau porrigit. His de coniunctione astrorum & animorum adiecta est oratio.

§. XVI. Rosas excipiunt *Hyacinthi* ex Aiacis tumulo primum prognati Salaminii, a Lohensteinio vero in clarorum virorum exequiis sparsi, i. e. Carminum funebrium collectio quibus supremi diei aliquot primatum celebrationem, imprimis Andreæ ab Assig, Syndici Vratislauiensis, & Andreæ Gryphii Ducatus Glogouiensis Syndici meliorum Silesiæ Vatum, splendidiorem reddidit. His & alia adiecit quibus secundæ fortunæ & vitæ aulicæ vanitatem delineat; nec non ad Balthasarem Fridericum Baronem Logauium idyllion, & latinam Alberti Niclassii Ecclesiastæ Petro-Paulini Gedanensis ad Bernhardum Guilielmum Nuslerum Consiliarium Bregensem, epistolam, mortem Martini Opitii exponentem, tantique Viri famam a calumniis vindicantem.

§. XVII. Sequuntur *primulæ Veris* (seu vt Germani efferre solent *Himmels Schlüssel*) anno octuagesimo post millesimum & sexcentesimum Ioanni Adamo a Posadousky Consiliario Cæsareo, Ducatusque Bregensis Capitaneo inscriptæ, Sacra continentes poemata: Scilicet miraculosam Saluatoris nostri natiuitatem; meditationem de æterna generati-

ratione & incarnatione filii Dei: & alia quædam gratiam Dei in natiuitate filii adumbrantia.

§. XVIII. Extant præterea Lohensteinii *meditationes Sacræ in Caput LIII. Prophetæ Esaiæ*, ex quibus luculenter patet, eum non tam humana sapientia obrutum, quam sacrorum quoque eloquiorum scientia fuisse præditum. Quanto melius igitur, ingenium vocemque intendit ad honorem Saluatoris? quam ii qui Asteriæ, Syluiæ & Dorindæ laruarum histrionicarum amores cecinerunt. In versus heroicos etiam ex gallica lingua desiderio illustris cuiusdam personæ satisfacturus *Illuminatum Aulicum* transtulit. Cui oda in natalem diem Leopoldi Archiducis Austriæ & alia quædam sunt annexa.

§. XIX. Præterea cum dissertus esset, & dicendo imprimis valeret, eique tanta esset commendatio oris & orationis, vt vnus omnibus antiponeretur, quod sententiis aut accommodatior aut crebrior, verbis aut ornatior aut elegantior in Germania nemo vnquam extiterit, funebres orationes sæpe numero habuit. Ex quibus Concio in exequiis Illustris Christiani ab Hoffmanswaldau dicta, & panegyricus in præmaturum & acerbum vltimi Lygio-Bregensis Principis Georgii Wilhelmi funus, eminent.

§. XX.

§. XX. Quod ad editiones operum Poëticorum Lohensteinii attinet. Separatim prodierunt singulæ Tragœdiæ distinctis annis, Ibrahimus Bassa scilicet anno M DC LIII. Cleopatra anno M DC LXI. Ibrahimus Sultan anno M DC LXXIX. & sic reliquæ. Anno M DC LXXX. vero Sophonisbe & Cleopatra Tragœdiæ, Florumque Sparsio cum præfatione Autoris, coniunctim in 8. prodierunt. Postea anno M DC LXXXIX. & M DCCI. in eadem forma, adiectis Agrippina Epichari & Ibrahimis tragœdiis, nec non Lohensteinii manibus, hæc opera recusa sunt. Oratio in exequiis Dni ab Hoffmanswaldau huius poeticis operibus annexa; Panegyricus vero in Georgii Wilhelmi Principis Lygio Bregensis obitum Bregæ in folio typis exscriptus est.

§. XXI. De Tragœdiis hisce, magnus ille Germaniæ Polyhistor Daniel Georgius Morhofius *In dem Vnterricht zur deutschen Sprach und Poesie cap. IX. p. 391. & 392. & cap. XVI. p. 669.* iudicat; quod Lohensteinius elaborationem earum in lingua Germanica (vna cum Andrea Gryphio) omnibus numeris absolutam reddiderit, vt in hoc quoque genere habeamus, quod opponamus exteris. Nec in aliis poematum generibus hos infeliciores fuisse; subnectit; Lohensteinium enim

nim sententiosum esse, idoneumque multa paucis comprehendere tũ in tragœdiis, tũ in odis. Ita bene vero cessisse ipsis poeticen, quod veteres autores græcos pariter ac latinos imitaturi sibi proposuerint. Nam his remotis quid perfectũ, quid completum elaborari potest? Autor speciminis dissertationis historico-Criticæ de Poetis Germanicis huius seculi præcipuis, sic de Lohensteinio nostro existimat: *Celebrior Vates est, inquit, & maior, quam vt eius laudes pagina capiat nostra. Omnium propè manibus teruntur poemata ipsius, Wratislauiæ in 8, diuersis annis edita, vbi præ cæteris tragœdiarum eminet cothurnus. Dictio eius, vt facile patet grauis, sublimis, profunda, sententiis magnificis, similitudinibusque, & omni rerum nitore, tanquam stellis coruscis splendens, nec ulli Grajorum Quiritumve majestate styli & exquisito verborum apparatu secunda: obscurior vero sæpe, & plerunque in suavior in aures ruens. At tamen nihilominus ejusmodi umbras ingenii lumine, spirituum sensuumque sublimitate, eruditionis haud vulgaris vbertate nusquam non castigat Noster ac pensat.*

§. XXII. Arminius vt supra iam monuimus, â fratre, ad finem perductus, â filio Autoris, Daniele Casparo Lohensteinio, Potentissimo Friderico Borussorum Regi consceratus in duob9 tomis in 4. Lipsiæ figuris ære in-

re incisis ornatus, prodiit. Prior tomus anno M DCLXXXIX. alter sequenti anno excusus.

§. XXIII. Scriptis ordine hactenus recensitis Lohensteinii, nunc & ipsorum autorem eiusque mores describam, verbisque designabo. Is cum tempus posceret, splendidus erat & liberalis, patiens & laboriosus, in summas reipublicæ curas diem, in studia atque amicorum officia noctes insumens, temporibus simulando & dissimulando callidissime inseruiens. Idem simul ac se remiserat, & vt Plinius in Laurentio, Cicero in Tusculano suo, sic in villa sua Kittellau dicta rusticabatur, & inter nemorosos colles amicorum consortio laxabat animum, hospitalis, iucundus, affabilis, amicosque comparare aptus erat; quos inter clarissimos temporis sui viros numerauit.

§. XXIV. Tres hic saltem nominabo; nam si animum inducerem, singulos quorum familiaritatem coluit atque seruauit indicare, non possem quin complures Purpuratos Cæsaris, totidemque Silesiæ Proceres, Principum amicos, aliosque spectabiles doctrina, & dignitate viros, cumprimis Vratislauiensis reipublicæ antistites, recenserem atque consignarem.

§. XXV. Primo igitur loco Balthasarem

Fridericum L. B. de Logau, Silesiæ Peirescium, cuius recentem hoc ineunte anno factam iacturam, hodie adhuc deplorant eruditi, duntaxat nuncupabo. Conuersationem quæ inter eos quorum prædia erant confinia intercesserit, eleganti Carmine expressit Lohensteinius.

§. XXVI. Logauio Ioannem Casparum L. B. ab Abschatz iungam, eiusdem dignitatis virum, ille enim Bregensis, hic Lignicensis ducatus nomine, Assessoris munere in publicis Statuum Silesiæ Conuentibus functus est. Ille Poetis amicus, hic Poetam ipse agebat elegantissimum, qualem Germania raro habuit. Id quod, me tacente, concinna eius Guarini Tragi-Comœdiæ, *Pastor fidelis* appellatæ, versio, carmenque multifaria eruditione refertum, quod Tomo primo Arminii præmissum legitur, clarius indicabunt. Hunc multorum annorum amicum, susceptoremque infantis suæ, moriens reliquit. Abschatzius enim anno MDCIC. demum, quinquagesimum tertium ætatis annum agens, vita functus est.

§. XXVII. His vnicum solum addo, Fridericum a Roth Cæsaris Consiliarium, Ducatuumque Lignicensis & Bregensis Cancellarium, cuius spectatam quanti fecerit noster amicitiam, ipse in dedicatione Rosarum his

his verbis optime expreſſit: *Iucundius adhuc ſuauiſſimæ huius ſolitudinis condimentum ſuccurrit, nempe amplexus Tui, dimidium mei, in villa mea; in qua vtrique ſinceritatem primi æui & dulcedinem aurei ſeculi deguſtantes aularum vanitates, ſtultitias hominum, profanum vulgus, & non raro nosmet ipſos ridebamus. Non memini nos vnquam, alibi, quam hic & in hortis tuis, cum Illuſtri Viro Domino Poſadowskio paucisque amicis, amœniore conſortio fruitos fuiſſe. Incumbebat nobis nox, ſed nulla nos poterat capere ſatietas amicitiæ noſtræ fruendi. O illuſtrem noctem! O amico amicam ſolitudinem! qua ad exemplum Damonis & Pythiæ ipſum etiam Dionyſium exterminaſſemus! o ineffabilem infucatæ familiaritatis dulcedinem; quam rarius bibere contingit, ac ex poculo Regis Perſarum vel ipſius Iouis! O indiſſolubile animorum fœdus! quo auſpice, totus orbis legum carere poſſet vinculis; cum ſimul atque ſibi aliquid quam alteri maluerit, amicitiæ nomen occiderit! Fruamur igitur dum vita ſuppetit, tam laudabili & honeſta neceſſitudine & hoc quinto elemento, ſine quo vita vitalis non eſt. Præſtemus fide noſtra poſteritati exemplar priſtini æui, & integræ amicitiæ, quam maleuoli nobis inuidere, ſed nec inimici calumniari potuerunt.*

§. XXVIII. Facili quidem negotio hic adiicere poſſem Franciſcum L. Baronem de Neſſelrode, Cæſaris Camerarium; Ottonem

G 2 L. Ba-

L. Baronem de Noftitz, & Iohannem Adamum a Pofadowsky vtrumque Cæfari a consiliis; nec non in medium proferre manes Chriftiani ab Hoffmanswaldau, Curiæ Vratislauienfis Præfidem; quem Silefiæ Apollinem Lohenfteinius vocat; Andreæ ab Affig huius in Syndici officio Collegæ, Andreæ Gryphii celebrioris Poetæ Germaniæ, aliorumque, fed fingulorum commemoratio fingulas defcriptiones mereretur.

OBSERVATIO XI.

De SIGNIFICATIONE VOCIS Ἐξουσία IN I. COR. IX. ET XI.

Synopsis.

§. I. Regulæ Criticæ ad legendos auctores commendantur. §. II. Regula Critica ignotior exhibetur. §. III. Quinam vocabula ignotiora componant, docetur. §. IV. Quotuplicia fint illa, explicatur. §. V. VI. Exempla quædam afferuntur. §. VII. VIII. Vfus regulæ Criticæ §. II allata in Scriptura S. & præcipue §. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. in Paulo intelligendo. §. XV. Iniqua & improba iudicia Auctor a fe deprecatur.

§. I.

§. I.

AD ſcriptores intelligendos valde conducunt regulæ artis Criticæ, notiores pariter & ignotiores. Vtraſque igitur ſtudioſe attendere, &, inter legendum, in promtu habere debemus, quo felicius mentem Auctorum aſſequamur.

§. II. Inter ignotiores merito numeratur illa: *Auctores ſæpe habent vocabula quædam ex ſimplicibus analogice compoſita, quorum ſignificatio, quia vſu non frequentatur, obſcura eſt.*

§. III. Auctores horum vocabulorum ſunt illi fere, qui vnam linguam bene, ceteras minus bene callent, & nihilominus etiam hiſce aut ſcribere aut loqui coguntur.

§. IV. Ipſa hæc vocabula in duo genera deſcribi poſſunt. Alia enim componuntur ad analogiam linguæ notioris, alia ad analogiam ignotioris.

§. V. Prioris generis exempla plurima quotidie colligere poſſumus ex colloquiis Gallorum, qui apud nos verſantur. Dicunt enim **Mitwiſſen**/ cum ſuum *conſcience*, **anwenden** cum ſuum *appliquer*, exprimere volunt. Neque etiam Caſtalio vir latine doctiſſimus, cum N. T. Græcum in Gallicam linguam transferret, analogiæ huius fallacias vitare potuit. Nam pro *prepuce* barbare dixit *avantpeau*, pro *incirconcis* dixit *empellé*,

 pro

pro *concubine d' un homme marié* dixit *arriere-femme*, ceu dici ſolet *arriereboutique*.

§. VI. Poſterioris generis exempla ſuppeditant libri eorum, qui Latinæ linguæ imperiti latine tamen ſcribunt. Hi tales ſæpe vocabulis Latinorum affingunt ſignificationes quasdam de quibus illi nunquam cogitarunt: v. g. voci *infractus* tribuunt ſignificationem vocum *non fractus*, quia *indictus, inuitatus* dici ſolet pro *non dictus, non vocatus*.

§. VII. Harum obſeruationum vſus, etiam in Scriptura S. interpretanda, non mediocris eſt. Præſertim cum ἰδιωτικόν τι in eius ſtilo ſubinde reperiatur, & a doctiſſimis Patribus agnoſcatur. Quos prolixe allegat Vir doctiſſimus D. IO. OLEARIVS *in Tractatu Philologico-Theologico de Stilo N. T. Sect. Didact. membr. III. p. m. 79. ſeqq.*

§. VIII. Non erit ſuperuacaneum, inſigni exemplo vſum illum commonſtrare.

§. IX. Paulus linguæ Græcæ ſatis peritus erat, quippe Tarſi, vbi lingua Græca florebat, natus. Nihiloſecius analogiæ illecebram cauere & euitare non potuit. Hinc in epiſtola priori ad Corinthios vocabulo compoſito vtitur, quod nobis obſcuriſſimum eſt, quia eiusmodi vocabulorum naturam conſiderare non ſolemus.

§. X. Nouerat, nempe, Paulus, præpoſitio-

tionem Ἐξ sæpe *eminentiam*, *abundantiam* significare, in compoſitione. Nouerat item nomen ὀσία *rem quamlibet* denotare. Igitur ex duabus hiſce vocibus format vocabulum ἐξουσία, quod *eminentiam* ſeu *abundantiam rei cuiuscunque* ſignificet.

§. XI. Si quæras, quo in loco hunc ſignificatum habeat ea vox: ecce tibi I Cor. IX. 12. vbi Paulus ita infit: Ει ἄλλοι τῆς ΕΞΟΥΣΙΑΣ ὑμῶν μετέχουσιν, οὐ μᾶλλον ἡμεῖς; Ἀλλ' οὐκ ἐχρησάμεθα τῇ ἐξουσίᾳ ταύτῃ &c. h. e. *ſi alii abundantiæ* (opum) *veſtræ conſortes ſunt, annon nos potius* eius conſortes ſimus? *ſed non vſi ſumus ea* qualicunque *poteſtate.* Elegans hic ἀντανάκλησις eſt, & ſenſus manifeſtiſſimus, & toti orationi accommodatiſſimus.

§. XII. At vide mihi, quam inſignem lucem hic locus affundat illi I. Corinth. XI, 10. Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ΕΞΟΥΣΙΑΝ ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους i. e. *Propterea mulier rem quampiam ſupereminentem in capite habere debet, propter nuncios*, ad eccleſias ſubinde mittendos.

§. XIII. Iſti *nuncii* ſæpiſſime iuuenes aut comtuli adoleſcentes erant. Senes enim iſti muneri apti non ſunt. Nec dubito, quin Paulus, voce dubia ἀγγέλους, ſubobſcure ad Angelorum pulcritudinem, ſæpe in V. Te-

ſtamento laudatam, alludat. Pleniſſimus eſt enim ſtilus eius alluſionibus.

§. XIV. Ratio itaque legis illius Paulinæ eſſe videtur ea, vt ne mulierculæ in concione, vbi omnia modeſte fieri oportebat, conſpectu adoleſcentum exterorum ad libidinem irritarentur, & caſtitatem, ad quam maritis ſeſe obligauerant, negligerent.

§. XV. Ita rem omnem claram eſſe exiſtimo, quam alias quæuis explicationes aliæ obſcurant. Non moror inepta iſtorum iudicia, qui vbiuis vocem ἄγγελος ad genus quoddam ſpirituum accommodant. Iſtos homines ego Criticæ aſſueſcere iubeo, niſi illi adſueuerint, ego cum ipſis nunquam diſputabo. Nec obſeruationem hanc elucubraui ideo, vt cum inepte moroſis indoctisque hominibus litigare velim. Dixi ea, quæ mihi diu multumque meditanti in mentem venerunt, quia Pauli ſermonem egregie illuſtratura videbantur. Neque tamen impoſterum, de hoc loco interpretando, minus cogitabo. Interim nemini hanc opinionem (quæ vtinam nouitatis inuidia careat!) obtrudo. Si tamen cuipiam probabilis, apta & bona videatur, eum ego rogito, vt de eius confirmatione diſpiciat. Quam facile ſuppeditabunt antecedentia&conſequentia,exempla ſacra&profana ſimilia,ſtilus Pauli, qui qualis ſit, nemini obſcurum eſt.

OBS.

OBSERVATIO XII.
THEOLOGIA CHRISTIANA IN NUMERIS.

Das ist
Sonderbahre
Darstellung
Wie
Die Fürnehmsten Hauptstücke
Christlicher
Gottes-Gelahrtheit,
in dem Denario
der so genandten und allhier nach besondrer Art
reducirten
Pythagorischen Taffel
enthalten sind.

THEOLOGIA CHRISTIANA IN NUMERIS,
h. e.
SINGULARIS DEMONSTRATIO,
quod
Præcipua Capita
Theologiæ Christianæ,
scil.
Doctrina de Deo & sacro-sancta Ipsius Trinitate, de bonis & malis Ange-

lis, de homine ad imaginem Dei condito & per peccatum corrupto, de restitutione per Christum, de Anti-Christi defectione, de consummatione in bono & malo ad salutem & damnationem, ac denique de Regno Patri tradendo ad patefactionem illius magnæ æternitatis, qua Deus erit omnia in omnibus,

IN DENARIO
vulgo sic dictæ & singulari modo
hic reductæ

Tabulæ Pythagoricæ,

siue

In Numeris Numerorum omnium fundamentalibus,

ab vnitate vsque ad Denarium ratione prorsus mirabili præfigurentur atque contineantur,

In gratiam amatorum Sapientiæ clare & perspicue concepta

ab

ISIDORO CHARISIO LOGOTHETA,
Philyro-Politano.

Hic autor est Jo: Christian Langius 5. Philos: P.P. Gissensis

Impressa Anno MDCII. prostat
Francofurti & Lipsiæ

In 4to, 9. plagul. cum figuris æri incis.

SYNO-

SYNOPSIS.

§. I. II. Summa libri quæ sit, docetur. §. III. Libri diuisio designatur. §. IV. Varii modi numeros considerandi enarrantur. §. V. Quomodo Reductio numerorum compositorum ad simplices fiat, docetur. §. VI. Specimen illius reductionis in tabula Pythagorica. §. VII. Quid numeri monadici mystice, secundum Auctorem, in primo ordine tabulæ Pythagoricæ reductæ significent, declaratur. §. VIII. Quid iidem numeri in secundo ordine eiusdem tabulæ reductæ significent, exponitur. §. IX. Auctoris lectio commendatur. & §. X. Epilogus opusculi nostri breuiter recensetur.

§. I.

SVmma totius libri, cuius titulum modo memorauimus, hæc est, quæ in eodem titulo narratur, quæq; hic vix clarius exponi potest, quia res omnis Schematismis declaranda est, quos ex auctore huc transferre, superuacaneum foret.

§. II. Narrabimus tamen ea, quæ sine schematismis satis intelligi possunt, vt de Auctoris scopo, libri diuisione, ceterisque eius capitibus memorabilibus, paulo certiores fiamus.

§. III. Diuisit Doctissimus Auctor opusculum suum in *duas partes* præcipue: quarum *vna* complectitur fundamenta Arithmetica, quæ

quæ ad doctrinas Theologicas applicari possunt; *altera* ipsam eorum applicationem. Huic annectit *epilogum*, illi præmisit *præfationem*.

§. IV. In *Præfatione* affirmat Auctor, numeros semper Philosophis ac Theologis Ecclesiæ visibilis admiratione & ideo considaratione dignos visos esse, etsi alii aliter hac in re versati fuerint. Quosdam enim eos considerasse *mathematice seu arithmetice*: quosdam (2) *physice* seu *magice*, illos nempe, qui numerorum quantitati, proportioni, signis & characteribus vim quandam tribuerint: quosdam (3) *ethiee* & quasi *emblematice*; qui regulas arithmeticas ad virtutem docendam accommodarint. Quosdam (4) *prophetice* & *diuinatorie*, qui ex numero nominum aut vocabulorum futura prædicere voluerint. Quosdam denique (5) *theologice* & *mystice*, qui conuenientiam numerorum cum articulis fidei demonstrauerint. Primum & tertium numeros considerandi genera publice probata esse, quia nihil incerti, nihil vitæ communi noxii, nihil abstrusi, habeant: cetera vero suspecta & improbata fuisse, quoniam incerta, obscura, inutilia, imo calamitosa & periculosa visa sint. Non negat Auctor, istorum abusum aliquem esse posse: Sed negat, propter abusum rerum res ipsas improbandas esse. Suam certe doctrinam innocentissimam fore, quippe cum solum

lum ostensurus sit, quod *præcipuæ veritates & articuli fidei analogice ex numeris demonstrari* queant. Pollicetur etiam, attentum lectorem intellecturum, quod *analogia* illa veritatibus istis valde congruat, quæ etiam confirmetur ex Sapient. XI. 22. *Deus omnia numero, mensura & pondere dimetitus est*; itemque enumeratione dierum creationis, vlnarum arcæ Noachiticæ & tabernaculi Mosaici, &c.

§. V. Venimus ad partem priorem opusculi. Exhibet illa *fundamenta arithmetica ad Theologiam Christianam* accommodanda. Multa hic subtiliter de natura numerorum disputantur: inter ea vero præcipue notabilis est *Reductio numerorum compositorum in simplices*, quos vulgo *Monadicos* vocamus. Inuenit eam Auctor noster primus, estque plane diversa ab illa communi Arithmeticorum reductione. Modus eius hic est, vt numeri compositi tamdiu sibi inuicem addantur, donec existat numerus Monadicus. v. g. numerus 987 per additionem reducitur ad 24, & 24 ad 6. Vbi tamen porro notandum, quod, si numerus compositus Ziphram o. habeat, illa plane omittenda est. v. g. numerus 40 reducitur ad 4. omissa Ziphra o.

§. VI. Reduxit Auctor Tabulam Pythagoricam, cuius schematismum hic non ponemus, quia in omnibus libellis Arithmeticis

cis extat. Ponemus potius ipsos numeros istius tabulæ ab Auctore reductæ:

1	2	3	4	5	6	7	8	9	1
2	4	6	8	1	3	5	7	9	2
3	6	9	3	6	9	3	6	9	3
4	8	3	7	2	6	1	5	9	4
5	1	6	2	7	3	8	4	9	5
6	3	9	6	3	9	6	3	9	6
7	5	3	1	8	6	4	2	9	7
8	7	6	5	4	3	2	1	9	8
9	9	9	9	9	9	9	9	9	9
1	2	3	4	5	6	7	8	9	1

§. VII. Namque, in parte altera, Auctor hos tabulæ Pythagoricæ *reductæ* numeros ad mysteria seu articulos fidei, in titulo memoratos, applicat. Numeros singulos singulis articulis respondere, affirmat. 1 nempe, Deitati & præcipue Deo Patri: 2 filio Dei æterno. 3 Spiritui S. 4 spiritibus bonis s. angelis. 5 spiritibus malis s. dæmonibus. 6 creatæ

tæ & reſtitutæ imagini Dei i. e. homini. 7 reſtitutioni & Sabbato. 8 antichriſto & deſertioni gratiæ a Chriſto reſtitutæ. 9 conſummationi omnium rerum, qua omnia opera diuina ſingulari modo conſummantur, & ad reditum in primam vnitatem præparantur. Et ſicut hi numeri ordine ex I proueniunt, ita iſtos articulos ſeſe, eodem ordine, conſecutos, & conſecuturos eſſe putat.

§. VIII. Atque ita intelleximus, quid ordo primus Tabulæ Pythagoricæ *reductæ* ſignificet. Videbimus nunc porro, quid alter ordo 2,4,6,8,1,3,5,7,9, ſignificet. Notandum igitur primo, quod hi numeri ſignificationem ſuam myſticā conſtanter retineant: deinde, quod propter hunc confuſum ſitum ſuum varios iſtarū rerum myſticarū euentus & fata connotent, hunc in modum: 2 numerus filii Dei ex 1 patre ſuo, tanquā centro, glorioſe adſcendens procedit, & per 3 Spiritum S. ſuper 4 angelis bonis glorificatus apparet, & ab hiſce per 5 malos angelos, ad 6 homines ingreditur: tum ex 7 numero reſtaurationis quam ſingulari humilitate ſubter 5 ſubit, ad 8 Antichriſtum debellandum, qui ſeipſum ſuper I exaltauit, triumphans euehitur, & partam gloriam in 9 tanquam myſterium conſummationis infert.

§. IX. Sed hæc quidem ex ſchematiſmo ſin-

ſingulari quem Auctor exhibet, longe melius intelliguntur. Nos autem nihil de ceteris eiusdem tabulæ reductæ ordinibus explicatis addemus. Quia obſcuritas ſine ſchematismis euadi non poteſt. Auctor itaque ipſe conſulendus erit.

§. X. In Epilogo occurrit auctor obiectioni cuidam. Nimirum poterat *Theologiæ huic in numeris* obiici, quod ea tota incerto fundamento nitatur, vtpote cum numeratio per Denarios, Centenarios, Millenarios, Myriades, humana inuentio ſit, &aliud numerandi genus in iſtius locum ſubſtitui poſſit. Sed reſpondet, numerationem illam non pro re fortuita habendam eſſe, quia omnibus totius terrarum orbis gentibus vſitata ſit. Sæpe inuentionibus humanis Spiritum miraculorum aliquid reuelare, quod inuentoribus ipſis, quoad arcanum fundamentum diuinum, ignotum ſit &c. Ceterum vt excellens ad profundiora abſtruſioraque rimanda ingenium in his ſatis Auctor doctiſſimus omnibus probauit, Pythagoricæque philoſophiæ lucem haud contemnendam affudit, ita opportunam occaſionem ad plura eiusmodi ingenii præclara monumenta in lucem proferenda, illi adprecamur.

OBS.

OBSERVATIO XIII.

De

COLOSS. II. 17. ET I. TIMOTH. V. 13.

SYNOPSIS.

Pauli stilus habet nonnulla inusitatiora & δυςνόητα. §. I. & II. Exemplum vnum ex Coloss. II. 17. §. III. Exemplum alterum ex 1. Tim. V. 13. §. IV. V. Interpretes tamen in iis ellipsin esse malunt, §. VI. Quia malunt, Apostolos Rhetores esse, quam veraces, §. VII. quod probatur §. VIII. IX. X. Patrum de stilo Apostolico iudicium approbatur & commendatur XI.

§ I.

Sedulis Pauli lectoribus occursant subinde locutiones paulo inusitatiores obscurioresque, quæ efficiunt, vt Commentatores, Paraphrastæ & Metaphrastæ a se dissentiant. Vnusquisque enim hac aliaue via mentem Pauli felicius se assecuturum sperat.

§. II. Ex compluribus eiusmodi locis deligemus nunc duntaxat duos, acuemusque industriam lectorum Pauli, vt eius stilo studiose attendant, nec se intelligere putent, quod non intelligunt: Quoad enim ignotum est, quare Paulus sic & non aliter loquatur, (quod vtique difficillimum dictu est)

certi esse nequimus de vero sensu eorum locorum, in quibus ab vsitata loquendi consuetudine Paulus recedit.

§. III. Vnum illorum desumemus ex Coloss. II. 17. Ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τοῦ χριστοῦ. Hic ἀνωμαλία est, si versionibus Syriacæ & Gallicæ Portus Regii credimus. Volunt enim, Paulum idem dixisse, ac τὸ δὲ σῶμα ὁ χριστός. Sed dubito; an hæc sententia omnibus probetur. Anglico certe Interpreti coniecturæ huius confidentia religioni fuit: ideo versionem suam adeo ad Græcum exemplar conformauit, vt nihil inter vtrumque discriminis intercedat, nisi soni verborum dissimilitudo. Forte igitur Hebraismum hic latitare quis putet, qualis est Iosuæ III, 14. vt sicut ibi vox ארון, sic hic vox σῶμα repetenda, sensusque sit: Olim sub V. T. nouilunia, sabbatha hominum libertatem adstringebant, vt ex eorum præscripto viuere eos oporteret: at hodie, cum Christus libertati nos vindicauit, ea tantum veluti vmbra sunt, quæ a corpore Christi, i. e. ecclesia, dependent. Sed nescio, an hæc etiam interpretatio omnino satisfactura sit omnibus. Possunt enim ingenia acuta adhuc multas alias interpretationes comminisci, ob causam supra expositam.*

§. IV.

* *Add. Clerici Critic. Volum. I. Part. II. Sect. I. Cap. XV. de stylo figurato.*

§. IV. Alterum ſuppeditat 1. Tim. V. 13. vbi Apoſtolus diuiniſſimus ita infit: ἅμα δὲ καὶ ἀργαὶ μανθάνουσι, περιερχόμεναι τὰς οἰκίας. οὐ μόνον δὲ ἀργαὶ, ἀλλὰ καὶ φλύαροι καὶ περίεργοι, λαλοῦσαι τὰ μὴ δέοντα. Volunt hic rurſus aliqui, Paulum inuſitatiore conſtructione vti, dum vocem μανθάνουσι, conſtruat cum participiis περιερχόμεναι & λαλοῦσαι, ad morem verborum perſeuerandi, deſiſtendi, & affectionem animi ſignificantium. Et ſane ſenſus ita commodiſſimus euadit, nihilque habet a mente Pauli alienum. Nihilominus hæc interpretandi ratio Interpretibus vix placuit. Syrus enim v. 12. & 13. ita reddit: *Et iudicium earum firmum eſt, quoniam abiecerunt fidem ſuam primam, diſcentes vero etiam deſidiam, dum circumcurſitant inter domos: & non tantum deſidiam, ſed etiam vt multiplicent ſermonem, & ſectentur inania, & loquantur id, quod non decet.* Apparet hinc, (præter ea, quæ plane errata ſunt) Syrum poſt vocem ἀργαὶ ſubintellexiſſe εἶναι vel γίνεσθαι: ceterum cum prima illa interpretatione conſentire. Sed ego non video, quare vox εἶναι vel γίνεσθαι ſubintelligi debeat, ſi cetera oratio eo modo, quo Syrus fecit, interpretanda venit.

§. V. Gallicus Paraphraſta ita diſſerit: *S' engageant ainſi dans la condamnation par le violement de la foi, qu' elles lui avoient donneé*

veé auparauant. Mais de plus, elles deviennent faineantes, & s' accoûtumont à courir par les maisons: & elles ne sont pas sentement faineantes, mais encore causeuses & curieuses, s' entretenant des choses dont elles ne devroient point parler. Vnde liquet, eum modo cum Syro facere, modo ab eo discedere, nec satis sciuisse, quid sequeretur.

§. VI. Plures versiones addere, superuacuum. Propemodum omnes sermoni Pauli, quem propter obscuritatem constructionis inusitatioris non intelligunt, aliquid addunt: & si is nequaquam mutilus & imperfectus est.

§. VII. Si quæras, cur Interpretes malint Paulum elliptice, quam inusitate loquutum esse? causa in promtu est, dummodo recorderis, eos inter eiusmodi homines viuere, apud quos Rhetorum profanorum maior auctoritas est, quam Apostolorum. Id quod diffiteri non poteris, si ego tibi demonstrauero, quod Apostoli sanctissimi, propter Rhetorum regulas, mendacii & fallacis loquentiæ accusentur. Demonstro autem ita:

§. VIII. Apostoli Sapientiam veram in amore Dei & hominum sitam esse contendunt, cetera omnia contemnunt, & ideo, ne mundana Sapientia aliquid esse videatur, ea agunt, quæ ei contraria sunt. Hinc v. g. idio-

diotarum more loquuntur, & lubenter fatentur, ſe idiotarum more loqui, qui inter loquendum aut ſcribendum ab inuſitatioribus locutionibus vix ſe abſtinent.

§. IX. Rhetores contra ſermonem terſum, comtum, planum, tanquam ſummam ſapientiam diſcipulis ſuis commendant, eosque qui ſecus faciunt, vituperant, imo hos tales magis oderunt, quam adulteros, fures, calumniatores & parricidias eloquentes. Ellipſes autem concoquunt, quin inter ornamenta ſermonis numerant.

§. X. Noſtri igitur homines, dum has Rhetorum vituperationes ab Apoſtolis auertere, & laudes eorum ipſis conciliare ſtudent, elliptice loquutos ipſos eſſe, fatentur, non inuſitate. Et vt hæ laudes Apoſtolis plane & perpetuo deſponſatæ maneant, in detrimentum auctoritatis ac veracitatis Apoſtolicæ, varia comminiſcuntur, quæ hic vberius commemorari nequeunt.

§. XI. Nos collaudamus Sanctos Patres, qui Apoſtolis de ſe aſſeuerantibus crediderunt, & ea, quæ illi idiotico ſermone præceperunt, indefeſſo labore ac ſtudio efficere allaborarunt. Vtinam tandem & nos hiſce tantis veſtigiis inſiſtamus; imo etiam, vtinam illi, qui a nobis hic forte diſſentiunt, nec Apoſtolorum affectioni credunt, recordentur, ſe-

cum illius Paulini: μηκέτι ὦμεν νήπιοι κλυδανιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας (maxime Rhetorum ethnicorum) ἐν τῇ κυβεία τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργία πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης. Ἀληθεύοντες δὲ ἐν ἀγάπῃ, αὐξήσωμεν, εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, ὅς ἐστι ἡ κεφαλή, ὁ χριστός.

OBSERVATIO XIV.
PHILOSOPHVS ARTISTA.

SVMMARIA.

Varia nomina Philosophorum ex Hornio §. I. quae in ordinem digeruntur §. II. Omissum ab Hornio nomen Artistarum §. III quod Philosophis inde datum, quia Facultas Philosophica olim appellata fuit facultas Artium §. IV. Quod vti factum aeuo barbaro, ita non confundenda est haec appellatio, cum illa Graecorum, qua quidam Philosophi τεχνικοὶ *dicebantur. §. V. Sed dicebantur Philosophi Artistae, quia in antiquissimis Academiis illorum temporum solum docebant septem artes liberales. §. VI. Differentia primarum illarum Academiarum a scholis vulgaribus & Academiis subsequentibus. §. VII. Post Aristotelem in academias introductum doctores vltimae facultatis partim Philosophi dicti sunt, partim Artistae §. VIII. Philosophiae vox olim omnem eruditionem sub se comprehendit §. IX. Chymici Philosophi,*

Lapis

Lapis Philosophorum. Elias Artista. §. X. Transitus ad obseruationes sequentes §. XI.

§. I.

VAria Philosophorum nomina congessit Georgius Hornius *initio libri 7. Historiæ Philos. cap. videl. I. p. 325. seq.* vnde sequentia lubet excerpere : *Magos*, inquit, vocarunt Persæ & populi illis,, contermini; Græci σοφὸς & φιλοσόφους; ,, Indi Brachmanas & Gymnosophistas; Ae-,, gyptii Hierophantes, ac Sacerdotes, Roma-,, ni haruspices, hariolos, augures; Germani,, Bardos; Celtæ & Galli Druidas ac Semnotheos. Antiqua etiam appellatio Sophistarum fuit. Prophetarum quoque appellatio,, a nobis præterita est. Ita vero antiquissimis,, in oriente temporibus Philosophi dicti sunt.,, Latini plerumque sapientis & sapientiæ no-,, mine vsi sunt. -- Erat quoddam genus argu-,, tulorum & minutorum Doctorum, qui τε-,, χνικοὶ vocabantur.-- Neque insrequens Do-,, ctorum, Professorum Magistrorum mentio. ,, Custos quoque, frequens apud Romanos ,, nomen, denotabat eos, qui regendæ pueri-,, tiæ præfecti erant. -- Alio nomine ab Hora-,, tio etiam Reges dicuntur. -- Tales proprie a,, Græcis παιδώνακτες, vt ab Hesychio dicun-,, tur. -- Posterioribus seculis etiam scholastici,,

„ vox obtinuit, quæ tamen fere in contemtu „ erat, donec eam ſibi Doctores Philoſophiæ „& Theologiæ vendicarent. Hactenus Hor-„nius.

§. II. Poterunt autem varia hæc Philoſophorum nomina commodiſſime ſic digeri, vt alia dicas eſſe abſoluta, alia relatiua. Relatiua voco, quæ reſpectum aliquem inſinuant docentis ac diſcentis, abſoluta, quæ ab illo reſpectu ſunt libera. Subdiuidi abſoluta poſſunt contemplatione variarum Gentium, quæ ſunt Perſæ, Græci, Indi, Aegyptii, Romani ſeu Latini, Germani, Celtæ, populi orientales. Hæc nomina primo loco exHornio excerpſimus, vbi id tamen notandum, videri quidem ac ſi ille a Latinis Romanos diſtinguat, dum ait, Romanis Philoſophos dictos fuiſſe augures, hariolos, haruſpices, latinis autem ſapientes. Verum ſi mentem eius probe perpendas, non ita deſipit, vt Romanos a Latinis ſeparet, ſed hoc vult tantum, apud Romanos idem fuiſſe aruſpicum, atque ſimilium officium quod apud Perſas Magorum, apud Aegyptios ſacerdotum, poſitum videlicet in re ſacra: Cæterum græcam τȣ̃ σοφȣ̃ vocem (pro quo & prophetam orientales dixerint) Latinos ſuo ſapientis nomine expreſſiſſe. Reſpectiua vocabula vel inſinuant reſpectum ad diſcentes ſeu perſonas inferiores, qualia ſunt: Docto-

Doctoris, Magiſtri, Cuſtodis, Regis, *παιδώνακτος*, aut ad locum docendi, vt nomen ſcholaſtici, aut ad formam, quæ fit profitendo, vnde appellati Profeſſores, aut ad inſtrumentum, quale eſt artis compendioſum ſyſtema, vnde technici.

§. III. Ceterum inter illa varia Philoſophorum nomina ab Hornio allata non apparet nomen Artiſtarum, quod miror ab eo non eſſe adductum. Neque enim iſtud nomen, etſi barbarum, illi negligendum erat, cui Scholaſticorum appellationem libuiſſet memorare, præſertim qui iam alibi obſeruaſſet ſeculi noni barbariem. Ita enim *lib. 6. c. I. p.295.* inquit. *Circa nonum a Chriſto nato ſeculum tam indocta erant tempora, vt, qui Philoſophiæ operam nauabat, vulgo magus putaretur.* Sed excuſabitur tamen facile optime alias de re literaria meritus ſcriptor, cum ipſe præſertim fateatur, ſe argumenti vbertatem non exhauſiſſe, *in præfat. p.5. Hiſtoriam Philoſophicam, quam nunc tibi exhibeo, cum adhuc in rudimentis illis ſtudia mea occuparentur, admodum iuuenis, id eſt, viginti annorum compoſui. Quo minus mirum videri debet, ſi neque argumenti vbertatem exhauſerim, neque ea accuratione, quam res ipſa requirit, cuncta pertractarim.* Quæ omnino in excuſationem eorum, quæ huic operi deſunt, æquum eſt a nobis ad-

 mitti

mitti. Quod & Ionſius facit *lib. 3. de ſcript. hiſt. philoſ. c. 20. p. 315.*

§. IV. Cum vero & Artiſtarum titulus olim Philoſophis ſit tributus, & hodie in deſvetudinem abierit, non iniucundum erit, qualemcunque huius denominationis hiſtoriam, ſed breviter & quaſi per indicem, recenſere. Vbi principio illud conſtat, eſſe in Academiis ordinarie facultates quatuor. In his Philoſophiam, quæ cæterarum quaſi miniſtra eſt, & olim vix aliter appellata eſt, quam Facultas Artium, & hodie non infrequenter ita ſalutatur. Sic Vernuleius lib. 2. Acad. Louan. c. 6. p. 112. *Quinta* (cur non quarta, intelligas ex obſeruat ſeq.) *Academiæ Facultas eſt artium.* Ita etiam nominant Galli, Facultatem nempe *des arts*, vt intelliges e Lanſio *p. 25. de Academ.* Stephanum Paſquierium citante. Fuit etiam tempus cum Artiſtica Facultas ipſa vocaretur & Philoſophi Artiſtæ, quas voces tamen eruditiores hodie, quod barbariem reſipiant, ſubterfugere ſolent. Neque enim illa terminatio Latinis apta eſt vocabulis, ſed Græcis, qualia ſunt Baptiſta, Sophiſta, Sophiſticus & alia. Quæ quidem obſeruatio in hoc proderit nobis, vt vocabuli huius vltima origo inueſtigetur.

§. V. Quæ videlicet ad barbarum ſeculum referenda eſt, non ad illa tempora, quo pueri latinius

latinius loquebantur, quam inepto illo æuo adulti. Vnde ſtatim erroris conuincetur, ſi quis forte exiſtimet, Artiſtas ex eo appellatos fuiſſe in orbe Latino Philoſophos, quia quoddam ipſorum genus, Gellio, Quintiliano, & Auguſtino teſtibus τεχνικοὶ, quod ipſum quoque Græcis ab Arte deflexum vocabulum eſt, fuerunt appellati. *vid. Horn. d. l. p 327.* Nam primum in orbe Latino aut vox Græca Technicorum, vt alia multa, fuit retenta ſeculis purioribus, aut mutata non ſine indicio degenerantis linguæ in Artigraphum. Deinde nec omnes Philoſophiæ Doctores Technici appellati ſunt, ſed ii, qui artem, non ſcientiam, aut aliud quid, & quidem compendioſis quibusdam libellis docere ſe poſſe profiterenrur. Accedit, quod horum memoria vel nulla, vel tenuis admodum videtur eo æuo fuiſſe, quo primum appellari cœperunt Artiſtæ. Ævo, inquam, barbaro, circa nonum a Chriſto nato ſeculum, quo Chriſtianus orbis ſatis adhuc denſis literarum tenebris oppreſſus iacuit.

§. VI. Quo quidem ipſo tempore tametſi Carolus M. Imperator tum alibi plurimas erexit ſcholas, tum Pariſienſem Academiam inſtituit, nondum tamen æui præcedentis barbariem excludere plane potuit. Conſtat enim illo æuo, ſi de Philoſophicis loquamur

quamur disciplinis, in Academiis non nisi septem illarum artium, quas liberales vocamus, (sub quibus neque Physica est, neque Metaphysica, neque Ethica, aut Politica) doctrinam floruisse. *Vide programma nostrum de Sept. art. liber. lit. h. Conr. de Antiq. Acad. p. 44. 79. 80.* Et nondum ingressus erat Academias Aristoteles, sed regnabat in his pariter & Monasteriorum scholis (*de quibus vide Conring. d. l. p. 62.*) Augustinus, Cassiodorus atque similes septem liberalium artium tractatores. Imo in Academia Parisiensi vetustissimis temporibus ne vlli quidem superiorum facultatum erat locus, sola ibi vigente facultate Artium. Vnde factum est, vt, postea tametsi reliquae Facultates accessissent, primas tamen partes retinerent Philosophi, & ex iis solis Rectores Academiae legerentur. *Conr. d. l. p. 79. Besold. V. Polit. p. 169.*

§. VII. Videlicet alia plane seculis illis Academiarum facies ac scholarum fuit, quam quae est hodie. Isto tempore vel ad Academiae gloriam sufficiebat habere septem artium liberalium Professores; nostro aeuo non pauca sunt Gymnasia, in quibus superiorum quoque facultatum Professores reperias. Quod si quis aueat scire, quid ergo discriminis fuerit olim inter talem Academiam & vulgarem scholam? illi respondebitur, in

scho-

ſchola vulgari partes, in Academia artes viguiſſe, h. e. illic in partibus Orationis Grammaticæ e Donato, hic in ſeptem artibus liberalibus inſtitutam fuiſſe iuuentutem. Ab his ergo artibus liberalibus priſco illo æuo denominati fuerunt Artiſtæ & Facultas artium.

§. VIII. Poſteaquam vero, Ariſtotelicis quoque libris in Academias inuectis, Philoſophia quoque, h.e. reales illæ, vt vocamus, diſciplinæ, ingreſſa eſt, incremento non leui aucta Facultas Philoſophica, in duplex quaſi diuiſa eſt ſtudium, quorum vnum eſſet artium, alterum Philoſophiæ, puta eius, quam Realem vocare mos eſt. *Conf. Vernul. Acad. Louan. p. 116.* Factum, inde, vt in noſtra vsque tempora mos ille conſeruaretur loquendi, quo bonarum artium ac Philoſophiæ ſtudioſum aliquem, aut Baccalaureum, aut Magiſtrum pronunciamus.

§. IX. Promiſcue tamen Facultas ipſa iam Artium vel Artiſtica, iam Philoſophiæ ſeu Philoſophica fuit appellata, & Profeſſores eius modo Artiſtæ, modo Philoſophi. Placuit artium appellatio ob memoriam antiquitatis; Philoſophiæ, ob dignitatem, ſiquidem realis illa Philoſophia ſeptem illis artibus dignior habetur. Neque id iniuria. Artes enim illæ ſeptem inſtrumentales ſunt, ipſa vero Philoſophia harum comparatione diſci-

ſciplina principalis eſt. Imo Philoſophia olim apud Gentiles,cum rerum diuinarum pariter atque humanarum ſcientia haberetur, comprehendebat ipſorum Theologiam quoque fortaſſe & Iurisprudentiam ac Medicinam. *Conf. Beſold. p. 169. Part. V. Polit.* Certe tanto ponebatur in pretio, vt humanæ eruditionis culmen in ea collocarent.

§. X. Atque horum ſtilum imitatos eſſe dixeris & Chymiſtas, qui, cum neſcio quam excellentem ſapientiam aut Panſophiam quoque profiteantur,Philoſophos ſe vocant, & lapidem ſuum lapidem Philoſophorum. Porro, cum iidem ſcirent, idem valere Philoſophum & Artiſtam, Eliam quoque ſuum, cuius aduentu reſtaurandam eſſe rerum omnium ſcientiam, & aureo ſeculo aperiendas fores ſomniant, Artiſtam cognominant.

§. XI. Atque hæc ſufficiant de Philoſopho Artiſta ſummariter & in vno quaſi conſpectu tradidiſſe. Fuſius vnam & alteram aſſertionem ſupra propoſitam declarabunt Obſeruationes ſequentes.

OBSERVATIO XV.
FACVLTATES ACADEMICAE.

SVMMARIA.

IN Academiis ſunt ordinarie facultates quatuor. §. *I. Extra ordinem alibi pauciores, vt olim*

ſola

sola facultas Artium, in quibusdam primitus exulauit facultas Theologica, alibi Iuridica. §. *II. Alibi plures* §. *III. vt quando alicubi Iuridica Facultas secreta fuit in facultatem Iuris Canonici & Iuris Ciuilis,* §. *IV. alicubi Poetica facultas fuit separata a Philosophica* §. *V.*

§. I.

Quatuor esse in Academiis Facultates, vt vocamus, Theologorum vnam, secundam ICtorum, Medicorum tertiam, quartam Philosophorum, nemo ignorat. Atque hoc exaudiendum est ordinarie, siue de eo, quod in plerisque obtinet hodie Academiis. Extra hunc ordinem atque raro reperies alibi pauciores, alibi plures.

§. II. Pauciores: Nam vt omittam, quod obseruatione præcedente dixi, cum Academia quondam Parisiensis fundaretur, in ea non nisi vni Facultati, quæ fuit Artium seu philosophica, locum fuisse factum, memorat Thomas Lansius *p.25. de Academiis.* Rostochiensem Academiam anno Christi 1419. a Pontifice Martino V. tantum in tribus facultatibus, Iuridica, Medica & Philosophica institutam esse: & *p. seq.* Heidelbergensem, Pragensem, & plerasque illas antiquioris notæ in Germania, primitus nullos iuris ciuilis

Pro-

professores habuisse, vide apud eundem plura.

§. III. Plures autem quatuor Facultatibus alicui esse Academiæ, duobus contigit modis, puta si vel Iuridica, vel philosophica facultas fuerit. Loquor de facto, & quidem quatenus mihi sit res comperta. De possibili plures esse modo possunt: si similia tentantur in Fac. Theol. diuidendo eam, non quidem secundum diuersas Religiones, neque enim commodum hoc: fortasse tamen nec impossibile iis in ciuitatibus, vbi exercitium Religioni plusquam vni liberum est: sed secundum diuersas partes, Exegeticam, Polemicam &c. Videndum & de Medica Facultate, diuidenda fuse in Chymicam & Galenicam &c. aut similiter in partes.

§. IV. Ac in Academia Louaniensi duas esse Facultates iuris, vnam Canonici seu Pontificii, alteram Ciuilis seu Cæsarei, quarum vtraque Decanum habeat suum, testatur Nicol. Vernul. *lib. II. Acad. Louan. c. 3. p. 93.* qui ideo quartam illa in Academia Facultatem numerat Medicam *p. 107.* & quintam Artium, h.e. Philosophicam *p. 112.* Nempe Iuris vtriusque termini aliquando sic fuerunt vna vel altera in Academia diuulsi, vt alterum plane fuerit exclusum. *Nam* (vt hic iterum cum Lansio e *p. 25. 26. de Acad.* loquamur) *Hono-*

Honorius III. (sedit hic ab anno 1216 ad 1227.) *quia Parisiensis Academia potissimum pro sacra theologia fuerat instituta, prohibuit sub pœna excommunicationis, ius ciuile illic doceri discine, [veritus ne studiosi curiosiores a Theologia distraherentur] Et in complutensi Academia Franciscus Ximenius fundator lege seuerissima cauit, ne Iuris Ciuilis Antecessoribus ibi esset locus.* Iohannes quoque Ludouicus Viues *lib. I. de causis corr. art. p. 6.* generalia scholarum tractans, quinque agnoscere facultates videtur his verbis: *Atque hæc velut Collegiis sunt distincta, vt vnum esset septem illarum liberalium artium, quibus annumeratur philosophia, quæ est de moribus, quæque de natura: alterum Medicinæ: tertium Ciuilis Iuris; quartum Pontificii, quintum & supremum Theologiæ.*

§. V. Quod autem ad philosophicam facultatem attinet, apud nos quidem & alibi passim a philosophis Poëtæ non separantur: sed in Viennensi tamen Academia Maximilianus I. quintam Facultatem constituit, nempe Collegium Poëticum, eique Conradum Celtem, qui primus Germanorum lauream Poëticam a Friderico III. Cæsare impetrauerat, gubernatorem præfecit, hac dignitate & honore indulto, vt noui Collegii Rector, Comitis, vt vocant, Palatini potestate frueretur, laureisque poëticis, si quos dignos

haberet, exornaret. *Vide Giessensis Epistolam dedicatoriam Poëtices, Kirchner volum. II. Orat. 2. p. 40.* Lans. *de Academ. p. 75.* Zieglerus *diss. 6. de Iur. Maiest. §. 35. 37. 38.* Cum his confer locum, quem Observ. sequente describemus ex Epistolis obscurorum.

OBSERVATIO XVI.
ARTISTA, ARTISTICVS, VOCABVLA BARBARA.

SVMMARIA.

ORta hæc nomina a Facultate artium. §. I. De Artista locus ex Thoma de Kempis §. II. & de Artistico ex Epistolis obsc. vir. §. III. Legista, Iurista. Artistam non congruere cum Iurista. §. IV. Zasius a Vossio notatus §. V. excusatur §. VI.

§. I.

CVm ita Facultatem artium appellari mos inoleuisset, barbaro æuo etiam excogitata sunt vocabula Artista, Artisticus, pro Philosopho & philosophico.

§. II. Artistæ vocem reperies (vt e tot scriptoribus vel vnum proferamus) apud Thomam de Kempis *cap. 4. de vita Florentii Dauentriensis Tom. III. Op. p. 48. Huius pater, Radewinus nomine, filio suo Florentio ad studium*

Pra-

Pragense pergenti pium assensum præbuit. -- Fit cito Artista bonus, (i. e. bonus Philosophus) *qui erat ingenio clarus, & in proficiendo studiosus.*

§. III. De voce autem Artisticus iuuabit adscribere locum ex epistolis obscurorum virorum, ingeniose ab Vlrico Hutteno confictis ad viuum exemplar styli barbari: simul vt intelligas, tantam fuisse temporum illorum barbariem, vt quartæ facultati quintam Poëticam, quæ styli esset cultioris, addere, ipsa propemodum imperaret necessitas. Sic autem leges *parte II. illarum Epist. p. m. 85. Iam fecerunt* (Reuchlinistæ) *nouam facultatem vltra alias quatuor facultates, quas iam habuimus: & omnes illi laudant Reuchlin, & dicunt, quia sunt eius discipuli, & non curant amplius facultatem Artisticam, eo quod Artista sunt ita magni & superbi asini, quia non sciant tria aut quatuor verba latine loqui.*

§. IV. Vtraque autem vox barbara, eo quod latino vocabulo iungat terminationem non latinam, sed græcam. Idem peccant Legista, iurista, & similia eidem ætati barbaræ adeo nota vocabula, vt horum alterum inde in vernaculam quoque nostram sit transfusum. *Artistam non congruere cum Legista* dixit olim Rebuff. *cit. Lans. p. 23. de Acad.* Videndum an h. l. Artista præter philosophos comprehendat Medicos & ICtos qui vnam,

I 2 sicut

ſicut Legiſtæ, qui alteram vniuerſitatem faciunt apud Patauinos.

§. V. Itaque Voſſius *lib. III. de vit. Serm. c. 1. p. 360.* caſtigat Vdalricum Zaſium, quod Artiſtam pro Doctore artium liberalium dixiſſet, idque eo in opere, quo iuuentutem imbuat ſtudio eloquentiæ, commentariis videlicet in Rhetorica ad Herennium.

§. VI. Veniæ tamen aliquid impetrare Zaſio a nobis illud poteſt, quod nomen hoc certo ſit hominum generi ex ipſorum profeſſione impoſitum, qualia ſi in aliam plane linguam transire absque dedecore poſſunt, quod modo vidimus in vocabulo Iuriſtæ, tolerari & in ſua facilius debent.

OBSERVATIO XVII.
TECHNICI ARTIGRAPHI.

SVMMARIA.

Technicus non ſolum adiectiue ſumitur, ſed & ſubſtantiue §. I. pro artifice non practico, ſed theoretico §. II. artem liberalem compendioſe proponente, qui & Technographus dictus eſt §. III, Loca eam in rem Gellii, §. IV. Quintiliani §. V. Auguſtini §. VI. VII. VIII. Vbi Technicorum quidem nomine veniunt ſcriptores Rhetoricorũ ſyſtematum, §. IX. Sed tamen eadem vox denotauit etiam Grammaticos & Dialecticos §. X. non tamen

men scriptores de scientiis, §. XI. nec interpretes autorum §. XII. Cur de iis contemptim loquantur Autores. §. XIII. Technicas etiam controuersias tractasse §. XIV. Artigraphi vsurpatio §. XV. pro Grammaticis Rhetoricis & Dialecticis §. XVI. Distinctio Artigraphorum ab Orthographis §. XVII.

§. I.

DE Voce Technicus tacent Lexicographi Latinorum: nec Græci ea, quæ hic volumus. τεχνικὸς Græca vox est, proprieque sensu adiectiuo notat id omne, quod artificiale est. Sed vt adiectiua multa, vim etiam induit substantiui, notatque hominem artificem; neque adeo male sic redditur a quodam Glossatore Augustini, de quo infra §. 7.

§. II. Iam cum artificium alii prodant elaborando, quod didicerunt opere, alii, ne secum ars pereat, fundendo quasi in alios, quos in ea erudiunt ac instituunt, quorum illos practicos, hos didacticos licebit appellare: sciendum, speciali sensu vocem Technici ad didacticos fuisse accommodatam.

§. III. Nec hos omnes tamen promiscue, sed eos imprimis, qui artium suarum scriptis libellis systematicis: (quod quidem præcipue valebit in artibus humanioribus ac literatis,

quæque contentionem animi postulant potius, quàm vsum corporis, quis enim manuariam artem commode discat e libro v.gr. tonsoriam & alias?] propagare sic eas studerent. Quare & hi iidem τεχνογράφοι quoque sunt appellati, teste Vossio *lib. I. de Art. Gramm. c. 4. p. 12. & lib. III. de vit. Serm. c. 1. p. 359.* Sed Latini Technicorum vocabulum sua quoque loquentes lingua retinuerunt. Qam in rem duobus a Georgio Hornio *lib. VII. hist. Phil. c. 1. p. 327. 328.* obseruatis locis, altero Gellii, altero Quintiliani, addemus nos hic ex Augustino tres alios. Occasionem quærendi in Augustino dedit Grotius, qui *p. 263. de I. B.* tertium ex his citat.

§. IV. Gellii hæc sunt e *lib. XVII. c. 5. Cicero in Dialogo, cui titulus est Lælius - docere volens, amicitiam non spe vtilitatis colendam, sed expetendam - etiamsi nihil opis - ex ea percipi queat - his verbis vsus est:* - Vt enim benefici liberalesque sumus, non vt exigamus gratiam, (nec enim beneficium fœneramur, sed natura propensi ad liberalitatem sumus,) sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quia omnis eius fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. *Hoc cum legeretur in cœtu forte hominum doctorum, rhetoricus quidam sophista vtriusque linguæ callens haud sane ignobilis ex istis argutulis & minutis Doctoribus, qui τεχνικοὶ ap-*

appellantur, atque in differendo tamen non impiger, vſum eſſe exiſtimabat non probo neque ἀποδεικτικῷ: *ſed eiusdem quæſtionis, cuius eſſet ea ipſa res, de qua quæreretur*: [i. e. æque dubio] *Nam beneficos inquit & liberales ſumpſit ad confirmandum id, quod de amicitia dicebat, quum ipſum illud & ſoleat quæri, & debeat : quisquis liberaliter & benigne facit, qua mente, quoue conſilio benignus, liberalisque ſit : vtrum, quia mutuam gratiam ſperet - ; an quia natura ſit beneuolus.*

§. V. Quintilianus *lib. II. c. 14. p. 119. Cal. 13. p. 146.*) *Nolo, ſe iuuenes ſatis inſtructos, ſi quem ex his, qui breues plerumque circumferuntur, artis libellum edidicerint, & velut decretis technicorum tutos putent. Multo labore, aſſiduo ſtudio, varia exercitatione, pluribus experimentis, altisſima prudentia, præſentiſſimo conſilio conſtat ars dicendi.*

§. VI. Auguſtinus *in principiis artis Rhetorices Tom. I. Op. f. 299. & ſeqq.* ter hac voce vtitur. Semel *capite 2. Alia ſubinde ex eodem verbo perſuadenti* [qua in re ſcil. Rhetoricæ finem nonnulli collocant] *calumnia naſcitur inuenta ſane a Platone, tractata multum in Gorgia, ſed poſt ac multo impudentius a quibusdam technicis* [Technicis; editio ſub nomine Fortunatiani *p. m. 42.* male: Græcis litteris τεχνικοῖς pingitur hæc vox in ed. Rhetorum

Pithœi: sed latinis voluisse Augustinum, nisi variasse dicemus, docebit locus tertius] *obtrectantibus Hermagoræ frequentata. Negant quippe, proprium esse finem Oratoris persuadere, sed communem pene cum vniuersis. Nam & mathematicos de iis, quæ in notitiam ipsorum ceciderunt, persuadere, & Medicos &c.*

§. VII. Iterum *cap. 5. Rationales quæstiones sunt, quas Hermagoras λογικὰς vocat. Melius enim puto sic eas cognominari, quam verbales, quia λογικὴ non ex verbi sed ex rationis significatione appellatæ sunt a Technicis, cum alioquin λόγος interdum verbum significet, interdum rationem.* Quo loco vetusta quædam Fortunatiani Rhetoris editio glossam textui miscuit: technicis, i. e. artificibus.

§. VIII. Denique *cap. 9.* vbi de παραδόξων agit: *Licet alias vulgarem illam significationem probare malimus huius nominis: tamen hoc loco vt multa noua* (mallem *noue*) *tam a technicis & mathematicis, quam a philosophis cognominantur, accipere debemus non tam pro solito vsu consuetudinis, quam pro conditione præcepti.*

§. IX. Ex his obseruanda iam sunt quædam. Primo, *Technici* his in locis Gellio, Quintiliano & Augustino vix alii sunt, quam *Rhetoricorum Systematum scriptores.* Id quod facile intelliget, qui locos eorum, quos eam

ob

ob causam sic satis integros adscripsimus, diligenter inspiciet, inter seque comparabit.

§. X. Secundo, quia tamen vox ipsa τῆς τέχνης, seu artis, generalis est, (neque enim sola Rhetorica liberalium artium numerum explet, sed eodem nomine Grammatica quoque & Dialectica gaudent,) *Grammaticos* & *Dialecticos* quoq; consentaneum est Technicorum vocabulo comprehensos olim fuisse. Sane Budæo cum *f. 8. Comm. Ling. Græc. in marg.* scribit: τὰ τῶν τεχνικῶν παραγγέλματά ἐστιν οὔτε ἀμελητέα: Technicorum nomine, quos ibidem & τεχνολόγους vocat in textu, Grammatici veniunt. Quodsi Synonyma sunt, vt Vossio placet, τεχνικοὶ, τεχνογράφοι, etiam sic inter Technicos locus reperietur Grammaticis. Suidas enim in voce ἀπολλώνιος ἀλεξανδρεὸς ὁ κληθεὶς δύσκολος, Herodianum, cuius Apollonius hic pater fuit, vocat τεχνογράφον γραμματικὸν, Itaque placet expositio Turnebi *ad Quintilianum p. 146. Ed. Lugd. A. 1665.* Technicos interpretantis illos, qui præcepta artis scripserunt, & vniuersales præceptiones tradiderunt.

§. XI. Tertio, dubito autem an commode extendatur ad eos, qui non de artibus, sed *scientiis* aut aliis habitibus libros scripserunt: Sane Augustinus (*supra* §. *VIII.*) distinguit eos

tum a mathematicis, tum a philoſophis. Itaque non placet illa certe phraſis Georgii Hornii *p.327. Hiſt. Philoſ.* cum ait, illos philoſophiæ artem per præcepta & libellos exiguos ac exuccos ſe tradere profeſſos. Philoſophiæ enim vox amplior eſt, quam vt anguſtiis artium inſtrumentalium coërceatur: cum & reales diſciplinas comprehendat, de quibus quidem præcipue ab Hornio agi eo loco dixeris.

§. XII. Plane autem aberrat Cælius Rhodiginus, qui τεχνικοὺς eo ſenſu accipit, quaſi eſſent, *qui in bonos autores ſcribunt commentaria.* Aliud enim artis eſt ſcribere Syſtema, aliud exponere ſcriptorem. Locus eius eſt *lib. XIV. Antiq. Lection. c.4. f.757.* vbi cum Ciceronis illud *c. II. de Oratore p. 134.* de vxore cuiusdam de ficu ſe ſuſpendentis expoſuiſſet. *In hac*, ait, *diuertiſſe, non alienum iudicabit, quisquis animaduerterit, illatam a nobis lucem multam verbis M. Tullii ex II. libro de Oratore, quæ (quod ſciam) ad hanc diem nemo, eſt interpretatus, etiamſi acutuli ac minuti Doctores, qui ſe* τεχνικοὺς *vocant, multa ſæpe conantur argutatores frigiduli.* Hæc aliter accipi vix poſſunt, quam de iis, qui ſcripta Ciceronis illuſtrarunt commentariis. Deceptus autem vir doctus videtur loco Gellii obiter inſpecto, (huius enim verbis loquitur) qui cum & ipſe quo-

quoque quendam e Ciceronis Lælio locum tractaret, a quodam Technico male reprehensum, Technicos illum appellasse creditus est Autorum interpretes.

§. XIII. Quarto. Quod autem contemptim de illis loquitur Gellius, (*supra §. IV.*) argutulos vocans seu acutulos, & minutos Doctores, (quo sensu & minutos philosophos dicere amat Cicero *prope finem lib. de Senect. p.95. & lib. I. de Diuin. p.93.*) ad plerorumque Technicorum ineptias referendum est, qui credebant videlicet, vel solis libellis suis atque artium præceptis, sæpe non satis idoneis, iniici artem discipulis tanquam per infundibula quædam posse. Quem errorem etiam Quintiliani locus §. *V.* castigat.

§. XIV. Quinto, ad has ineptias forte referendum & illud est, quod quidam Technicorum miscuerint libris suis interdum controuersias, & eas quidem non modo artis, sed etiam de arte; qualis illa est, sitne Rhetoricæ finis persuadere, vt intelligimus e primo Augustini loco, *supra §. VI.*

§. XV. A Technicis venio ad Artigraphos. Cui Semigræco fingendo vocabulo haud dubie inclinante Latinitate occasionem dedit Græcorum τεχνογράφος: cum nec duabus vocibus artis scriptorem (ita Vossius reddit

reddit *p.359. de vit. Serm.)* dicere vellent, & artis ſcribam fortaſſe aures repudiarent.

§. XVI. Sic autem appellati ſunt non Grammaticæ tantum, ſed aliarum quoque artium ſcriptores. *Vide eund. Voſſ. p. 12. & 13. Gramm.* qui pro ſenſu priore Seruium *e Comment. in lib. I. & II. Æn.* Caſſiodorum item, *præf. Collectaneorum de orthographia*; pro poſteriore Caroli M. *c. 30. lib. II.* aduerſus Concilium de Imaginibus citat. Caſſiodorus autem Iudice Reineſio *cap. 6. ἱστορ. Ling. Pun.* vel paucis ante Auguſtinum annis ſcripſit, vel ſaltem ei fuit contemporaneus. Verba Caſſiodori *l. c. p. m. 493.* hæc ſunt. *Antequam opus orthographiæ inchoare videamur, præfationem Phocæ artigraphi, exempli cauſa, iudicauimus apponendam.* Scripſit autem ille Phocas Grammaticus artem de nomine & verbo, quam habes in Grammaticis a Putſchio editis *p. 1687.*

§. XVII. Cæterum Caſſidorus idem *in concluſione opuſculi* (ſeu *cap. 14.*) *de Orthographia* Artigraphos ab Orthographis diſtinguit his verbis *p. 518. Meminiſſe debemus, frequenter Artigraphos de Orthographia tractaſſe*; & iterum *orthographos de partium declinatione differuiſſe, cum tamen res ſibi repugnare videantur. Ars enim tractat de partium declinatione: Orthographia vero, quemadmodum ſcribi debeat, deſignat &c.* Apud Boëthium quoque arthigraphi vo-

vocem reperio, sed de artis siue Rhetoricæ siue Dialecticæ scriptore vsurpatam *lib. II. Geom. tit. de Vtil. Geometriæ f. 1537. Op.* Vbi de enthymemate loquens, *qui Rhetoricus*, inquit, *est Syllogismus, quod Latine interpretantur, mentis conceptio, quem imperfectum solent artigraphi nuncupare.*

OBSERVATIO XIIX.
STATVS ACADEMIARVM IN SECVLIS BARBARIS DVPLEX. ACADEMIA PARISIENSIS.

SVMMARIA.

Commendatio Conringianarum Antiquitatum Academicarum. Status primus Academiæ Parisiensis §. I. *Quo tempore Artistarum & Legistarum nomen Philosophis & ICtis tribui cœperit. Status Academiarum in seculo barbaro duplex* §. II. *Earũ conditio seculo sexto, septimo, octauo, nono sub Carolo Magno potissimum* §. III. *Barbarum æuum vel nondum Academicum, vel Academicum* §. IV. *Academica barbaries vel nondum Aristotelica vel Aristotelica. Prior præter septem artes hiberales nihil exposuit,* §. V. *videlicet ex Augustino & Cassiodoro* §. VI. *Etiam in scholis Caroli M. præter septem artes nihil expositum fuit* §. VII. *& nulla tum fuit facultas superior* §. IIX. *Ortus professionum Theologicarum in Academia Parisiensi. Lansius emendatus* §. IX.

§. I.

§. I.

De antiquitatum Academicarum historia si quis vnquam fuit meritus, is profecto est Hermannus Conringius, cuius de eo argumento sex Dissertationes editae Helmstadii Ao. 1661. Atque hunc librum in hac & aliis Obseruationibus, quoties Celeberrimi scriptoris nomini paginam adiungemus, intelligi oportere, semel hic sufficiat praedixisse. Is ergo *p. 45.* affirmat, cis Oceanum occidentali orbi nullam pene fuisse scholam publicam vsque ad seculum vndecimum, praeter vnam Parisiensem; eius vero initia stetisse intra rudem aliquam, quas vocant, artium professionem, *p. 44.* neque isto tempore reliquos siue Monasteriorum, siue Episcopales scholas habuisse quicquam praeter Magistros liberalium artium *p. 79.* Theologicam certe professionem sub Capetanis demum Regibus in Academiam Parisinam accessisse, *iterum p. 44.*

§. II. Quae cum ita sint, probabile, Artistarum nomen iis maxime celebrari temporibus coepisse, cum in Academiarum scholis publicis, Parisiensi praecipue, Facultatum, vt vocamus, qualiscunque numerus postularet, vt Professores philosophiae, (sic hodie inprimis vocantur,) a Theologis, ICtis vel Medicis discernerentur. Id autem Artistarum praecipue

cipue vocabulo factum esse, (nondum enim sublimioris philosophiæ disciplinæ caput erexerant) vero est consentaneum: neque multum dissimilis huic est vox Legistarum, qua appellati ICti. Quæ omnia vt in clariori luce ponantur, simulque illustrentur, dicendum aliquid de seculo barbaro, & in eo Academiarum duplici statu, quorum vnus ante, alter post receptum in eas Aristotelem viguit; dicenda quoque de Parisiensi Academia, quæ huc pertinere videbuntur.

§. III. Quod ad barbariem temporum attinet, a sexto post Christum natum seculo omnes scholæ, imo tantum non omnis eruditio in tota occidentali Romani Imperii parte, per Italiam, inquam, Galliam, Hispaniam & Africam; a septimo vero per omnem orientalem regionem, Asiam nempe, Græciam & Aegyptum funditus, alibi Germanicarum Scythicarumque gentium, alibi Saracenorum, florentissimas Romani Imperii provincias occupantium barbarie deleta sunt: *Conring. p. 28. quem vide & p. 61. seqq.* Postea cum ageretur seculum nonum [vel etiam in octaui nonique seculi confinio] postliminio literarum studia, simulque cum illis scholæ publicæ in Europam, adeoque Christianum orbem reuersæ, cœpere, satagente inprimis Carolo Magno Imperatore: *Idem p. 41.* Hic vide-

delicet cum Roma tum ex Angliæ monasteriis accitis,quos illa ætas habebat, doctioribꝰ, ex consilio Magistri sui Albini Alcuini publicum literarum Mercatum Lutetiæ Parisiorum instituit, *Id.p.44.* circa Annum salutis 792 *Id.p.78.* Sub eodem & in Germania plurimæ scholæ erectæ sunt, *Horn. lib. VII. hist. Phil. c.3.p.344.*

§. IV. E dictis ergo distinguendum nobis erit ante omnia barbarum æuum in nondum Academicum, [sic appellabimus] & Academicum. Prius illud a sexto, posterius ab ipsis noni seculi initiis vel paulo ante auspicabimur. Quod priori nondum Academici nomen indidimus, non ita capiendum, quasi ante Parisiensem nulla plane fuerit Academia (fuerunt enim Bononiensis, Constantinopolitana & aliæ quædam *vid. Reusn. Isag. hist. p. 167.*) Sed ex eo interpretandum,quod vbi post satis profundum scholarum iuxta & Academiarum silentium qualescunque literæ Parisiis reflorescere cœpissent, pluribus paulatim Academiis Europæus Orbis exornatus est.

§. V. Academica barbaries iterum distinguenda venit in nondum Aristotelicam &Aristotelicam. Illam voco, quæ regnauit in Academiis ante Aristotelem in eas receptum: Hanc, quæ cum recepto Aristotele simul sublimio-

limiorem philoſophiam intulit, durauitque, vsque dum literæ politiores refloreſcerent. Sic enim eſt, vt ſupra memorabamus, vltra liberales artes non fuit in ſcholis & Academiis per priora tempora proceſſum, qua de re monui aliquid in Programmate Baccalaureali anni 1663. Liberales autem artes ſeptem illæ fuerunt, quarum pueris etiam innoteſcere ſolent nomina, tres ſermocinales, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Mathematicæ quatuor, Muſica, Arithmetica, Geometria & Aſtronomia. Quas quidem duas veluti diſciplinarũ claſſes illis temporibus Triuii atque Quadriuii vocabulis diſcernere mos erat.

§. VI. Sane non plures, quam ſeptem illas, (citius pauciores, ſi ſyſtemata, aut tractationes quæras) reperire eſt apud Auguſtinum & Caſſiodorum, quorum per ea tempora maxime in pretio erant libri quippe & latine ſcripti, & in inſtrumentalis philoſophiæ corpus aliquod complexi. Et Auguſtinus quidem *lib. II. de Ordine c. 12. 13. 14. 15.* (*Tom. I. Op. f. 487. ſeqq.*) Septem vniuerſas memorat, de ſingulis etiam peculiares libros ſcribere aggreſſum diſcimus e *lib. I. Retract. c. 6. Tom. 1. Op. f. 7.*) Sed ad nos eius nonniſi de Grammatica, de Dialectica, de Rhetorica libri ſinguli, vel potius principia quædam librorũ, de Muſica vero libri 6 peruenerunt, quos

quære *Tom. I. Op. f. 235. seqq.* Cassiodorus autem cum Monasterium condidisset, septem illas artes non commendauit modo suis Monachis *c. 27. Diuinar. Lect. p. 474.* sed & singularum quædam compendia scripsit, quæ in operibus eius *p. 519. seqq.* quanquam mutila nonnullibi & aliunde interpolata leguntur.

§. VII. Porro nec plures peruasisse artes ad æuum Caroli Magni, Academiæ Parisinæ conditoris, doceri potest ex Alcuino, Caroli Præceptore, cuius quidem de septem artibus (quanquam & in hoc præter Grammatica Rhetorica & Dialectica nihil reperias, desunt enim cætera) liber legitur *f. 1246. Operum.* De sublimiore vero Philosophia, quam postera ætas ex Aristotele tradidit, altum satis ipsius est silentium. Illud vero ipsum quoque dubitari aliquo modo video a Conringio, an non per ea tempora, excluso etiam Quadriuio, solum regnauerit Triuium. Sic enim inquit *p. 80. Liberalium ipsa illa artium disciplina arctis minutæ literaturæ limitibus circumsepta fuisse videtur, Triuio videlicet, vt tum loquebantur h. e. Grammatica, Rhetorica & Dialectica. Quadriuium tamen h. e. Arithmeticæ, Geometriæ, Musicæ & Astrologiæ rudimenta quædam ex parte accepisse non negauerim.*

§. VIII. Quicquid autem huius rei sit, idem *d. l. in præcedentibus* affirmare non dubitat, nullam tum (cum scil. nasceretur Parisiensis

ensis Academia) Theologiæ, nullam artis Medicæ, multo mimus vllam aut Romani, aut Pontificii iuris professionem fuisse: nempe, quod vt alibi *p. 44.* loquitur, captus eius temporis non esset maior, & sacra studia maluerit Imperator Episcopis demandare. Atque in huius rei memoriam Rectorem Parisiensem scholæ semper ex ordine philosophico præfici, testatur *idem p. 79. e Ioh. Filesaco*, nempe quia sub primam institutionem Caroli Magni sola hæc Facultas in vsu fuisset recepta.

§. IX. Quod ergo in præcedentibus Obseruationibus e Lansio retulimus, Parisiensem Academiam potissimum pro sacra Theologia institutam fuisse, id aut reiiciendum est, ne pugnet cum historia certa, aut commoda quadam interpretatione restringendum. Hoc certum interim, Theologica professione apud Parisienses nihil aliquot seculis fuisse floridius, *Conring. p. 44.* Sed ea sub Capetanis tandem Regibus accessit, *ibid.* ac seculo inprimis XI. celeberrimis Professoribus inclaruit. Vixerunt enim ea ætate, atque in Parisiensi schola docuerunt Anselmus Laudanensis, Guilielmus Campellensis, Petrus Abelardus, (a quo Theologiæ Scholasticæ capienda videntur exordia) Gilbertus Porretanus, & Petrus Lombardus, nobilis ille sententiarum Magister, *Id. p. 45. 46.* Sorbonam

autem Lutetiæ A. 1263. Robertus quidam fundauit. *Caluiſ. Chronol. p. 999.*

OBSERVATIO XIX.
ARTES ET PARTES QVID DIFFERANT? GARZIO. DICTARE.

SVMMARIA.

Diſtinctio Artium & partium apud ſcriptores aui barbari. Locus eam in rem Alani §. I. *ſenſus huius loci.* §. II. *Reiicitur explicatio Senftlebii de artibus & partibus* §. III. *Per partes intelliguntur octo partes orationis* §. IV. *Quod illuſtratur ex Saresberienſi.* §. V. *Explicatur ſenſus Epitaphii Alani Inſulenſis.* §. VI. *Garzio in ſeculo barbaro pro puero vel famulo* §. VII. *Dictare pro fingere* dichten §. *VIII.*

§. I.

INuenies apud ſcriptores æui barbari, eos in re litteraria partes ab artibus interdum diſtinguere. Quod inter alios facit Alanus Inſulenſis *in Parabolis Claſſ. VI. parab. 8. p. 158. ed. qua cum notis Andr. Senftlebii prodiit ao. 1663.* Libet hac occaſione totam hanc eius, vt vocat, parabolam ſex diſtichis conſtantem enarrare;

Vt perpendiculo paries æquetur, oportet,
Ne domus hoc ipſo deficiente ruat.

Quo-

Quomodo ſtare poteſt titubantis machina muri,
Si fundamentum debile fallat opus?
A ſimili ſi quis ſublimes, tendit ad *artes*
Principio *partes* corde, neceſſe, ſciat.
Artes poſt *partes* veteres didicere Magiſtri,
Icc irco magnum promeruere decus.
Primo dictantes & poſtea verſificantes
Tendentes ferulæ ſuppoſuere manus.
Partibus imbutos ſapientia duxit Athenas,
Quadriuium triuio continuando ſibi.

Verſu 7 *artes per partes* eſt in editione Senftlebiana, ſed magis placebat *poſt* partes, quomodo exhibet editio operum Alani Antwerpienſis Caroli de Viſch A. 1654. fol. vlt. Neque aliter citat Lexicon Fabro-Buchnerianum in Alanus.

§. II. Summa eſt, partes eſſe quaſi fundamenta quædam artium, ita vt absque partibus præuiis non posſint commode diſci artes. Simile illud Quintiliani, etiam Senftlebio obſeruatum *in notis p. 159.* Grammaticam Rhetoricæ fundamentum conſtituentis *lib. I. c. 4. (al. 5.) Quo minus ſunt ferendi, qui hanc artem,* (Grammaticam) *vt tenuem ac ieiunam cauil-*

lantur, quae nisi oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxeris, corruet.

§. III. Sed quid Alano sunt partes? quid artes? Satis quidem hoc manifestum, esse partes aliquid artibus inferius, quodque disci prius debeat, quod ille quoque Senftlebio citatus versiculus demonstrat:

Qui nescit partes, in vanum tendit ad artes.

Quem & reperies apud Neandrum *in Versib. Leoninis Ethicae veterum adiectis p. 118.* Sed vtriusque vocabuli accuratior notio quaeritur. Senftlebius artes interpretatur Sapientiam & maiores disciplinas, partes vero disciplinas inferiores & artes particulares. Quod subobscurum est. Puto autem eum Sapientiae nomine Theologiam, maiorum disciplinarum vocabulo facultates caeteras superiores, artium denique particularium philosophiam intellexisse. Sed cum certum sit, artium vocabulo veteres ilios Triuium & quadriuium (quorum & vltimo versu mentio apud Alanum) h. e. septem, quae vocantur artes liberales intellexisse, necesse est, aliam interpretationem circumspiciamus.

§. IV. Et artes quidem quid sint, iam ita est explicatum. Partes autem intelligo partes orationis, atque adeo rudiorem illam Grammatices notitiam, qualem solent hodie haurire pueri e Donato. Aelii certe Donati

&

& nomen, & libellum in ſcholis illa quoque conſeruauit ætas barbara, & ad nos vsque ſic deduxit, vt hodie quoque libri pueriles, illa Grammaticæ artis initia continentes, cuiuscunque ſint ſcriptoris, paſſim appellentur nomine Donati. Et vero in Grammaticæ Latinæ Autoribus antiquis Aelii Donati editio ſecunda inſcriptionem habet *de partibus Orationis, p. 1743.* In eodem Volumine *de Oratione & partibus orationis* inſcribitur liber Diomedis. *p. 274.* Memini quoque puer non raro audire cantilenam, haud dubie a Monachis ad noſtra tempora deriuatam, in qua eſſet: Septem ſunt artes, octo ſunt partes.

§. V. Quid multis? ſatis clare id, quod dixi, probat diſtichon hoc, quod recitat Iohannes Saresberienſis *lib. VII. Policrat. c. 12. p. 385.*

Garzio quisque *duas* poſtquam ſcit iungere *partes*,
Sic ſtat, ſic loquitur, velut omnes nouerit *artes*.

Vbi duæ partes ſunt ex illis octo duæ præcipuæ, quaſique ceterarum, vt ab Andrea Gvarna Cremonenſi vocantur, in bello Grammaticali, Reges, nomen & verbum. Hinc & Phocæ Grammatici ars de nomine & verbo inſcribitur *in opere dicto Grammaticorum p. 1687.*

Item P. Consentii *ars de duabus orationis partibus, nomine & verbo p. 2018.* Itaque *iungere duas partes* ibi est, nomen, vt vocamus, construere verbo.

§. VI. Atque ex his iam interpretor Epitaphium Alani Insulensis, cuius hoc initium est:

Alanum breuis hora breui tumulo sepeliuit,
Qui duo, qui septem, qui totum scibile sciuit.

Sensus, Alanus ille (qui Doctoris vniuersalis titulo passim celebratur) non duas tantum partes orationis, non septem tantum artes liberales, sed omnes quoque scientias, (puta, vt erant illo tempore, mortuus autem Alanus est anno 1294. vt ex reliqua epitaphii parte, quam omisimus, docet Carolus de Visch in vita Alani) animo suo complexus est, nisi malis forte per illa duo physicam & ethicam accipere. Non igitur assentior eruditissimo Iohanni Gebhardo, *qui in vita Alani parabolis eius cum notis Senftlebii praemissa p. 9.* duorum nomine vtrumque ius intelligit, ciuile & canonicum. Multo minus Mich. Maiero, qui *lib. VI. Symbolorum Aureae mensae p. 261.* latere hic putat arcanum Chymicum: quia philosophi (i. e. Chymici) in turba (libro sic in-

inſcripto) meminerunt, imbibitiones faciendas iuxta proportionem duorum ad ſeptem aut vnius ad tria, vt paſſim quoque a Chymicis hæc pondera inculcentur. Fallitur autem idem Maierus in eo quoque, quod Alanum Inſulenſem, confundit cum Alano, quicunque tandem ille eſt Chymiſta.

§. VII. Porro in illo Saresberienſis diſticho Gartio vel Garcio Gallorum & Italorum ex idiotiſmo puer eſt, Garcon & Garzone illi vocant. Quare & γαρζονοςάσιον, locus Conſtantinopoli, vbi pueri ſtabant & γαρζϛ́νιον, puer, apud Meurſium *in Gloſſ. Græcobarb. p. 129.* Interdum etiam, vt puer ſeruum ſeu ſeruulum notat; Ingulphus in hiſtoria (*f. 688. ſcriptorum rerum Anglic.*) *habeatque clericum ſeu gartionem ſuo ſeruitio ſpecialiter attendentem.* Dauid de Hug. *c. 46. formulæ interior. hom. p. 172. pannoſus gartio vileſcit inter purpuratos.* Eundem hinc corrige *c. 17. p. 135. Sicut Magnus decepit grationem* (lege *gartionem*) *vt putet, ſe in equo ſedere, & ſedet ſuper faſciculum paleæ.* Plura de hac voce dabunt Voſſ. *lib. I. de vit. Serm. c. 1. p. 4.* Reineſ. *lib. III. Var. Lect. c. 10. p. 494.* Barthius *animadv. in Guilelm. Briton. p. 644. & 712.*

§. VIII. Redeo ad carmen Alani, in quo verſus etiam *dictantes* diſtinguuntur, a *verſificantibus.* Vbi dictantes interpretor fin-

gentes, vt sensus sit, prius fingi aliquid & excogitari oportere, quod sit carminis materia, tum demum huic materiæ formam versuum imponendam: nam elocutionem omnino præcedere debet inuentio. Dictare **dichten** exponunt vocabularia barbara, vt Gemma Gemmarum, & Iohannis Melberi vocabularius prædicantium. Sic dictamen **ein Gedicht**/ dictator **ein Dichter**/ vt credam, voci alioqui satis latinæ nouam esse significationem impositam e linguæ nostratis vocabulo soni non adeo diuersi. Alias non ignoro, dictamen illius æui hominibus etiam esse poëma ipsum, & dictatorem, poëtam, quo sensu & nobis **ein Gedicht** / **ein Dichter** vsurpantur, vt scilicet non solum officium inueniendi intelligatur, sed & eloquendi ratio metrica. Vetus translatio vitæ Aristotelis Auctore Ammonio scriptæ *p. 18.* *Aristoteles iuuenis adhuc existens doctrinam eloquentiæ docebatur, vt declarant Homerica commenta scripta ab eo, & Iliadis dictamen, quod dedit Alexandro.* Vbi Nunnesius *in notis p. 58.* *Poëma a barbaris vocabatur dictamen.* Vincent. Bellouacensis *lib. XX. Spec. historial. c. 108.* ex Helinando: *Hildebertus Cenomanensis Episcopus, Berengarii Turonensis discipulus, versificator & dictator egregius.* Quæ eadem leges

&

& apud Antoninum *Volum. II. historialis Tit. 16. c. 9. f. 203.*

OBSERVATIO XX.

STATVS ACADEMIARVM, ET IMPRIMIS FACVLTATIS PHILOSOPHICAE POST RECEPTVM ARISTOTELEM.

SVMMARIA.

Connexio cum praeuidentibus §. I. Aristotelica Philosophia iam floruit in Academia Parisiensi seculo duodecimo, quod probatur ex loco Saresberensis §. II. In quo per Peripateticum Palatinum intelligitur Abelardus §. III. Notatur Filesacus, qui putauit, Palatini vocem esse hic titulum honoris pluribus Philosophis communem. §. IV. Ostenditur erroris origo. §. V. Abelardus autor Theologiae Scholasticae §. VI. Illo tempore etiam Physica & Ethica Aristotelis floruit §. VII. Versiones duae primae vniuersales Operum Aristotelis. §. VIII. Probantur dicta vlterius, §. IX. Ab illo ergo tempore distinctio artium & Philosophiae. §. X. & duplex studium, literarum & Philosophiae. §. XI. In quibusdam Academiis alii Studiosi Grammatices, alii Studiosi Laureae, alii Candidati Magisterii. §. XII.

§. I.

§. I.

MOnitum iam in ſuperiori Obſeruatione, duas fuiſſe Barbariei Academicæ facies, vnam ante, alteram poſt receptum in Academias Ariſtotelem. Priorem ſimul ibi per numeros ſeqq. expoſuimus. Hic dicendum de poſteriore.

§. II. Quo ſeculo præciſe patefacta ſit Ariſtotelicæ philoſophiæ ianua apud Pariſienſes, a quibus in alias Academias eam peruaſiſſe vix dubium eſt, accurate demonſtrare non poſſum. Hoc ſcio, circa annum 1136. eam ibi iam floruiſſe. Teſtem do Ioannem Saresberienſem, cuius *lib. II. Metalogici. c. 10. p. 84.* hæc ſunt verba de ſe ipſo. *Cum primum adoleſcens admodum ſtudiorum cauſa migraſſem in Gallias, anno altero, poſtquam illuſtris Rex Anglorum Henricus, Leo Iuſtitiæ rebus exceſſit humanis.* (morti huius Caluiſ. Chronol p. 918. annum Chriſti adſcribit 1135.) *contuli me ad Peripateticum Palatinum, qui tunc in monte ſanctæ Genouefæ clarus doctor & admirabilis omnibus præſidebat. - Deinde poſt diſceſſum eius adhæſi magiſtro Alberico, qui inter cæteros opinatiſſimus Dialecticus enitebat, & erat reuera Nominalis ſectæ acerrimus impugnator.* Si fuit Pariſiis Peripateticus Doctor, ſi ſciſſa Philoſophia in ſectas Nominalem & oppoſitam huic Realem, quis dubitet, Ariſtotelis ibi dogmata fuiſſe ſu-

ſce-

ſcepta, quorum expoſitionem conſtat his duabus ſectis occaſionem dediſſe?

§. III. Porro Nominalium ſectæ ſtuduit ille ipſe, quem hic Saresberienſis nominat, Peripateticus Palatinus. Is vero fuit Petrus Abelardus, vt clare intelligitur ex *lib. II. c. 17. p. 99.* quo loco recenſet ipſa Nominalium inter ſe diſſidia; vt paulo poſtRealium. Verba eius adſcribemus. *Alius conſiſtit in vocibus (licet hac opinio cum Rucelino ſuo fere omnino iam euanuerit;) alius ſermones intuetur, & ad illos detorquet, quicquid alicubi de vniuerſalibus meminit ſcriptum. In hac autem opinione deprehenſus eſt Peripateticus Palatinus Abelardus noſter.* Alioqui Peripatetici Palatini ſatis crebra eſt apud Saresb. mentio. Quære præterea *lib. I. c. 5. p. 14. Lib. III. c. I. p. 129. c. 4. p. 147. c. 6. p. 156.* quibus vide in locis, certum eſſe non alium intelligi præter Abelardum.

§. IV. Fallitur Iohannes Fileſacus, exiſtimans, PeripateticumPalatinum vſurpari a Saresberienſi, tanquam commune omnibus, modo ſinceri eſſent, philoſophis elogium, non vt certo alicui propriam periphraſin. *Quoniam* (inquit, *lib. III. Select. p. 133.*) *in multorum reprehenſionem philoſophi olim venerunt, ne quis promiſcue damnatos omnes fuiſſe credat, veteres ſinceros & veros philoſophos a fucatis & falſis ſecernere conſueuerunt. Hinc nonnullos a Cice-*

Cicerone quasi Consulares appellatos refert B. Augustinus, quoniam eorum magni penderet auctoritatem. S. Ambrosius de Platonicis adeo magnifice sensit, vt Platonis Patriciam prosapiam appellet. Peripateticos Palatinos dixit Ioannes Sarisberiensis.

§. V. Decepit doctissimum virum locus e *lib. I. Metalogici c. 5.* (quem & in margine citat) perperam intellectus, vbi hæc leguntur: *Sed & alii viri, amatores literarum (vtpote Magister Theodoricus, artium studiosissimus inuestigator, item Wilhelmus de Conchis Grammaticus post Bernhardum Carnotensem opulentissimus, & Peripateticus palatinus, qui Logicæ opinionem præripuit omnibus coætaneis suis, adeo vt solus Aristotelis vsus crederetur colloquio,) se omnes opposuerunt errori.* Putauit, ad Wilhelmum de Conchis pertinere, vt opulentissimi Grammatici, sic & peripatetici Palatini titulum, & hunc quidem tanquam elogium aliquod cum quolibet illi præclaro philosopho commune. Sed collatio tot locorum, quibus Peripatetici Palatini inserta mentio est, dubitare nos non sinit, quin solum hoc elogio dignum habuerit Abelardum Saresberiensis.

§. VI. Atque hic Abelardus discipulus fuit illius Rocelini, seu Rucelini, de quo supra §. 3. Saresberiensem loquentem audiebamus, qui idem sectæ Nominalis autor primus memo-

moratur; Discipulus inquam in philosophicis. Nam in Theologia, quæ ipsa quòque iam tum caput erigebat apud Parisienses, audiuit Anselmum Laudanensem & Gvilielmum Capellensem, vt ex Ottonis Fris. *lib. I. de Gest. Frid. Imp. c. 47.* Filesaco item *lib. I. Select. p. 356.* intelligimus. Atque ab hoc Abelardi tempore, si Trithemium sequimur *p. 74. de script. Eccles.* philosophia secularis sacram Theologiam sua curiositate inutili fœdare cœpit: vt merito Scholasticam Theologiam ab Abelardo auspicemur; id quod recte fieri, pluribus ostendi *in Schediasm. histor. p. 62. 63.*

§. VII. Abelardi auditor fuit vt supra §. 2. docuimus Io. Saresberiensis, quo tempore, ne quis putet forte solos Aristotelis logicos libros, (nam in his enarrandis fere Nominalium atque Realium contentiones surrexere) publice notos fuisse, age doceamus, ex eodem Saresberiense, physicæ quoque & Ethicæ doctrinas floruisse. Sic ille *lib. I. Metal. c. 24. p. 58. Physica exploratis naturæ consiliis de promptuario suo affert multiplicem colorum venustatem. Illa autem, quæ ceteris philosophiæ partibus præeminet, Ethicam dico, sine qua nec philosophi subsistit nomen, collati decoris gratia omnes alias antecedit.* Scripsit eos libros vel certe aliquam eorum partem Saresberiensis eo anno, quo Adrianus Papa IV. mortuus est, (*vide*

de ipsum libri IV. cap. 42.) h. e. anno 1139. (*Calvis. Chronol. p. 933.*)

§. VIII. Tametsi vero iis temporibus nondum natæ erant Aristotelicorum operum versiones duæ vniuersales, quarum altera circa annum 1220. iussu Friderici II. Imperatoris partim e græco, partim ex arabico sermone (*Conring. p. 95. de Antiq. Acad.*) altera anno 1271. rogatu Thomæ Aquinatis e græco (*Auentin. lib. VII. Annal. f. 566.*) procurata est: tamen qualescunque librorum Aristotelicorum in vario philosophiæ genere translationes æuo Saresberiensis prostitisse, probatum est hactenus. Imo simul cum Aristotele Platonica quoque Philosophia euigilauit: quomodo enim alias Bernardum Carnotensem, perfectissimum inter Platonicos sui seculi memorare, potuisset idem Saresber. *lib. IV. c. 35. p. 226.* Quomodo, eundem Carnotensem cum sectatoribus suis operose egisse, vt componerent inter Aristotelem & Platonem? *lib. II. c. 17. p. 101.*

§. IX. Atque cum his, quæ diximus consentiunt etiam, quæ leguntur ap. Franciscum Patricium *Tom. I. Discuss. Perip. lib. XI. f. 144.* his verbis: *post Boëtium philosophiæ studia omnino interierunt in Italia, quæ sexcentis post annis, circa annos scil. 1140. reuirescere cœperunt.* Solet enim annus 1140. passim adscribi Abelardo

lardo, Saresberiensis præceptori, quem circa annum 1136. audiisse se fatetur ipse supra §. 2. Alstedius quoque *p. 284. Chronologiæ* Parisiensem Academiam scribit sub Ludouico VII. Rege Galliæ valde creuisse. Hunc autem ab anno 1138. vsque annum 1181. regno præfuisse, tradit idem Alstedius p. 246. Successor illi fuit Philippus II cognomine Augustus, ad quem alias a Carolo Magno infantiam Parisiensis Academiæ extendit Filesac9 *lib. I. Select. p. 351.*

§. X. Quæ dicta sunt hactenus, & imprimis §. 7. euincunt cum Aristotele physicam quoque & Ethicam, partes philosophiæ Realis, Academiæ Parisiensi se miscuisse. Quæ ita haud dubie præter illas liberales artes vulgatas Philosophiam quoque sublimiorem sparsit in auditores doctrinæ publicæ, atque hoc institutum in alias quoque transmisit Academias. Hinc ergo cœptum est in circumscribendo Facultatis nostræ studio, non modo Artium, sed insuper philosophiæ vocabulum vsurpari.

§. XI. Ac suspicari licet, ab his temporibus duplicē quasi philosophici studii cursum cœpisse vt alter esset incipientiū, alter prouectiorum: illis artium, his philosophiæ doctrinam haurientibus. Vestigia talis instituti deprehendes in Academia Louaniensi, inqua Facul-

tatis artium h. e. philoſophiæ, ſtudium duplex memorat Vernulæus *lib. II. Acad. Louan. c. 6. p. 116.* Philoſophiæ & literarum.. *Philoſophiæ*, inquit, *ſtudium biennio decurritur, Logicæ enim nouem circiter menſes dantur, vni naturali ſcientiæ octo, Metaphyſicæ quatuor, repetitionibus demum philoſophiæ totius vltimi tres impenduntur* (Ethicæ quoque profeſſionis mentio eſt *p. 123.*) De literarum vero ſtudio *p. 122.* hæc tradit, *Literarum ſtudium iam a condicta Academia in quatuor Gymnaſiis florentiſſimum fuit: In iis Grammaticæ Rhetoricæque Profeſſiones quam plurimæ.* Vbi a veteri ratione illud quodammodo recedit, quod Logica non litterarum ſeu Artium, ſed philoſophiæ ſtudio annumeratur. Sed fuiſſe tamen ea videtur in confinio quaſi literarum & philoſophiæ. Nam *p. 118.* ait, Iuuenes, Logicæ ſtudioſos, in celebri totius Academiæ conſeſſu de quæſtione aliqua Ethica, quam Præſes Profeſſorum aliquis proponat, ſententiam ſuam dicere: hoc modo ſe philoſophiæ ſtudioſos profiteri, nullum vero gradum conſequi.

§. XII. Clarius a Reali philoſophia Logicam diuellit Academia Roſtochienſis, ſed eadem tamen Grammaticam a cæteris artibus liberalibus ſeparauit, vnde ſtudioſorum tres ordines. Aeſtimari hæc poſſunt e ſequentibus verbis Arnoldi Burenii (vixit hic ſuperio-

te

te seculo) *oratione de disciplina in Acad. Rostochiensi: scholasticos nostræ Philosophicæ scholæ distribuimus in Auditores Grammaticos, studiosos Laureæ & Magisterii candidatos. Auditoribus Grammaticis horis antemeridianis proponimus priuatim Epistolas Ciceronis, & præcepta Etymologiæ; pomeridianis autem vel Comœdias Terentii, vel poëma aliquod - & præcepta Syntaxeos & prosodiæ - studiosis Laureæ Dialectica & Rhetorica præcepta priuatim traduntur - publice his elementa mathematum, vt Arithmetica, sphærica quæstiones, & alia eiusdem generis. - His vero, qui ad Magisterii philosophici petitionem se parant, præcepta physica ethica & politica Aristotelis, Theorica planetarum, Euclides, Ptolemæus publice enarrantur.*

OBSERVATIO XXI.

VOCABVLI PHILOSOPHIA MVLTIPLEX ACCEPTIO: ET AD SVPERIORES FACVLTATES ACCOMMODATIO.

SVMMARIA.

Alius significatus Philosophiæ cum quis vocatur bonarum artium & Philosophiæ studiosus, alius cum quis dicitur simpliciter studiosus Philosophiæ. §. *I. & II. Scilicet Philosophia sumi-*

tur vel latiſſime pro omnibus quatuor facultatibus, vel ſtricte pro quarta facultate, vel ſtrictiſſime pro ſola Philoſophia reali §. III. Latisſima acceptio probatur ex loco Beſoldi & Gumpelzheimeri, qui oſtendit, Philoſophos etiam dici Medicos & ICtos §. IV. De Theologis locus Schotani §. V. Politici & ſimiles diſciplinarum practicarum ſtudioſi modo ſub philoſophorum voce comprehenſi, modo iis oppoſiti: Elegans locus Quintiliani. §. VI. Adhuc quædam de Medicis §. VII. Significatio Philoſophiæ lata & ſtricta. §. VIII. Variatio in diuerſis temporibus circa recenſendas diſciplinas philoſophiæ, quæ principalis dicitur, & quæ inſtrumentalis. §. IX.

§. I.

CVm artium & philoſophiæ ſtudioſum aliquem vocamus, certum eſt, philoſophiæ vocabulum, ne idem bis dicatur, ſic accipi, vt notet aliquid ab artibus diſtinctum, h. e. ſenſu ſtricto pro philoſophia Reali ſeu ſublimiore. Late enim accepta comprehendit artes, quæ nullæ hic aliæ, quam liberales illæ quidem, ſed inſtrumentales intelliguntur. At vero, cum quis eodem ſenſu tantum appellatur philoſophiæ ſtudioſus, dubitare poſſis, latene an ſtricte Philoſophiæ nomen vſurpetur. Vtrumque enim defendi

di poteſt, ſed alterum abſque tropo, alterum non niſi per tropum.

§. II. Tropo non opus eſt in acceptione lata, hoc enim ſenſu philoſophiam qui dicit, inſtrumentales iuxta cum principalibus diſciplinis habet in animo. Synecdoche vero partis pro toto, ſi ſtricta notione capiens philoſophiæ nomen, h. e. pro principalibus doctrinis, nihilominus inſtrumentales quoque ſubaudiri velis. Valebit enim hic illud, ſæpe a potiori denominationem fieri. Hæc omnia rectius vt intelligi queant, varias, quæ ſunt in vocabulo philoſophiæ, acceptiones diſtinguemus, non omnes tamen, ſed ſolas eas, quæ ſupra de philoſopho Artiſta dictorum & ſequentium illuſtrationi inſeruient.

§. III. Sic autem dicemus in vniuerſum. Philoſophia capitur vel latiſſime, vel late, vel ſtricte. Latisſime pro qualibet liberali; h. e. liberum hominem, non ſeruuum decente, & a quo ſolemus hodie doctos ab indoctis diſcernere, eruditione, ſiue ſit ea, vt nunc loquimur, Theologorum, ſiue ICtorum, ſiue Medicorum, ſiue Philoſophorum (a ſuperioribus diſtinctorum.) Late, pro quarta tantum & vltima in hodiernis Academiis Facultate, ſic tamen, vt Grammatici quoque Linguæ vtriusque profeſſores, item Dialectici & Rhetores, & ſi qui diſciplinarum inſtrumentalium

ſunt, alii comprehendantur. Stricte pro ſola philoſophia reali ſeu principali, in qua videlicet ſunt diſciplinæ philoſophicæ reales, Phyſica, Metaphyſica, Ethica, Politica, & ſi quas alias his adiungere mos eſt, quam & ſublimiorem, vt hactenus factum a nobis, ſalutare pergemus in poſterum. Atque hæc acceptio inſtrumentales diſciplinas excludit.

§. IV. Ad latisſimam acceptionem referas verba Beſoldi *c. 3. de Iure Academiarum, n. 5.* [*V. Polit. p. 169.*] *Erat olim philoſophia rerum diuinarum humanarumque encyclopædia, eaque comprehendebat, quicquid mens humana ſcire aut capere poſſet.* Sed digna imprimis, quæ deſcribantur, verba ſunt Georgii Gumpelzheimeri *diſſertationis de Politico n. 61. p. m. 49.* quanquam Theologorum ibi ſpecialem facere mentionem oblitus eſt. (cuius tamen eo in loco ſententia, politicam a philoſophia excludentis, cum grano multi ſalis capienda.) Sic autem ille: *probe notandum priſcis temporibus aliquando vocabulum philoſophiæ late* (nobis hoc erat latisſime) *ſignificaſſe omnis diſciplinæ doctrinam, cum nondum ſpecialibus diſtinctæ erant nominibus* (vera ne cauſa hæc ſit, an alia inquirenda, nunc in medio relinquo.) *Ita enim Hippocrates l. de elegant. Medicos dixit philoſophos. Ita Vlpianus in l. iuri operam 1. §. I. De iuſtitia & iure, Iurisprudentiam, veram, non ſimu-*

ſimulatam appellat philoſophiam, vide Marq. Freher. in parerg. lib. I. c. I. Sic Alexander laudatur ab Iſocrate in quadam Epiſtola, quod ex ſtudiis philoſophicis non improbaret etiam illam partem, quæ verſatur in litibus. Hinc Plin. Iunior in Epiſtolis: Nulla laudabilior philoſophiæ pars eſt, quam agere negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere & exercere iuſtitiam, quæque philoſophi doceant, in vſu habere.

§. V. Theologorum, vt dixi, nulla in his eſt mentio. Nos igitur defectum hunc ſuppleamus. Omitto ea, quæ hanc in rem iam dixi in programmate Baccalaureali Anni 1663. Iulii Menſis. Facit huc imprimis Chriſtiani Schotani, ex quo intelliges Gentilibus pariter & Chriſtianis Theologiam philoſophiæ nomine veniſſe. Sic enim ille *præf. ad Lectorem Bibliothecæ Hiſt. Sacræ* [* 6] *Id quod olim pollicebantur apud Perſas magi, apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Babylonios Chaldæi, apud Aegyptios Hierophantæ apud Gallos Druidæ, apud Græcos philoſophi, id pollicetur & præſtat doctrina ſacrarum literarum, quam Deus e cœlo reuelauit, nos autem a Iudæis accepimus. Philoſophia enim nihil aliud eſt, quam Theologia Græcorum Gentilium, vt Theologia noſtra eſt Philoſophia Chriſtiana, definierunt eam viuendi Magiſtram, κάθαρσιν κ̀ θεραπείαν τῆς ψυχῆς, vt quæ vitia expellat, imaginem & ſimilitudinem Dei a-*

nimæ induat. Theologia perfecte docet Medicinam animæ, cuius ne quidem morbos philosophi agnouerunt. &c.

§. VI. Factum hinc fortasse, vt philosophia Politicæ, & Politico Philosophus olim a gentilibus opponeretur, qua de re egi *Schediasm. §. 6. p. 2.* Theologiam enim illi principem ponebant scientiarum speculatiuarum, philosophiæ autem nomen contrahere amabant ad solam speculatiuam partem. Vicissim de Politico studiorum genere, in quo & Iurisprudentiam, (practicam inprimis illam intelligo) non male, opinor, colloces, ita disserit Quintilianus procemio suarum institutionem, vt illi quoque philosophiæ nomen communicare, saltem ex loquendi vulgata consuetudine, videatur. *Neque enim hoc concesserim*, inquit, *rationem rectæ honestæque vitæ, vt quidam putarunt, ad philosophos relegandam, cum vir ille vere ciuilis & publicarum, priuatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis vrbes, fundare legibus, emendare iudiciis possit, non alius sit profecto, quam orator. Quare tametsi me fateor vsurum quibusdam, quæ philosophorum libris continentur: tamen ea iure vereque contenderim esse operis nostri proprieque ad artem oratoriam pertinere. — Fueruntque hæc, vt Cicero apertissime colligit, qemadmoduum iuncta natura, sic officio quoque*

copu-

copulata, vt iidem ſapientes atque eloquentes haberentur. Scidit deinde ſe ſtudium, atque inertia factum eſt, vt artes plures eſſe viderentur. -- Inde quidam contempto bene dicendi labore ad formandos animos, ſtatuendasque vitæ leges regreſſi, partem quidem potiorem, ſi diuidi poſſet, retinuerunt, nomen tamen ſibi inſolentisſimum arrogauerunt, vt ſoli ſapientiæ ſtudioſi vocarentur: quod neque ſummi Imperatores, neque in conſiliis rerum maximarum ac totius adminiſtratione Reip. præclarisſime verſati, ſibi vnquam vendicare ſunt auſi. -- Ac veterum quidem ſapientiæ profeſſorum multos & honeſta præcepiſſe, & vt præceperunt, etiam vixiſſe, facile conceſſerim: noſtris vero temporibus ſub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute ac ſtudiis vt haberentur philoſophi, laborabant, ſed vultum & triſtitiam, & diſſentientem a cæteris habitum pesſimis moribus prætendebant. Nunc autem quæ velut propria philoſophiæ aſſeruntur, pasſim tractamus omnes. Quis enim non de iuſto, æquo & bono, modo non vir pesſimus, loquitur?

§. VII. Merentur hæc vltima conferri cum illo Vlpiani (ſupra §. IV.) ICti Philoſophi veræ, non ſimulatæ philoſophiæ titulum Iurisprudentibus vindicantis. De quibus hic nihil addo. De Medicis autem illud, quod & Marq. Freherus *lib. I. parerg. c. c. I.* obſeruauit, a Diocle Chariſtio (rectius Caryſtium ſcri-

 bemus

bemus) Medicinam ſub philoſophia comprehenſam. Vocat enim in Epiſtola ad Antigonnm τὴν φιλοσοφίαν τὴν περὶ τῶν ὑγιεινῶν, interpres reddidit, *philoſophiæ partem, quæ incolumitatem tueri docet.*

§. VIII. Secundum hactenus ergo dicta, nulla eſt facultatum ſuperiorum, cui non fuerit aliquando philoſophiæ titulus a quibusdam impoſitus honoris ergo, adeo ſanctum hoc & venerabile nomen habitum fuit quondam: Noſtris autem moribus nomen hoc velut ab aliis faſtiditum reſedit in Facultatem hanc noſtram, quæ ſuperioribus illis ſtudioſam iuuentutem præparat. Atque hic iam locus eſt acceptionibus duabus reliquis, quas §. III. latam vocabamus & ſtrictam. De quibus ita diſſeri poſſit: cum philoſophia late dicta diuidi ſoleat in principalem & inſtrumentalem; Inſtrumentalis autem nomine vſurpentur artes inferiores, quæ olim liberales appellabantur: ſtricte dictam Philoſophiam eandem eſſe cum principali. Verum hic monendum tum liberalium artium, tum ipſius philoſophiæ late acceptæ aliam aliis temporibus diuiſionem in reales & inſtrumentales diſciplinas placuiſſe.

§. IX. Nam hodie quidem inde vsque ab æuo Auguſtini ſeptem numerantur artes liberales, inferiores intellige, & Philoſophiæ ſubli-

ſublimiori famulantes, certo modo intellectæ, atque in his Dialectica etiam ſeu Logica. Vetuſtiores autem Logicam artibus ancillantibus exemptam, Philoſophiæ potius dominanti adiungebant, id quod oſtendi in programmate ſæpius citato Baccalaureali. Vtram vero cunque ex his duabus opinionem retineas, quatuor Mathematicæ ſcientiæ, Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtronomia, ſunt & ipſæ in numero artium famulantium, vt adeo poni ſic debeant in philoſophia inſtrumentali. At nos aliter hodie, ſi vulgo receptam partitionem tuemur. Inſtrumentalis enim philoſophiæ nomine ſolum complectimur, quod veteres vocabant Triuium, Grammaticam puta, Rhetoricam, Dialecticam, cui & Poëtica iungitur. Mathematicum autem illud Quadriuium receptum eſt in ordinem philoſophiæ ſublimioris, eius, quam realem vel principalem vocamus. Sed hæc alibi accuratius perſequenda ſunt.

OBSERVATIO XXII.

CHYMICI PHILOSOPHI. LAPIS PHILOSOPHORVM.

SVMMARIA.

P*Hiloſophorum nomen in ſpecie de Chymicis obſeruatum* §. I. *Locus eam in rem Sennerti. Chymi-*

Chymici Philosophiam suam vitalem nominant. §. II. Et Lapidem suum Lapidem Philosophicum, cuius definitio traditur. §. III. Quamuis de eius existentia multi dubitent; Patriarchas ope lapidis Philosophici tam longæuos fuisse. §. IV. Dictum ex Apocalypsi misere contortum ad Lapidem Philosophorum. §. V.

§. I.

DIctum est Observ. præced. (respice ad §. IV. & VII.) Philosophorum nomen etiam Medicis accommodatum, olim fuisse. Retinet id æuo nostro secta Medicorum ea, quam Chymicam vocant & Paracelsicam. Retinet autem non modestiæ causa, quasi e stylo æui nostri, quo philosophi eruditorum infimi censentur; sed ad priscam loquendi rationem respiciens, quæ summum eruditionis fastigium in philosophia posuit.

§. II. *Sunt*, inquit Sennertus *c. 1. de Chym. cum Aristotelicis & Galenicis conf. & diss. pag. 2. qui arti huic* (Chymicæ) *Philosophiæ nomen κατ' ἐξοχὴν, sed nimis arroganter atque insolenter, attribuunt: vulgatumque iam est apud Chymicos, eos inprimis, qui circa artificium aurum conficiendi occupantur, Philosophos, Philosophorum filios, & libros hac de re scriptos libros Philosophorum appellare. Atque hinc liber, in quem multo-*

multorum de χρυσοποιΐα sententiæ collectæ sunt, Turba Philosophorum inscribitur. Etiam hodie Chymici plerique suam Philosophiam vitalem appellant; Aristotelicos vero Elementares & materiales nominant, verba sunt eiusdem Sennerti *c. XI. dicti libri p. 268*, Quibus similia leges *c. 33. p. 387. Suam Philosophiam*, inquit, *vitalem appellant, vtpote quæ non ex materialibu. elementariis & mortuis, quæ Aristoteles, Galenus & Auicennas habeant, principiis deducta sit, sed circa explicationem vitalium principiorum, seminum & potestatum versentur.*

§. III. Hinc igitur & lapidem illum suum artifices isti cognominant philosophicũ, de cuius secretis & circumferunt librum, si credimus, Hermetis Trismegisti, teste Sennerto *d. l. c. 3. p. 46. Intelligunt autem nomine lapidis philosophici nescio quam Medicinam suam uniuersalem, per quam & metalla possint transformari, & omnes morbi sanari* : Micræl. *Lex. Philos. p. 665.* Henricus Nollius, Chymistarum haud postremus, *tract. de silent. Hermet. p. 739. Phys. Herm.* ita definit : *Lapis Philosophorum est spiritus vniuersi, incubatu suo aestuans aquas atque in medicinam, tam superiorum, quam inferiorum virium habitaculum, digestione philosophica deductus, eaque virtute præditus, vt imperfectis substantiis perfectionem sua ipsius communicatione ingeneret. Et mox p. seq. Lapis*, inquit

quit, *legitime administratus metalla imperfecta in auri statum deducit, vegetabilibus maturationem, virorem & vigorem inducit, animaliaque quæcunque, siue sint bestiæ, siue rationales creaturæ, si quo morbo infecta fuerint, stupendum in mo..um ab ea minima dosi liberat. Imo hominem Angelica exornat sapientia, ita vt nihil in vniuerso fiat & inueniatur, quod non cognoscatur eius vsu legitimo.*

§. IV. Satis magnifice. Sed audiamus & Sennertum *c. 18. libri ante citati p. 565.* cui hoc monendum videtur, *non paucos quidem de Medicina vniuersali multa gloriose prædicare, paucissimos vero, imo forsan nullos, eam explicasse.* Et *p. seq.* optandum inquit, *potius hoc medicamentum, quam sperandum; nec hactenus inuentus quisquam, qui omnes sanauerit, aut ea, quæ Chymici suo lapidi Philosophico in curandis morbis attribuerunt, præstiterit &c.* Ad iactantiam vero illam etiam hoc referendum, quod enunciabimus verbis Andreæ Libauii *Histor. Panaceariæ sect. 2. c. 8. (part. IV. singularium p. 605.) iactitant absque vllo fundamento, in sacris literis extare eius* (lapidis philosophici) *fabricationem, & Patres vitam produxisse eius beneficio, atque hanc ipsam ob causam tam paucos morbos fuisse in primo mundo. Sed cum postea amissa esset eius notitia, morbos inualuisse, aliamque medicinam in-*

uen-

uentam esse, donec spagyri eum in lucem denuo protraherent.

§. V. Quo loco recordor eius, quod alibi olim legisse memini. (scil. ap. Dilherr. *lib. 3. Elect. c. 21. p. 587. seq.*) Fuit enim e Chymistis, qui crederet se lapidem illum philosophicum in Apocalypsi reperisse. Quod enim *c. 2. v. 17.* legitur: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, id in fontibus Graecis est: δώσω ἀυτῷ ψῆφον λευκήν. Vertit aliquis germanice opinor, einen weisen Stein/ sed hoc ipse, quasi esset einen Weisen-Stein/ interpretatus est de sapientum isto lapide. Verum vim sermonis rectius assequitur versio B. Lutheri; ich will ihm geben ein gut Zeugnüß. Deducta enim phrasis est a more calculis siue lapillis edendi suffragia, quae, si bona essent, atque fauoris plena, lapilli albi iniectione prodebantur.

OBSERVATIO XXIII.

CHYMICI ARTISTAE. ELIAS ARTISTA.

SVMMARIA.

Etiam nomen Artistarum ad Chymicos applicatum. Fundamentum totius magisterii Chymici. §. I. Vaticinia Theophrasti de Elia Artium

tium excerpta ex Raphaele Eglino. §. II. Primo de Elia Artium in genere §. III. Tum de aliquo certo individuo in specie §. IV. De tempore aduentus istius Heliæ Artistæ §. V. Similis assertio, de Elia Artista Fraternitatis roseæcrucis. §. VI. Item Chiliastarum seculo præcedentis §. VII. Bernardi Penotti sententia, vaticinium Theophrasti de Elia Artista, exponentis de Isaaco Hollando, iocose magis, quam serio §. VIII. Fabula de Elia Artista orta haud dubie ex opinione quorundam Patrum Ecclesiæ de reditu Enochi & Eliæ ante diem extremum. Locus hanc in rem Augustini §. IX. Et alius ex tractatu eius spurio, item ex Tertulliano §. X. Quæ tamen opinio & ipsa erronea esse & vnde ortum duxerit, ostenditur §. XI. Somnium Theophrasti refutauit ipse euentus. Somnia Patrum Ecclesiæ refutarunt alii multi. Lutherus tertius Elias quo sensu. §. XII.

§. I.

QVo tempore Theophrastus Paracelsus illam aliis ex metallis aurum fabricandi artem Chymicam præter cæteros restaurare conatus est, nondum ita desuetum erat Artistæ vocabulum, quin eo ipse adhuc; non tersissimi autor stili vteretur. Ea re factum, vt artis illius peritis quemadmodum philosophorum nomen, sic & Artistarum accommodaretur tum latina, tum

tum germanica in lingua. Ac memini, me quondam rythmum legisse in hanc sententiam:

Das ist ein recht gelehrter Artist/
Der weiß/ daß das untere gleich dem obern ist.

Quæ haud dubie alludunt ad prima verba tantopere deprædicatæ Chymicis, vt quæ fundamentum totius Magisterii Chymici comprehendat, Tabulæ Smaragdinæ, cuius autorem volunt esse Trismegistum Hermetem. Sic enim ea (apud Sennertum *c. 3. de Consf. Chym. p. 44.* Nollium *c. 2. de vero Hermete p. 701. Phys. Hermeticæ* & alios passim) incipit: *Verum sine mendacio, certum & verissimum: Quod est inferius, est sicut id, quod est superius; & quod est superius, est sicut id quod est inferius ad perpetranda miracula rei vnius.*

§. II. Circumferuntur & quædam quasi vaticinia Theophrasti de Helia artium, seu Helia Artista, qui seculi aurei percursor tum alias artes ac scientias, tum illam imprimis Chryso-chymicam perfecte sit orbi reparaturus. Ea nos describemus e Raphaele Eglino, cuius de hoc Helia artium peculiaris extat disquisitio Lipsiæ A. 1606. impressa, maximam tamen partem id agens, vt conficiendi auri artem aduersus Balthasarem Hagelium, Benedictum Pererium, Iesuitas, & alios

defendat. Placet autem simul ex Eglino excerpta facere, e quibus ipsius de isto Elia sententia possit cognosci.

§. III. *Quod ad Heliam*, inquit, *artificem attinet, bifariam fere de eo in libris suis Theophrastus, semel in genere, vt cum c. 8. de Vitriolo in hæc verba scribit*: Quod vilius est, Deus patefieri sinit, quod autem maioris momenti est (*nempe transmutatio in aurum*) vulgo adhuc latet vsque ad Heliæ Artistæ aduentum, (*quædam exemplaria habent, vsque ad artem Heliæ*) quando is venerit. *Quibus explicationis ergo addit*: Æque enim artes Heliam habent, ac de cætero intelligitur. *Hæc ille, quæ indefinite & generatim dicta nemo non ad periodos temporum referenda intelligit, quibus certa proportione orta crescunt, & ad suam ἀκμὴν perveniunt.*

§. IV. *Iterum Paracelsus de isto Helia artium definite & in specie loqui deprehenditur, generalius dictum ad hypothesin referens, & vni singulari homini accommodans, non vt significationem generalem tollat, sed vt doceat, collectiuum illud nomen Heliæ ad indiuiduum certum vsque propagari κατ' ἐξοχήν. Sicut enim Ciceronis seculum aureum fuisse dicitur, quo linguæ latinæ puritas ad summum venustatis gradum peruenit, quæ tamen in vno Cicerone præ cæteris vires suas explicuit: Ita si quis Heliam Latinæ linguæ tunc emi-*

emicuiſſe dicat, h. e. tempore Ciceronis in quam- pluri mis, in ipſo vero Cicerone præcipue, nihil opinor a ſententia Paracelſi diuerſum dixerit. Heliam igitur artium ac præcipue Chymiæ καθ' ἕνα *ſic proponit libris mineralium tractatu primo*: poſt me veniet, cuius magnale nondum vivit. *Hæc cap. 4. tincturæ phyſicæ explicare videtur, cum inquit*: Horum arcanorum adhuc plura ſunt, quæ transmutationes efficiunt, licet perpaucis ea ſunt cognita. Nam etſi cuipiam a Deo patefiunt: tamen laus & præconium illorum non ſtatim in vulgus percrebeſcit, Deo cum arte prudentiam alios celandi præſtante, vsque ad Heliæ Artiſtæ aduentum. Tunc patefiet, quicquid eſt reconditum. *Quin imo tunc aureum & gratiæ ſeculum pollicetur. Mirum ſane hominis vaticinium, præſertim de vno quodam ſingulari poſt ipſum venturo, cuius, vt inquit, magnale ſe viuente nondum viuat, h. e. qui in rerum natura nondum exiſtat.*

§. V. *Transſeamus ad alteram noſtræ diſquiſitionis partem, in qua tempus Helianum explicandum. Diſtinguit Paracelſus ſeculum, quo ipſe vixit, vt profitetur arcanorum Monarcha, a ſeculo poſt ipſum venturo.* Quinquageſimo igitur octauo anno ipſius theoriam futuram in flore *ait*, quo tempore omnes ei ſint adhæſuri, & in naturæ perueſtigandis arcanis ipſius ſecu-

turi veſtigia: praxin item conſecuturam admirandam operibus & ſignis, ita vt in vulgus paſſim atque infimam plebem abeant & probentur. *Hæc ille, quæ in quinquageſimum octauum annum non ſeculi, quo vixit, ſed ſubſequentis (iſto nempe milleſimo ſexценteſimo) euentura prædici apparet ex libris mineralium cap. de Vitriolo.* Hæc nunc ex Eglino dediſſe ſufficiat, cuius de Helia Artiſta diſquiſitio, vt & hoc obiter addam, eodem, quo Lipſiæ, anno, hoc eſt 1606. etiam Marpurgi prodiit, ſed ſub fictitio nomine Heliophili a Percis Philochemici, & ita, vt appareat, vtramque editionem a quodam tertio interpolatam fuiſſe.

§. VI. Cæterum de Helia Artiſta opinionem Paracelſi ſecuta eſt illa quoque Fratrum Roſeæ crucis lucifuga ſocietas, quæ circa annum ſeculi huius decimum ſextum, vulgato Germanico libello, quem famam fraternitatis inſcripſerunt, in eoque Theophraſtum illum *p. 10.* non vulgari ornant encomio, caput exeruit. Qua de re loquentem audiemus Lucam Oſiandrum ex ea appendicula, quam de Elia poſtremi ſeculi, (quem alias *c. 3. admonitionis de quorundam vaticiniorum corruptelis p. 39.* Artiſtam fabuloſum Eliam Paracelſicum vocauerat,) ſuæ præſentium temporum conſiderationi adiecit. Sic autem ille *p. 34. Cum non parum tur-*

barum

barum iſthoc noſtro ſeculo homines fanatici quidam (Roſeæ crucis Collegio Vtopico addicti) in Ecclesia etiam inde dederint, quod Eliam quendam propediem venturum, & iam in procinctu verſantem certo expectandum doceant, qui in religionis negotio omnia in melius emendaturus, vnam & certam ſalutis viam, huiusque (ipſorum quidem peruerſa opinione) non niſi ſub nube traditam paucisſimisque exacte cognitam, planiſſime & plenisſime commonſtraturus, ſed & omnes artes etiam abſtruſiores (& inter has primario Chemicā ac philoſophici lapidis compendioſam compoſitionem) propalam revelaturus, in cæteris vero rebus omnibus reformationem orbis vniuerſalem per omnes ſtatus & Hierarchias inſtituturus, omnesque illius aſſeclas ad temporalem quoque felicitatem perducturus ſit: &c. Idem *p. ſeq. Ante biennium*, inquit, *circiter* (circa annum igitur 1621) *Germanicus quidam libellus non neminem expreſſo proprio nomine & cognomine, eundem Eliam, iam antea ſingulariter promiſſum orbi, commendare publicis typis fuit auſus.*

§. VII. Suaue illud de nouo quodam Elia ſomnium placet etiam ſeculi noſtri (ſcripta eſt hæc obſeruatio anno 1672.) Chiliaſtis, qui quidem e tribu Gad oriundum expectant, & ipſius miniſterio Iudæos ad fidem Chriſti conuertendos augurantur, de quibus vide Ioh. Gerhard. *Tract. Theol. de fundamen-*

 tis

tis Chiliauismi p. 169. & Georgii Rostii Heldenbuch vom Rosen-Garten *Cap. III. q. 8. p. 110.* Chiliastis autem hic se associant Alstedius quoque *diatribe de mille annis Apocalypticis p. 113.* & qui Alstedii ipsissimis de Elia verbis loquitur, Andreas Rollius *in Halcyoniis Ecclesiarum Euangelicarum c. 4. p. 17.* cum eoque ad Theophrastum Paracelsum, Michaëlem Sendiuogium, Stephanum Pannonium lectores remittit suos.

§. VIII. Aliam tamen interpretandi illius Paracelsici Eliæ rationem Bernardus iniit Penottus, cuius verba transscribemus huc e Sennerti eum citantis *c. 4. de consensu Chym. p. 93. 94. Si extarent*, inquit, *Iohann. Isaaci Hollandi opera, & in lucem mitterentur, Paracelsi opera sepelirentur. Hic ipse Isaacus Hollandus ille est, de quo Paracelsus vaticinatus est dicens: Et veniet post me Elias Artista, qui abdita rerum patefaciet. Prauidebat Paracelsus Isaaci opera tandem fore manifesta, & peruentura ad manus doctissimorum virorum.* Nempe vult, Penottus, quod & sequentia eius apud Sennertum verba declarant, præcipua Paracelsum sua opera suffuratum fuisse ab Isaaco isto Hollando, alia item ex Arnoldo, Raimundo Lullio & aliis. *Quibus*, inquit Sennertus, *& si per omnia fidem non habeam, & Paracelsi scripta autoribus istis collata non vbique respondeant:*

omnia

omnia tamen non sunt de nihilo, vt allegatos auctores legenti patet. Sed quæ de de Elia Artista dicit ibi Penotus, iocandi animo potius, quam quod ita sentiret, ab eo prolata crediderim. Quis enim sibi persuadeat, illo de Elia vaticinio Theophrastum sua furta prodere voluisse? Neque vero patiuntur hanc interpretationem commode illa, quæ fide Raph. Eglini e Theophrasto hac de re citauimus supra §. 3.

§. IX. Sic autem opinor, cum iam inde vsque a satis vetustorum Ecclesiæ patrum temporibus inualuisset persuasio de Elia, quem siue Antichristus, siue venturus ad iudicium Christus ipse, siue vterque præcursorem esset habiturus; facile illam suam quoque fecerunt Theophrastus, Roseæ Crucis fratres, Chiliastæ, aliique fanatici, prout commodum cuique videretur, eandem interpolantes. De Patribus vnius atque alterius testimonium sufficiat hic nobis. Augustini verba sunt *lib. XX. de Ciu. Dei c. 30.* (*Tom. V. Op. f. 1260.*) quibus ipse quidem paucis multa complectitur: *In illo itaque iudicio, vel circa illud iudicium has res didicimus esse futuras: Heliam Thesbiten, fidem Iudæorum, Antichristum persecuturum, Christum venturum iudicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque di-*

remptionem, mundi conflagrationem, eiusdemque renouationem.

§. X. Sub eiusdem Augustini nomine legitur & *Tractatus de Antichristo* (spurius tamen procul dubio) *Tom. IX. Op.* vbi *f. 1189.* hæc legas: *Ante eius* (Antichristi) *exortum duo prophetæ mittentur in mundum, Enoch scil. & Helias, qui contra impium Antichristum fideles Dei diuinis armis præmunient. - Filios autem Israël, quicunque eo tempore fuerint inuenti hi duo maximi prophetæ & doctores ad fidei gratiam conuertent &c.* Tertullianus *lib. de anima c. 50. Translatus est Enoch & Helias, nec mors eorum reperta est, dilata scil. cæterum morituri reseruantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant.*

§. XI. Plura in hanc rem Patrum loca dabit Calixtus *libro de supremo iudicio sub. tit. p. 33. seq. Eliæ & Henochi reditus frustra expectatur,* qui *p. 54.* Traditionem illam e mendo græcæ versionis & incertis coniecturis ortam esse pronunciat. Videntur quoque hac in re somniis Rabbinorum nonnihil tribuisse. Nam & hos constat, ipsissimum Heliam Thesbiten, quem eundem & patres rediturum credebant, sui, quem adhuc expectant Messiæ præcursorem, ex male intellecto Malachiæ loco, imaginatos.

§. XII. Emendauit hunc errorem aliquo modo Theophrastus, & illum Thesbiten E-

liam

liam quiescere passus est. In eius autem locum excitauit nescio quem Artistam & Chrysopœam, scripturæ penitus ignotum, quæ religionem videlicet curare solet, non illas metallicas artes. Vt autem colorem induceret huic phantasmati persuasum esse voluit, Eliam suum non minus ab artibus postulari, quam a sacra religione. Respice ad eius verba supra §. 3. citata. Sed eius quidem ineptias ipse iam refutauit euentus, neque enim seculi nostri annus quinquagesimus octauus, quem ille prædixit (§. V.) vllius Eliæ Artistæ fuit ferax. Omittamus ergo nos illa de Elia siue Paracelsi, siue Chiliastarum siue denique Pontificiorum, qui a patribus quibusdam inchoatum de Elia Antichristi præcursore adhuc expectando errorem fortiter continuant, somnia, satis a nostris explosa. Vide Osiandrum, Gerhardum, Rostium, Calixtum *locis supra citatis.* (quibus iungi etiam poterit Thomas Brightmannus *c. 6. de Anti-Christo*) Qui simul scripturæ sacræ loca, quibus e Malachia inprimis & Apocalypsi solent abuti somniatores, ab horum vanis interpretamentis vindicabunt, simul docebunt, quo sensu admittendum sit, quod B. Lutherum nostrum solemus interdum tertii Eliæ titulo insignire. a)

a) Solet ille color prætendi. Elias primus purgauit Ecclesiam a Baalitis: Elias secundus seu Johan-

nes Baptista se opposuit Pharisæis: **Lutherus** Papæ, tanquam AntiChristo. Potest tolerari ut simile, si modo memineris, omne simile claudicare. Neque diffitendum si fateri volumus, quod res est, nos forte non multum causæ habere, cur Pontificiis sua somnia obiiciamus, cum nostri a talibus non sint immunes. Si quis enim occasionem quærat, qua discipuli Lutheri sunt commoti, vt Lutherum cum Elia compararent, deprehendet, id magis factum esse ex odio parum laudabili erga discipulos Melanchthoris, quam ex amore Evangelicæ doctrinæ a Luthero inculcatæ. Patebit assertio, si quis consideret scripta Cyriaci Spangenbergii, qui & ipse primus videtur esse qui Lutherum inuidioso hoc, an dicam superstitioso titulo insigniuit. Edidit enim is Mansfeldæ anno 1564. seq. nouem conciones in honorem Lutheri, in quibus ostendere intendit: Lutherum fuisse verum Equitem sacræ militiæ, verum virum Dei, magnum Prophetam & *verum Eliam*, verum Apostolum, verum Paulum, verum Iohannem Euangelistam, maximum & præstantissimum Theologum a temporibus Apostolorum, verum Angelum Domini, & illum ipsum Angelum, cuius mentio fit Apocal. XIV. Vno verbo verum Idolum Theologastrorum seculi decimi sexti.

OBSERVATIO XXIV.

De OSWALDI CROLLII SIGNATVRIS RERVM INTERNIS.

ARGVMENTVM.

§. I. Crollius claruit sub initium superioris seculi. §. II. Fuit Vir veritatis amantissimus

mus. §. III. Multa detegit praeiudicia in re medica & Theologica. §. IV. Erat pius atque deuotus. §. V. Scripsit tractatum de Signaturis rerum. §. VI. in eo volens nolensque suam confiteri debet ignorantiam. §. VII. Pauca enim sunt corpora, quae descripsit, & in iis tamen multa, quorum signaturam omisit. §. VIII. Inepte autem supponit; Deum vnicuique plantae ac corpori dedisse signaturam membris humani corporis analogam. §. IX. In plerisque tamen haec ἀναλογία est valde ἀνόμαλος §. X. Nec sibi satis constant Semiologi, vnde petenda sit signatura in plantis. §. XI. Neque signatura animalium est certior. §. XII. Ea autem in inanimatis est maximam partem ἀπόκρυφος §. XIII. Probatur, artem Semioticam non fuisse imaginis diuinae particulam. §. XIV. Nec protoplastos in statu innocentiae habuisse rerum naturalium notitiam. §. XV. Diluitur obiectio I. de ὀνοματοθεσία animalium Adamitica. §. XVI. Ostenditur, nomina animalium Hebraica nihil de essentia eorum in se comprehendere. §. XVII. Nec Adamum absoluere potuisse ὀνοματοθεσίαν vno die, si signaturam animalium respicere voluisset. §. XVIII. eamque nec solo visu, nec aliis sensibus simul explorare potuisse. §. XIX. Diluitur obiectio 2 de signatura arboris Scientiae boni & mali ab Eua perspecta. §. XX. Obiectio 3 de Adamo, quod Euam nunquam antea visam e signatura cognouerit.

§. I.

§. I.

CLaruiſſe Oswaldum Crollium ſub initium ſuperioris Seculi, & illuſtriſſimi Principis Anhaltino-Berenburgici Chriſtiani Senioris fuiſſe Ἀρχίατρον tum e dedicatione Baſilicæ eius Chymicæ, tum ex Priuilegio Cæſáreo eidem præfixo conſtat.

§. II. Vt autem Vir fuit veritatis ſtudioſiſſimus, ita omnem omnino mouit lapidem, vt eam conſequeretur ipſe,& conſecutam aliis, qua fas eſt,fidelitate rurſus impertiret. Quippe non ſolum per Galliam,Italiam,Germaniam,Hungariam,Poloniam & Bohemiam peregrinatus eſt, diſcendi ſtudio; ſed & meditationi diligenti & experimentis Chymicis ſe totum tradidit,deditque operam,vt myſteria Naturæ panderet ſibique & aliis perſpecta redderet.

§. III. Atque hinc factum,vt non ſolum in re medica & Chymica complures ψευδοδοξίας Galenicorum,Scholaſticorum & Spagyricorum deprehenderet; ſed in Theologia non omnia probaret promiſcue, videretque interdum in ipſa ἀναλογίᾳ fidei receptæ quædam ἀνόμαλα.

§. IV. Cæterum Vir pius erat atque deuotus; Idque tum ex ſcriptis eius vniuerſim tum imprimis e præfat. Baſilic. Chymic. liquet

quet, vbi pag. 13 ſcribit; *Vera medicina, de qua implorata prius diuini auxilii aſſiſtentia hic agere decreuimus, eſt merum Dei altiſſimi donum, non ab Ethnicis ſed a ſupremo vniuerſali Rectore, ſolo videlicet Deo, dierum antiquiſſimo & errare neſcio, Luminum patre petenda & diſcenda. Ideo non ex Creaturis, ſed ex Deo diſcenda eſt ſapientia, qui omnium arcanorum conditor ſolus ſcit, quas proprietates cuique creato indidit. Nunquam non a mortali Praeceptore aut litera mortua tam recte & commode diſcitur, quam ab eo, qui omnium rerum eſt perfectus artifex - Medicus naſci debet e lumine gratiae & naturae ab interno & inviſibili homine, interno angelo, luce naturae, quae inſtar veri Doctoris hominem inſtruit, prout Spiritus S. Apoſtolos linguis igneis inſtruxit &c.*

§. V. Quod autem plerisque vſu venire ſolet Spagyricis, vt ſe Vulcani beneficio in ſinu naturae reperiſſe autument, non *quod pueri in faba*; id noſtro Oswaldo etiam accidiſſe, ſcripta eius omnia & imprimis tractatus ille, *de ſignaturis rerum internis*, qui Baſilicae Chymicae in fine connexus eſt, abunde loquitur.

§. VI. Sicut tamen in eo id agit quam maxime, vt demonſtret, *omnes herbas, flores & arbores, aliaque e terra prouenientia eſſe quaſi libros & ſigna Magica ab immenſa potentia Dei nobis communicata, per quorum cognitionem ad veram Medicinam, tanquam ad ſignatum peruenire qui-*

re-

remus; Ita in omnibus fere pagellis suam nolens volensque confiteri debuit ignorantiam Spagyricam, tantum abest, vti hancce suam *Semioticam* indubitatam reddere, & fulcris Scientificis inædificare potuerit.

§. VII. Vt enim Oratione non attingam perpauca admodum ex infinita multitudine esse corporum genera, quorum Signaturam Oswaldus noster citato libro describere annisus est, adeoque ex iis non magis posse confici Systema Semioticum, quam ex particularibus quibusdam potest elici principium vniversale; Quot quæso in eo derelicta sunt, quorum ipse Signaturam reperire nondum potuit? Zingiber ventriculo conducere p. m. 22. scribit, sed signaturam eius ne extremis quidem digitis attingit, vnde non inepte coniicimus, eam ipsi adhuc Semiotico-didascalo fuisse Ἀπόκρυφον!

§. VIII. Et sane si conclusiones Semioticæ cum suis præmissis eandem habent certitudinem, non possunt non esse incertissimæ. Quid enim quæso potest fingi incertius, quam istud principium, ex quo iuxta Crollium p. 1. Præfat. hæc scientia tota in suo cognosci dependet; Scilicet *Deum vnicuique plantæ ac corpori dedisse signaturam membris humani corporis analogam*: Quasi vero Deus omnia creasset propter hominem, vel quasi ho-

homo tanquam Microcosmus omnium Plantarum lapidum, Metallorum, Arborum, Mineralium, aliorumque corporum, quæ in hoc Macrocosmo visuntur, complecteretur imaginem ἀρχέτυπον. Imo vero eundem hanc non complecti, demonstratu est facillimum. Etenim si quædam signatura est in herbis aliisque corporibus membris corporis humani ἀνάλογ☉, aut Deus creauit hæc ad illorum similitudinem & effigiem, aut illa ad horum similitudinem & effigiem, aut illa ad horum: Sed neutrum est. Non enim reliqua corpora ad hominis vel membrorum humani corporis similitudinem creare potuit, quia homo post omnia creatus est; Nec hominem ad ἀνακογίαν illorum fingere. Primum, quia secundum signaturam solius Dei creatus dicitur, deinde quia rationi non videtur consentaneum, perfectum secundum signaturam imperfecti creatum esse; Ac id, quia confictæ huius signaturæ similitudo tam est dissimilis, vt dissimilius vix quicquam dari possit.

§. IX. Quæso enim te, Lector beneuole, an quicquam potest inueniri, quod guttis sanguineis sit dissimilius, quam flores Lilii Convallii? Ego sane signaturam horum florum mitræ cubiculariæ similiorem esse existimem, quam guttæ sanguineæ, & tamen Crollius l.c.

p. 27

p. 27. ſcribit; *lilii conuallii flos habet guttæ ſignaturam, quia flos quaſi gutta pendet; Ideo in Apoplexiæ morbo magnus eius vſus eſt.* Et quis in pennis pauoninis mammillarum muliebrium ſignaturam reperiſſet vnquam? Tamen Crollius l. c. pag. 21. ait *Specula pennarum Pavonis habent mammillarum & vberum formam, ideo hauſta ſanant vbera male affecta.* Taceo ſexcenta alia exempla huius commatis, vbi inter ſignum Macrocoſmi & ſignatum Microcoſmi eiusmodi ἀναλογία eſt, qualis apud nos in Spelunca Baumanniana inter typos & Antypos reperitur. Quippe quæ ita comparata eſt, vt niſi Hodegeta noſter eandem indicaſſet ſemper, ac dixiſſet v. g. daß ſoll eine Orgel / daß ein Leichſtein ꝛc. bedeuten. Iouem iuro lapidem, me nihil minus, quam Organon Muſicum vel lapidem ſepulchralem ibi concipere potuiſſe: Et plane perſuaſum mihi habeo, non maiora in Morauienſi illa ſpelunca deliteſcere myſteria, in qua noſter Crollius præiudiciis Semioticis & Signaturis rerum ad nauſeam vsque repletus ſe mira & varia ludentis naturæ opificia reperiſſe iactitat. In Præfat. p. 5. ſcilicet

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit
odorem teſta diu.

§. X. Et quid, ſi ſignatura rerum tam certa eſt, vt noſter Oswaldus putat, qui fit, vt Semio-

miotici in ea eruenda tam parum constent sibi,eamque iam in solius nominis, iam in rei ipsius ἀναλογία, quærendam esse autument? Qui fit,vt eam interdum intrinsecus solummodo a gustu, interdum extrinsecus a visu, olfactu, odoratu, auditu &c. desumant? Qui fit, vt eam pro suo arbitrio in quibusdam ad solam radicem, in aliis ad solum caulem, fructum, florem, folia &c. restringant? Scilicet vt habeant incertitudinis κρησφύγετα. & vno fortalitio disiecto ad aliud se protinus recipere queant. Sic cancer viuus ligatis chelis cancro impositus eundem extinguit iuxta Crollium l. c. pag. 43. neque ratione alia extinguit, quam propter signaturam Nominis (Quod Logicis imprimis obseruandum erit imposterum, vt desinant tandem ineptire & in suis compendiis vocem Cancri respectu animalis & Morbi *pro æquivoca casu facta* venditare.) Item Trochomanes vel Capillus Veneris capillos densos, crispos & pulchriores reddit iuxta Crollium *l. c. p. 18.* quia caule hanc signaturam refert. Ac ne signaturam in solo caule residere existimes. *ecce Carduum benedictum, qui lateris puncturis tollendis est aptissimus* iuxta Crollium *l. c. p. 36.* quia foliorum signatura hoc indicat. Et quid a floribus & a radice signaturam posse peti subdubitas? Recordare lilium conuallium, de

quo §. 9. & Zingiber de quo §. 7. diximus, ac cito tolletur omnis dubitatio. Ad fructus autem quod interdum Semiologi nostri se possint recipere, docet Crollius l. c. p. 40. vbi ait, *Ficus strama modo tumere* (spectatum admissi risum teneatis amici.) *adeoque valere ad easdem.*

§. XI. Sed signatura fortassis in animalibus est certior. Imo vero adhuc incertior atque fallacior. Etenim vt non dicam, eam iuxta vulgarem sententiam, cum imagine divina non minus, quam φυτοψίαν in nobis esse deperditam; quam pauca sunt & quam incerta, quæ de ea habet noster Crollius. Ecce enim Alcis posterioris pedis dextram vngulam, quam Epilepsia ingruente sinistræ auri immittere soleat aduersus hunc morbum ob signaturam adhiberi posse autumat; Sed peruelim audire, qua ratione hoc animal in Epilepsiæ paroxysmo, vbi vitales operationes plerumque omnes cessant, sibi tam prudenter prospicere & manum vel potius pedem Medicum accommodare possit. Taceo quod impossibile videtur, vt vngula posterioris pedis dextræ sinistræ auri immitti possit: & tandem etiamsi hæc omnia ita se haberent; tamen Oswaldus noster nunquam persuadebit nobis, se hoc amuletum signaturæ potius, quam experientiæ vel propriæ, vel alienæ debere acceptum.

§. XII.

§. XII. Quod idem de inanimatis affirmare fas ſit. Nam licet de iis etiam non pauca habeat citato loco Crollius, dicatque v. g. p. 43. *Mel ſanare apum aculeos fixos* : tamen æque difficulter perſuadebit prudentioribus, ſe iſtud e ſignatura mellis didiciſſe, ac hiſtoriæ philoſophicæ peritos adducet, vt credant, Peripateticos obambulantes ſuam ſignaturam didiciſſe primum a Cornice, quæ frequenter ſola ſecum ſicca ſpatiatur arena. Vid. eum de ſignaturis p. 56. Vel ſignaturam riſus, quæ eſt in homine, a MÆO aue, deſumptam eſſe, riſum & Cachinnum humanum ad miraculum *imitante* (Ecce egregiam contradictionem! cuius generis plures cum in eius Semiotica, tum in Baſilica Chymica occurrunt, vt p. 86 & alibi.) Adde quod ipſe ſignaturam nullam afferre potuit, ex qua virtutem hanc internam mellis coniecerit, præter effectum ipſum, qui tamen operationis ſignatura non eſt, quia eadem eſt poſterior. Signatura autem operatione prior ſit cognita neceſſe eſt, quia nos in operationis & virtutis cognitionem debet deducere.

§. XIII. Quare ſi nihil aliud de ſignatura proferri poteſt, quam quod Oswaldus noſter de ea protulit, nihil dico amplius, cauſa iam dicta eſt. Quid enim hoc ipſo poteſt eſſe incertius, ineptius & puerilius? Sed hanc

N 2 artem

artem Semioticam fuiſſe particulam imaginis diuinæ contendis? Finge,ita eſſe,hoc parum tibi proderit. Sic enim concedis inſimul,eam hodie eſſe deperditam. Etſi eandem poſſe reſtaurari exiſtimas, a veritate procul abes. Etenim nec intellectus ſibi relictus poteſt excutere peccati Originalis maculas & ſemel ipſum illuſtrare; nec lumen diuinæ gratiæ nos ita exſtruit, vt ad claram & diſtinctam rerum naturalium cognitionem peruenire queamus. Vt enim non dicam, iſtud vix alium ſplendorem impertiri nobis, quam qui ad vitam ſpiritualem ducendam eſt neceſſarius; quis neſcit renouationem noſtram, qua intellectum & voluntatem eſſe imperfectam in hac vita & non omnes ex noſtro animo auferre maculas. Sane Oswaldus noſter ex lumine Naturæ & gratiæ internas rerum ſignaturas didicerat, ſi fides titulo,qui eius Baſilicæ Chymicæ præfixus eſt, & tamen ita in iis adumbrandis hallucinatus eſt, vt non tantum incerta quædam & ieiuna, ſed & falſa non pauca attulerit. Quamobrem & ipſe p. 8. ſe in hac arte profitetur ad huc diſcipulum & cum aliis, ſignaturarum ſtudioſis libenter velle vlterius diſcere ſignificat. Et ſi Iacobi Böhmii libellum perluſtraueris, *de Signatura rerum* quem lumine diuino conſperſus ſcripſiſſe videri vult, deprehendes, eum obſcuriora quidem

dem; ſed non multo certiora nobis tradidiſſe. Etenim vocabulis Spagyricis ita inuoluit omnia, vt iuxta vulgatum Chymicorum proverbium; *vbi palam locutus eſt, ibi nihil dixerit* (vid. Rob. Boyle Chymiſtam Scepticam in Præfat.) & totam hanc Semioticā tam imperfecte delineauit, vt iſtud Terentianum de illo vſurpare queas; *Feciſti probe, incertior ſum multo, quam dudum.* Quanquam id peculiari mandato diuino ſe feciſſe ſcribit *C. 9. l. c. §. 35. pap. 35. Edit. Amſtelod.* vbi ita inquit; **Es lieget in manchem Kraute und Thiere große Heimlichkeit/ wenn dis der Artiſta wüſte zu gebrauchen und kennete es. Die gantze Magia lieget darinnen/ aber wegen des Gottloſen iſt mir zu ſchweigen gebothen/ der es nicht wehrt iſt/ und billig mit der Plage/ damit Er andere Fromme geplaget/ und ſich im Kothe ſudelt/ geplaget wird.**

§. XIV. Age autem & accipe a nobis quare Oswaldo noſtro vix darė queamus calculum, quando ſcribit, Protoplaſtos in ſtatu innocentiæ abſolutam habuiſſe rerum naturalium ſcientiam, & eas omnes ex ſignaturis ſuis cognouiſſe. Nam primum ſi hoc ita eſt, cur Eua ex ſignatura ſerpentis naturam eius non cognouit, perſpexitque protinus, eundem eſſe Metaphyſicum vel transnaturalem, cum ſerpens Phyſicus natura Grammaticus Rheto-

 ricus

cus & Dialecticus esse non possit? Cur ex signatura arboris Scientiæ boni & mali non coniecit, rursum se eius virtute interna maiorem corporis vel aliam perfectionem obtinere non posse, nedum fieri כאלהים Cur adhuc hodie renati & ad imaginem diuinam restaurati in cognitione rerum Spiritualium crescunt tantummodo, non autem in signaturis corporum naturalium, quod tamen deberet fieri, si Semiotica pars imaginis diuinæ fuisset?

§. XV. Equidem obmurmurare te audio ac dicere, duxisse Deum omnia animalia ad Adamum לראות מה־יקרא לו vt videret (scilicet ex signatura) quid vocaret vnumquodque daß er sehe (nicht wie er sie nennete/vt Lutherus habet) sondern was er bey einem jeden in der Benennung eigentlich ausdrücken solle; Sed facilis hic est responsio. Nam primum nulla est consequentia; Deus duxit animalia ad Adamum, vt videret, quid in appellatione eorundem exprimeret E. ex signatura eorum naturam internam perscrutari potuit ac debuit. Quippe & adhuc hodie v. g. canem ad aliquē adferre possum. לראות מה־יקרא לו ad videndum, quid in appellatione eius velit exprimere, quanquam is ipse canis naturam internam per-

peruestigare non possit. Et sicut nos in ὀνομαθεσίᾳ animalium non tam respicimus naturam & formam internam, (quippe quæ nobis est ἀπόκρυφος) quam accidentia externa, nominamusque v. g. canem Braunellgen, si colorem habeat liuidum; Ita Adamum a signatura externa dedisse animalibus sua nomina, non quidem repugnauerim, ast si quis exinde velit elicere, eum perfectissima rerum naturalium scientia imbutum fuisse, & ex signis externis de operatione rerum interna potuisse iudicare, eum profecto ἀσυλλογιστίας accusarem,

§. XVI. Porro si Deus ideo duxit animalia ad primum hominem, vti ex signatura eorum externa internam eorum naturam perspiceret, videretque adeo, quid in appellatione potissimum de essentia illorum exprimeret; Aut ille inseruit de essentia vel signatura interna eorum aliquid suis appellationibus, aut non inseruit. Si nihil, Deus suo scopo excidit & Adamus non bene functus est ὀνομαθεσίας officio. Sin; quæso te, qui fit vt nos audita & intellecta voce אישה vel נשר naturam & essentiam fœminæ vel aquilæ internam non simul intelligamus. Qui fit? vt pleraque animalium vocabula Hebraica ab accidente externo desumta videantur, v. g. צב bufo, a צבה intumuit, quia interdum in-

inflare se solet & intumescere? qui denique sit, vt vnicuique indiuiduo non speciale nomen indiderit, cum vnum ab alio non tantum intrinsecus differat, vt v. g. Petrus per suam petreitatem ab aliis hominibus, sed & extrinsecus, qua signaturam externam ?

§. XVII. Sed obiicis fortassean quid? illa ipsa nomina Hebraica, quæ adhuc hodie in lingua S. superstitant, num ea esse existimas, quæ Adamus animalibus in Paradiso imposuit? Difficile est fateor, hoc affirmare. Nam quis quæso sibi persuadeat columbam v. g. ab Adamo vocatam esse יונה cum testibus Lexicographis & optimis quibusque Criticis appellationem hanc acceperit a ינה *oppressit* eo quod oppressioni & prædæ præ cæteris sit exposita. Cum tamen in statu innocentiæ nec homo homini, nec animal animali insidiatum fuisse, manifestum sit? Et quis Asinum חמור ab Adamo appellatum credat, cum eo tempore nondum חומר vel chomer quoddam extiterit, a quo nobiliores Critici volunt eius nomen descendere? Sed esto, periisse hæc nomina Adamitica cum tota lingua primigenia, quod ego cum argumentis aliis, tum hoc imprimis, (quod nemo adhuc, quod sciam, protulit) adductus non difficulter crediderim; tamen hoc ipso non omnis scru-

pulus

pulus exemtus nobis eſt. Manet, non Adamum non vnicuique ſpeciei tantum, ſed & individuo peculiare nomen dare debuiſſe, quia qua ſignaturam internam & externam non omnino inter ſe conueniunt. Etſi id ipſum nobis conceſſeris, videndum tibi erit, qua ratione vno die abſolui potuiſſet ὀνομαθεσία iſthæc & quomodo tam breui temporis ſpatio perueſtigari natura tot animalium & nomen eſſentiale iisdem impertiri potuerit? Ego ſane etiamſi conceſſerim quibusdam naturæ ſcrutatoribus, dederimque tantum 130 quadrupedum, 150 auium, 30 reptilium reperiri animalium ſpecies; tamen non perſpicio, qui vna luce Adamus tot perluſtrare indiuidua, ſignaturas vniuscuiusque examinare, & tandem nomen naturæ reſpondens cuilibet dare potuerit. Imprimis, ſi ex C. 3. Gen. v. 21 condiſco, non vnum par tantummodo in quauis ſpecie, ſed plura omnino a Deo eſſe creata. Taceo S. Ephræmi ſententiam, qui Adamum hora nona matutina creatum, & tertia pomeridiana lapſum ſcribit, adeoq; breuiſſimum omnino ſpatium appellandis animalibus deſtinatum autumat. Quæ tamen fides penes Auctorem eſto.

§. XIIX. Porro ſi Adamus ex ſignatura coniicit naturam animalium, peruelim ex te audiuiſſe, an viſu tantummodo, an vero aliis

etiam ſenſibus eandem explorauerit? Si viſu tantum; qui potuit dixiſſe v.g. hoc animal eandem ſignaturam cum iſthoc,&c. idem nomen habebit? Cum interna ſignatura, quæ eſt *inuiſibilis*, potuiſſet eſſe diuerſiſſima? ſin aliis etiam ſenſibus, dic quæſo, quomodo iſtud cum verbo ראה conciliari poſſit? & quantum temporis ſpatium ipſi neceſſarium feciſſet, ſi cuiusuis animalis naturam & viſu, auditu, olfactu & tactu dignoſcere debuiſſet? Adde quod in vniuerſo terrarum orbe vix dentur duo animalia, quæ guſtu, viſu, auditu, olfactu & tactu omnino conueniant. Quod propterea te obſeruare velim, vt tandem deſinas putare; *Herbas eiusdem ſignaturæ easdem etiam operationes habere*; Non enim dantur herbæ eiusdem prorſus ſignaturæ, nec dari poſſunt, niſi velis credere, diuerſum eſſe poſſe idem.

§. XIX. Sed Eua tamen, vt ex Gen.c.3.v.6. liquet, ex aſpectu vel ſignatura arboris Scientiæ boni & mali cognoſcebat ſtatim, eam facere prudentem; Adeoque erat omnino Ars quædam Semiotica in primis parentibus. Aſt quæſo te vbi hoc extat? Euam aſpexiſſe arborem & eius fructum deſiderabilem putaſſe eo, quod prudentiam induceret, citato loco legitur, ex ſignatura hoc ipſam collegiſſe, legitur nusquam. Quid quod ex præcedente

te verſiculo contrarium elicitur, vbi hanc operationem arboris ψευδώνυμον ex commendatione ſerpentis, non vero ex ſignatura hauſiſſe manifeſte dicitur. Et ſi tantopere in hac arte verſata fuit Mater optima, cur quæſo ex ſignatura huius arboris non collegit, eam virtute Deificandi nequaquam eſſe præditam; Cur non perſpexit ex ſignatura Serpentis, eundem ſophiſticari malitioſe & nil moliri aliud, niſi lapſum humani generis & interitum?

§. XX. Neque eſt etiam, quod ad Adamum prouoces, dicasque, eum ex aſpectu vel ſignatura ſtatim cognouiſſe Euam, vidiſſeque, eam eſſe carnem de Carne ſua, os de ſuis osſibus. Nam primum non puto te affirmaturum, Adamum atque Evam eandem habuiſſe in carne & osſibus ſignaturam. Tum notionem hanc ex occulto Sympathiæ ſenſu in ſangvine, vel coſtæ inopinato defectu, vel reuelatione ſpeciali diuina habere potuit. Porro de eo, quod eandem ex ſignatura cognouerit, ne γρὺ quidem in S. codice, neque hoc, neque alio loco extat. Ac tandem ſi hæc omnia conceſſerim, dixerimque, fuiſſe in ſtatu innocentiæ Artem eiusmodi Semioticam & adhuc ſupereſſe, tamen idem de ea dicendum nobis eſſet, quod B. Lutherus in colloquiis Menſalibus de Aſtrologia ſcribit;

Ich

Ich bin so weit kommen und beredt in der Astrologia, daß ich glaube / sie sey nichts. Denn Philippus Melanchthon hat mir auch wider seinen Willen bekennet / die Kunst sey wohl da / aber es wären keine Meister / die sie recht kennten und verstünden.

OBSERVATIO XXV. IACOBI ACONTII STRATEGEMATA SATANAE.

SYNOPSIS.

INstituti ratio §. I. Acontii Patria, ætas. §. II. Vitæ studiorumque ratio, §. III. IV. Religionis mutatio. §. V. liberalitas Elisabetha Angliæ Reginæ an spei eius non satisfecerit? §. VI. Exulum cupiditates difficulter admodum explentur. §. VII. Libri Acontii: de methodo, item de ratione muniendi oppida VIII. Dialecticam quoque scribere voluit. §. IX. Regula eius de conscribendis compendiis, item vaticinium de lætiore literarnm facie §. X. Iudicium Acontii de Franeisco Patricio §. XI. quod expenditur. §. XII. Liber Acontii de strategematibus Satanæ, eiusque editiones, §. XIII. Epistola eius de scribendis libris ad Iohannem Wolfium. §. XIV. Diuersa eruditorum de libro Acontii, quem de strategematibus Satanæ scripsit, iudicia, eorumque caussa. §. XV. Elogia quibus ornatus fuit ab Arminianis §. XVI. Censuræ in eum stri-

ctæ

cta, Isaaci Iunii §. XVII. Peltii §. XVIII. Riueti §. XIX. Guilielmi Saldeni §. XX. Accusationum omnium summa capita §. XXI. Elatior animus sine causa ei obiicitur §. XXII. Quo iure arguatur Indifferentismi? §. XXIII. Effatum Acontii de illis, qui de Trinitate non recte sentiunt §. XXIV. Quod a Sandio inter Antitrinitarios non referatur §. XXV. Origo omnium accusationum §. XXVI. Verbis ipsius Acontii exponitur. §. XXVII. §. XXVIII. An inde colligi queat, eum Socinianos in Religionis admisisse societatem? §. XXIX. Sententia Acontii de confessionibus, earumque necessitate §. XXX. quae vlterius illustratur §. XXXI. XXXII. Conditiones confessionis vniuersalis, in qua omnes Christiani adquiescere possint, ex mente Acontii §. XXXIII. Ex quibus colligitur, eum ab omni Scepticismi & Indifferentismi suspicione esse alienum §. XXXIV. Verbis scripturae exprimendam voluit confessionem Acontius §. XXXV. Id quod non semper in malam interpretandum est partem §. XXXVI. Rationes quae in hanc eum induxere sententiam §. XXXVII. Expenditur haec eius opinio. §. XXXVIII. Capita doctrinae christianae quae creditu ad salutem necessaria duxit Acontius §. XXXIX. Confessionis ab eo concinnatae formula, obseruationisque conclusio. §. XL.

§. I.

§. I.

VAria liber iste Iacobi Acontii de stratagematibus Satanæ expertus est eruditorum iudicia. Adeoque de illo, eiusque auctore nonnulla commemorare animus est. Quod priusquam aggrediar, cum subinde libellus iste allegandus nobis fuerit, hoc moneo, vti me editione, quæ Amstelodami A. M DC LXIV in 12 prodiit.

§. II. Tridento ortum Acontium floruisse, constat seculo XVI. Hoc passim ipse indicat de Lutheranorum ac Pontificiorum certaminibus, & horum aduersus illos machinationibus verba faciens. Sic libro *VII. p. 305. Sunt iam anni,* inquit *plus minus quadraginta septem, cum cœpit Lutherus contra Romanam ecclesiam docere &c.* Accedit quod libellum de stratagematibus Satanæ Elisabethæ Angliæ Reginæ consecrauerit. Epistola ad Iohannem Wolfium scripta est Londini XII. kal. Decembr. M D L X I I V, vnde recte a Petro Bælio notatur Morerius, qui seculo XV. eum floruisse auctor est *in Diction. Hist. & crit. T. I. p. 67.*

§. III. Vitæ studiorumque, quam tenuit, rationem intelligere quodammodo licet ex Epistola ad Iohannem Wolfium. *Itaque* inquit, *nostri vicissim otii reddenda tibi fuerit ra-*

tio aliqua. Post illud tempus quo excidit nobis inchoatum illud de methodo opusculum, scis, me bis sedem & locum mutasse. Argentoratum primo, deinde in Angliam, vbi adeo frequenter incidunt mihi a studiis auocationes, vt quantum promoueam profecto poeniteat. Causae fere leues sunt, sed quibus non parere non possum, interim tamen conscriptam iam dudum a nobis nostrate lingua muniendorum oppidorum artem latinam fecimus. Sed versio nouum pene opus fuit, quae mihi scriptio nequaquam facilis extitit, qui primus (quod sciam) hanc rationem arte complecti ausus fuerim, mitto difficultatem noua inuenta latinis verbis exprimendi, hominis praesertim, qui bona vitae parte inter Bartoli, Baldi & eius farinae hominum sordes consumpta, multisque annis aulicae vitae, sed minime tamen otiosae datis, sero admodum ad politiores Musas accesserit p. 396.

§. IV. Discimus hinc Acontium primo Tridento Argentoratum, deinde Argentorato in Angliam se contulisse: discimus, eum maximam vitae partem in studio iuris & aulicae vitae occupationibus transegisse. Simulque patet, cur Philosophus Iure-Consultus, Theologus quibusdam audiat, ob studiorum scilicet rationem, non ob conditionem muneris, cui eum non fuisse adstrictum itidem hinc intelligitur.

§. V. Causa cur Tridento discederet religio-

gionis fuit mutatio. Italis enim veritatem adgnoscentibus non alia fuit ratio saluti suæ consulendi, quam vt eo se conferrent, vbi tuto veritatem profiteri licebat. Si Gisberto Voëtio credimus, Acontius ex eorum Italorum fuit numero, qui hæresibus suis & paradoxis sententiis religionem Euangelicam obtendebant. *Disp. Theol. T. I. p. 491.* quod nonnullos equidem eo tempore fecisse credo, de omnibus id censere iniquum est. In Acontio autem quousque locum inueniat, ex dicendis patebit.

§. VI. Id potius commemorabimus, quod eleganter & pererudite obseruauit Petrus Bælius, eum liberaliter licet ac benigne ab Elisabetha Angliæ Regina exceptum, satis frigide tamen istam beneficentiam laudando, haud obscure indicasse, spei suæ haud vsquequaque fuisse satisfactum. In eadem enim ad Wolfium Epistola ita pergit: *Vt autem quicquid est operæ, id istam in artem conferrem, ex parte priuatis sum rationibus adductus: etenim in hoc voluntario meo exilio inopiam* VTCVNQVE *subleuat, & otii ad alia studia suppeditat* NONNIHIL *impetrato mihi ab huius sapientissimæ atque optimæ Reginæ liberalitate honesto stipendio.* Sortis suæ & conditionis tenuitatem haud obscure videtur indicare, nec tamen a Regina videtur plura desiderare, cuius alibi

quo-

quoque beneficentiam laudat. Mallem itaque, si a tanto viro mihi dissentire licet, benignius & in meliorem hoc interpretari partem.

§. VII. Hoc tamen certum & quotidiana experientia comprobatum, exulum & religionis auitæ desertorum auaris cupiditatibus raro admodum, quantumuis magna liberalitate, satisfieri. Molestum admodum & querulum, imo iniquum & morosum est id hominum genus. Ad quod probandum si vel maxime deessent exempla ex illustrioribus viris, illud tamen M. Antonii de Dominis sufficeret. Sed hoc *ὡς ἐν παρόδῳ*.

§. VIII. Ad libros Acontii accedimus. Et ipse quidem in epistola antea citata ad Ioh. Wolfium primo mentionem facit opusculi sui de Methodo, quod primum ingenii eius fuisse fœtum, exinde colligas. *Post illud tempus*, inquit, *quo excidit nobis inchoatum illud de methodo opusculum &c.* Deinde ibidem meminit libri de ratione muniendorū oppidorum lingua Italica ab eo conscripti, sed in latinam postea ab ipso autore translati: *Interim tamen conscriptam iamdudum a nobis nostrate lingua muniendorum oppidorum artem latinam fecimus.* Sed an lucem adspexerit, non constat. Ipse autem primum se fuisse putat qui rationem muniendi oppida arte complecti

ausus sit. Quam in rem diligentius inquirent, quibus artis huius historiam tradere est animus. Interim conferatur Gabriel Naudæus in *Bibliographia militari p. m. 133.* qui vt diligentissimus est, ita Acontium non prætermisisset, si quid eiusmodi de eo ibi innotuisset.

§. IX. Animus quoque fuit Acontio de Dialectica aliquid commentari: qua de re iterum ipsum differentem audiemus: *Tandem etiam animum ad perficiendam, vel potius de novo inchoandam susceptam olim de Dialectica scriptionem adieci, rem sane difficilem ac fastidii plenam: sed tamen, ni fallor, vehementer necessariam. Videtur enim quæ adhuc extat vtilitates nequaquam præstare tantas, quantas & pollicetur, & præstare videtur posse, si tandem aliquando veram eius adspicere effigiem suum illud exemplar, quod ipsa in natura est impressum, ad viuum referentem licuerit. Quanquam autem minime prolixa futura est scriptio, multo tamen opus habet tempore: tum propter rei difficultatem: tum etiam propter eas, quas mihi ipse indixi, leges. Video quid susceperim: rem videlicet a sexcentis tractatam, vt nisi conspicuus extiterit laboris nostri fructus, nemini non stomachum tanquam sæpe recocta crambe moturi simus. Intelligo etiam, me in seculum incidisse cultum præter modum, nec tam certe vereor, tam eorum, qui regnare nunc*

nunc videntur, iudicia, quam exorientem quandam seculi adhuc paulo cultioris lucem pertimesco: Etsi enim multos habuit habetque ætas nostra viros præstantes, adhuc tamen videre videor, nescio quid magis futurum.

§. X. Lucem ista tractatio dialectica non adspexit non sine insigni rei literariæ, vti credo, damno. Siue enim ingenium doctrinamque Auctoris, siue consilium vsibus, quos pollicetur, dialecticam attemperandi, spectemus, eximium quid atque præstans iure ab autore expectari potuisse, arbitror. Duo tamen in verbis allatis valde notatu digna occurrunt. Primum illud est, quid obseruare illi debeant, qui noua compendia obtrudere orbi erudito gestiunt. Quod si sibi dictum credidissent, qui quotidie eiusmodi quid parturiunt, non tanta librorum inutilium copia orbis laboraret. Alterum, quod vaticinium velut longe certissimum ediderit noster, futuramque sequentium temporum felicitatem in promouendis literis bonisque artibus animo prospexerit.

§. XI. Subiicit hinc quædam de Francisco Patricio, quæ licet a nostro instituto aliena videri possint, referam tamen, quia pauci forte, qui elogia Patricii colligunt, in hoc Acontii loco eiusmodi quid quæsituri sunt. *Vt alia prateream* (ita pergit) *stupore affecerunt*

me non ita pridem dialogi decem de historia & nuperrime totidem de Rethorica nostrate lingua a Francisco Patricio, homine (vt audio) Dalmata conscripti. Quid quaeris? Nihil hercle est propius, quam vt omnes iam Platones atque Aristoteles contemnam, acumen est incredibile, iudicium politissimum, lepore ita condit omnia, vt satietatem afferre prolixitas nulla posse videatur: magna audet, sed ita praestat, vt, si multo maiora polliceatur, facile sit fidem habiturus &c. Equidem serio dico, ex iis, quae videre licuit, ita coniicio, effecturum eum, si vixerit aliquamdiu (vix enim virilem ingressus est aetatem) vt quod inuideat seculum nostrum antiquitati, ingeniorum quidem praestantia, habiturum non sit: erigit mihi crede in spem suo exemplo multorum animos, fore, vt si grauiter contenderint, multo pleniorem firmioremque assequantur rerum quarumlibet cognitionem, quam posse iam quisquam videbatur,

§. XII. Nisi me omnia fallunt, singularis de Patricii eruditione opinio, iudicium illud, aut si mauis vaticinium de feliciori literarum statu, auctori elicuit, quod adeo casui & affectui potius, quam iustis rationibus innixae sententiae tribuerim. Et in Patricio quidem laudando, non magnopere aberrat, saltem eruditissimos viros secum consentientes habet, licet alii ob spretum ferociter Aristotelem, infenso in eum sint animo. Ianus Nicius

cius Erythræus de eo ita: *Franciſcus Patricius Venetus, non huius modo, ſed longe ſuperioris aui Italorum fere omnium multo doctiſſimus, in omni præſtantiſſimarum artium genere, qui occupatiſſima in vita ac ſummorum virorum negotiis pene omnibus, ac fere perpetuo itinerum labore diſtrictus nunquam literarum ſtudia intermiſit, & egregia multa compoſuit, quæ ſummis literatorum omnium laudibus efferuntur. Pinacoth. p. 203.* Nimius tamen eſt in laudando Patricio Acontius & modum excedit.

§. XIII. Sed ad libros Acontii reuertimur. Inter hos ſupereſt, qui primo loco nominari debuiſſet, & qui ſolus fere auctoris nomen ab interitu vindicauit, de Satanæ ſtrategematibus. Editus is ſæpius eſt latine Baſil. M. D. L X V. 8 M D. L X X X I I. 8. M D C X. M D C X X. Amſtelodami M D C X X I V. M D C L I I. 8. Oxon. M D C X X X I. Gallice Baſil. M D L X V. 8. Delphis M D C X I 8. M D C X X I V. 12. Belgice M D C L X. 12. Germanice M D C X L V I I. Baſileæ &c. vid. Chriſtophorus Hendreich *in Pandectis Brandenburgicis p. 35.*

§. XIV. In plerisque editionibus addita eſt Acontii epiſtola ad Iohannem Wolfium Tigurinum, in qua de ratione ſcribendi libros, erudite, plane & accurate differit. Inter

ter plurima autem monita longe ſaluberrima hoc etiam maximopere placet: *mea quidem, hac eſt ſententia, vt quam in ætatem incideris, videas, & quid ſuſcipias; cuius rei gratia; hoc eſt, quanam magna vtilitatis ſpe adductus, expendas etiam atque etiam. Quæ literis mandauit Iohannes Hus, ſi ætatem, qua floruit, reſpicias, plane aurea ſunt: ſi cum noſtrorum hominum monumentis conferas, nullius ſunt pretii.* Immemores huius moniti pleroſque eſſe, qui hodie ad ſcribendum ſe accingunt, vel me tacente, quilibet intelligit.

§. XV. Is autem quem de ſtrategematibus compoſuit liber, plurimorum promeruit & laudes & vituperia. Moderationem nimirum pacisque ſtudium cum vbique ſuadeat, non potuit non iis ſe probare, qui ab adverſariis potentioribus oppreſſi nihil niſi pacis concordiæque ſtudium in ore habent. In quos cum Zelus non raro inconſultus alios armet, hiſce ſuſpectum ſtatim eſt, fugiendumque videtur, in quo vel mentio ſaltem concordiæ & tolerantiæ iniicitur.

§. XVI. Arminianis itaque cur tantopere placuerit iſte Acontii liber, intelligitur, imo, cur tam vehementer diſplicuerit Contra-Remonſtrantibus. Illis *in Exam. cenſuræ præf. p. 11.* audit *vir æterna memoria dignus, quo Satanas iſto tempore maiorem hoſtem vix habuit.*

Iaco-

Iacobo Arminio *in Resp. ad Excerp. Theolog. Leidens. p. 65. diuinum prudentiæ ac moderationis lumen*; Ameſio *præfat. ad Puritam. Anglican.* & Greuinchouio in *Abſterſione calumn. Smoutii p. 125.* δυνατώτατος ἐν ταῖς γραφαῖς *qui ſementem eccleſiæ Anglicanæ calore & rore cœleſti fouit ſedulo.* Quæ & alia eiusmodi diligenter collecta de eo affert V. Cl. Thomas Crenius *Animaduerſion. Philolog. Hiſtor. part. II. p. 31.*

§. XVII. Acerbisſimæ contra aliorum in hunc Acontium extant cenſuræ. Plerique Socinianiſmum obiiciunt. Iſaacus Iunius, *Acontius*, inquit, *homo fuit eiusdem farinæ cum Remonſtrantibus & Socino, totus in hoc, vt omnes ſectas ad vnam vniuerſalem reuocaret, in qua vt in arca Noæ omnium ſpecierum animalia includerentur, & quamuis diuerſo vtentia pabulo conſeruarentur in Exam. Apolog. Remonſtrant. p. 45.*

§. XVIII. Nec mitior in Acontium eſt Peltius, qui itidem Acontium cum Socino in vnam coniicit claſſem, illud maxime obiectans, quod vterque, plura eſſe ſcitu neceſſaria ad ſalutem præter fidem ſeu obedientiam mandatorum Chriſti, negauerit; *in dedicat. Harm.*

§. XIX. His, quem laudauimus V. Cl. Thomas Crenius, addit Riuetum, cuius no-

tas manuſcriptas in Conradi Bergii *praxin catholicam diuini canonis* is primus in lucem produxit l. c. *Miror*, inquit Riuetus, *cur tanti faciat vir doctus iudicium Acontii, hominis ambiguæ fidei & Socinianorum vel prodromi, vel commilitonis, cuius rei gratia ab Arminianis toties recuſus eſt & commendatus etiam in varias linguas vulgares translatus. Huic homini ſcopus fuit, vt ex toto libro apparet, ad tam pauca neceſſaria doctrinam chriſtianam arctare vt omnibus Sectis in Chriſtianiſmo pateret aditus ad mutuam communionem. Vellem, doctiſſimum & pium virum a talibus laudandis & imitandis abſtinuiſſe.*

§. XX. Accedit iſtis Guilielmus Saldenus *de libris varioque eorum vſu & abuſu lib. II. c. III. p. 338.* Cum enim quod de Origene dici ſolet (*vbi bene, nemo melius, vbi male, nemo peius*) de Acontio vſurpaſſet, ſubiicit: *fuit hic Acontius, vir fere doctus, ſed ingenii vt acris quidem, ita & elatioris ac iuſto liberalioris, quin a neſcio quali Scepticiſmo & Indifferentiſmo in ipſam Theologiam introducendo, haud quaquam alieni, quod tractatu ſuo de ſtratagematis Satanæ teſtatum ſatis fecit, libello, (Simone Goulartio iudice) omnium malorum peſſimo. Voëtius ei adſcribit, quod vel imperite vel ſubdole, communem confeſſionis conceptum molitus ſit, ſub cuius vexillo militare poſſint & ipſi Ariani.*

§. XXI.

§. XXI. Video itaque omnia ἐγκλήματα contra Acontium ad tria reuocari posse capita. Indifferentismus namque illi obiicitur, Socinianismus & ingenium elatius & iusto liberalius. Goulartii enim sententia: *Librum istũ Acontii esse omnium malorum pessimum*, cum auctoris summam aut imprudentiam arguat, aut impudentiam ne digna quidem est, in quam inquiratur, aut censura vlla stringatur.

§. XXII. Elatiorem animum Saldenus obiecit, nec tamen vllam sui iudicii affert rationem. Quod vitium etiam quo pacto in illum, qui nihil nisi moderationem pacisque studium spirat, cadere queat, me non capere, lubens profiteor.

§. XXIII. Indifferentismum si ita capiunt, vt protestantes omnes in fundamento consentire crediderit Acontius, & perinde adeo esse, siueLutheranorum, siue Reformatorum partibus addictus sit, hactenus quidem recte illum ei obiici concedo. Quoad ceteras religionis christianæ Sectas, an indifferens fuerit, id enimuero diligentius adhuc puto esse inuestigandum. Certe quoad Pontificios, eum non fuisse indifferentem, satis constat, quippe quorum superstitionem & tyrannidem acriter satis in hocce libello perstringit.

§. XXIV. An Socinianos in religionis suæ admiserit societatem, patebit deinceps.

Interim obstare videtur, quod in Epistola, quam primum in lucem protraxit V.Cl. Thomas Crenius, Sabellianos, ideo, quod non recte de Trinitate & filio Dei sentiunt, reiecit atque damnauit. Cum enim prolixe de mente sententiaque Sabellii disputasset, concludit: *qui ita loquitur vt certo non appareat, eum agnoscere id, quod sit creditu necessarium* (Christum esse filium Dei) *eum pro ecclesiæ membro agnosci non posse, etiamsi non constet, id eum negare & eius forte habendus sit loco, cuius ignoretur fides. l. c. p. 137.*

§. XXV. Iam ad Socinianismum quod attinet, initio id quidem mirum magnopere mihi videtur, cur Christophorus Christophori Sandius in sua Bibliotheca Antitrinitariorum nullam Acontii nostri iniiciat mentionem, cum in more positum sit viro huic, omnes huc trahere, quibus vel leuis quædam Socinianismi suspicio, imo suspicionis vmbra, adspergi potuit, quo ipso, quin multis fecerit grauem iniuriam, nullum mihi superest dubium.

§. XXVI. Sed vt de toto hoc negotio statui rectius queat, iuuabit paucis sententiam Acontii edisserere. Origo accusationum omnium inde orta, quod ad lites inter illos, qui Romani Pontificis iugum excusserant, præscindendas communem quandam confessionis formulam concinnari voluerit, in qua omnes

omnes adquiescerent. Causa, quæ in hanc sententiam Acontium adduxit, honesta satis & prægnans videtur. Videbat, Protestantibus obiici sectarum diuersitatem: calumniam confirmare videbantur diuersæ, quæ hinc inde edebantur, confessiones: hic quid consilii? communem quandam confessionem conscribi volebat, in qua omnes adquiescere possent.

§. XXVII. Hac de re ipse Acontius ita disserit: *ad diluendas calumnias, quibus infamari solent Euangelii professores eo quidem nomine, quod multa eis nefaria valdeque absurda tribuantur dogmata, quæ illi nullo pacto agnoscunt, & illud pertinet, quod iam fieri vbique videmus, vt qualibet aut particularis alicuius loci ecclesia, aut ciuitas aut prouincia, quæ Euangelium fuerit amplexa & priuatim etiam homines nonulli scriptis editis, quæ sit suorum dogmatum summa testentur, eaque ratione Impiorum errorum, quos nunquam non serit Satanas, ad se doceant non pertinere infamiam. Quæ res quam bene eis cedat, expendendum est. Certe quidem aduersarii quod audiunt confessionum nomina, etiamsi in præcipuis religionis capitibus summa sit consensio, tamen totidem videri sectas volunt: faciunt id illi quidem suo vitio, nulla iusta causa, fateor; sed colorem tamen habet calumnia &c. p. 323.*

§. XXVIII. Hæc itaque aliaque hunc in mo-

modum cum edisseruisset, vt ostenderet confessionum multitudinem πρόφασιν calumniæ quam Protestantibus intentabant Pontificii, præbere, tandem concludit: *Meo quidem iudicio nihil præstaret, quam vno accurate concinnato fidei symbolo confessiones alias abolere omnes. Certe enim talis ecclesiarum confessio multas sopiret hominum voculas, multa magnaque tolleret offendicula, quæ Euangelii cursum retardant mirum in modum. p. 325.*

§. XXIX. Aut itaque me omnia fallunt, aut supponit Acontius, eos quibus confessionis formulam præscribit in iis doctrinæ capitibus, quæ cognitu ad salutem sunt necessaria, inter se consentire. Hoc autem an de Socinianis & Protestantibus intelligi queat, ego quidem vehementer dubito, imo plane abnuo. Quicquid sit: Acontius aut in hoc peccauit, quod Socinianos in præcipuis doctrinæ cœlestis capitibus a Protestantibus non dissentire credidit, aut in eo, quod de Reformatis atque Lutheranis id sibi persuasit. Si prius, peccauit quidem enormiter, vix tamen video, quo pacto in hanc sententiam ingredi potuerit: saltem accuratius hoc esset demonstrandum. Si posterius, miror cur tam male audiat, saltem apud Reformatos, quorum doctissimi hunc

in

in fundamento vtriusque partis consensum agnoscunt.

§. XXX. Si porro ex Acontio quæras, quid generatim de confessionibus sentiat? respondet, in Veteri Testamento, licet sæpius diuini cultus facta sit restitutio, nullius tamen extare more nostro compositæ confessionis memoriam, & absolutam eius rei se non videre necessitatem, licet ad calumnias repellendas & refutandas necessarium quandoque sit confessiones edere *p. 324.*

§. XXXI. In eo si reprehendas Acontium, hoc tecum expendas velim: triplicem posse confessionis esse finem: primum, vt omnibus de hominis, aut vnius aut plurium, imo integri cœtus sententia constet, si forte impia & profana placita illis tribuantur: alterum, vt aliis certam loquendi sentiendique præscribamus formulam, non toleraturi eos, qui non statim easdem nobiscum foueant opiniones, iisdemque vtantur verbis; tertium vt nos ab iis, qui graues errores docent, aut alia non ferenda committunt, discernamus.

§. XXXII. Vltimus finis superuacaneus fere videtur, cum qui dissentiunt ipso dissensu satis a se discernantur. Medius ille finis haud raro cum conscientiarum coactione & tyrannide coniunctus est, adeoque Christiano

no homine indignus. Primus autem finis & licitus est, & confesſiones interdum prorſus neceſſarias reddit. Aſt neceſſariæ, inquis, ſunt, vt hæretici ex latebris ſuis protrahantur, illorumque palam fiat ſententia. Sed ſalua aliorum ſententia, ita arbitror: aut manifeſti ſunt hæreticorum errores aut occulti: ſi occulti, Deo cordium ſcrutatori res committenda: ſi manifeſti, non opus eſt formulis & confesſionibus; per ſe non damnandis, ſed magnis abuſibus obnoxiis. Hæc & alia pro ſententia Acontii dici poſſunt, vt pateat non tam temere eam eſſe reiiciendam.

§. XXXIII. Non itaque omnes promiſcue in religionis ſocietatem admittit Acontius, nec damnat confesſiones, licet abuſum earum & multitudinem reiiciat. Si ergo nunc ſcire cupias, qualem eam eſſe velit confesſionem, in qua omnes veri Chriſtiani adquieſcere poſſint, ecce quo pacto ſuam ipſe exponat hac de re ſententiam: *Ac oportet quidem confesſionem eiusmodi eſſe inſtar definitionis cuiusdam, quemadmodum enim requiritur, vt definitio neque plura complectatur, neque pauciora, quam ipſa, quæ definitur, res: videlicet vt nihil deſit, nihil deeſſe oportet eorum, quæ ſint ad ſalutem cognitu neceſſaria. Nihil enim contineri debet, abſque cuius cognitione contingere ſalus posſit. Etenim ſi deeſſet aliquid cognitu*

necessarium fieret, vt qui Christianus haberi non debeat, neque ecclesiæ Dei membrum propterea, quod profiteretur illud symbolum, haberetur pro Christiano. Sin contineretur Symbolo aliquid non necessarium cognitu, vsu venire posset, vt qui confiterentur, quæ essent necessaria, & qui cum sua qualicunque fide salui esse possent, propterea, quod non reciperent id, absque cuius cognitione contingere salus possit, cum essent pro Christianis & ecclesiæ membris agnoscendi, reiicerentur. At si neque desit, neque redundet quicquam, iam neque reiicerentur nisi qui sint reiiciendi, neque reciperentur, nisi qui sint recipiendi. p. 327.

§. XXXIV. Ex quibus Symboli, quas posuit, conditionibus, luculenter apparet, ab omni Scepticismi & Indifferentismi suspicione Acontium procul esse remotum. Qui enim certa doctrinæ capita creditu ita necessaria ducit, vt eos, qui hæc capita non admittunt, *reiiciendos* statuat, is, quo pacto Scepticismi & Indifferentismi insimulari queat, ego equidem non video. Quod autem nec superflua Symbolo admisceri cupit, in eo nescio an vituperari possit, saltem ab iis, qui serio secum expendunt, non fœcundiorem esse litium & controuersiarum materiam, quam eiusmodi doctrinas, quæ vt per se creditu necessariæ non sunt, ita tamen tanquam necessariæ obtrudi aliis solent.

§. XXXV.

§. XXXV. Præcipuam autem Symboli sui hanc voluit esse conditionem Acontius, vt ipsis Scripturæ S. verbis concinnetur. Cum enim monuisset, imo sedulo inculcasset, quæ complectitur Symbolum, ita expressa esse oportere, vt ea neque agnoscere videre possit is, qui non agnouerit, neque videri non agnoscere, qui vere agnouerit, hoc est vt nullis cauillationibus & subdolis interpretationibus relinquatur locus (vnde rursus patet, quam hic ab omni Scepticismo alienus fuerit Acontius) in eam tandem ingreditur sententiam, ad hunc finem obtinendum nihil esse consultius, quam vt ipsis Scripturæ sacræ verbis exprimatur. *Quæ cum ita se habeant, nihil mihi consultius videtur, quam vt fidei confessio, quæ sit pro symbolo vsurpanda, non solum nihil complectatur non necessarium cognitu, nihil non verissimum ac certissimum, nihil non diuinarum literarum testimonio testatissimum, sed etiam vt nihil complectatur, nisi expressum eisdem etiam verbis & loquendi formulis (quoad eius fieri possit) quibus ipse Dei Spiritus vsus est. p. 329.*

§. XXXVI. Hic vero clamabunt haud dubio multi: hic latere anguem sub herba, hic virus suum prodere Acontium, & ad consueta hæreticorum strategemata confugere, quippe quibus solennius nihil sit, quam terminos & formulas, ad errores in lucem pro-

tra-

trahendos ab ecclesia salutari consilio excogitatos & introductos repudiare. Sed cum hæreticorum quidem, vt vocantur, interdum hæc mens sententiaque esse possit, superest tamen, vt quæramus, an Acontii quoque fuerit Possunt enim duo idem facere, diuerso tamen consilio sententiaue diuersa, quorum vnus laudem ideo promereatur, vituperium alter.

§. XXXVII. Acontius saltem grauissimas consilii sui se habuisse rationes sibi visus est, quas expendant velim, quibus certi quid hac de re statuere volupe est. Neque enim in hanc se inductum sententiam profitetur, quod in verbis aut Syllabis vllam putaret esse religionem, aut quod interesset, quibus quidque verbis exprimatur, si modo & verum sit, & recte intelligatur: sed cum lubricum, inquit, admodum sit hominis ingenium, qui sæpe certissima exploratissimaque arbitretur ea, nec posse in controuersiam adduci, quæ postea non modo veniunt in controuersiam, sed etiam falsa fuisse demonstrantur, ideo consultius esse arbitror in fidei scribenda confesssione Spiritus Sancti verba retinere, quam vsurpare nostra, ne videlicet nostro indulgentes ingenio aliquid inseramus, quod non solum non sit certum & cognitu necessarium, sed ne verum quidem sit. Vrget

deinde & hoc, quod verba nostra quantumvis magna in iis seligendis vtamur diligentia, nihilosecius tamen nobis non animaduertentibus aliquid ambigui habere queant, & quae alia sunt eiusdem generis *p. 339*.

§. XXXVIII. Meum non est, hanc litem componere: proferre saltem in lucem Acontii de hoc negotio sententiam volui, vt clare perspicueque omnibus innotesceret. Hoc tamen non addere nequeo: siue nostris, siue sacrae scripturae verbis Symbolum aliquod concinnetur, commune tamen, quod omnes confessionum formulas vrget incommodum remanere. Aut enim ideo confessiones eduntur, vt calumnias, quibus oneramur, repellamus, doctrinaeque nostrae innocentiam ostendamus, quem vnicum licitum confessionis vsum esse posse, supra ostendi, aut vt loquendi & credendi formulam aliis praescribamus. Si prius, perinde esse videtur, quibus vtamur verbis formulisque, imo quae perperam nobis tribuuntur non possunt saepe satis scripturae verbis declinari. Si posterius, praeterquam quod finis iste haud raro in tyrannidem degeneret, si quis sententiam peculiarem & a nostra discrepantem foueat, eandem tegere verborum ambiguitate potest, siue nostris, siue Scripturae S. vtamur verbis. Imo, quod non diffitendum, in controuersiis recen-

centioribus ad mentem aliorum veram eliciendam commodiora sæpiꝰ sunt verba nostra, quam Scripturæ Sacræ. Sed ideo iste finis & ratio confessionum non statim probari potest, nisi euidentissima accesserit necessitas.

§. XXXIX. Videamus nunc quo pacto hæc consilia de tali formula concinnanda in effectum deducat Acontius. Primo quidem ea doctrinæ capita, quæ creditu ad salutem necessaria sint, hæc designat:

1.) Quod vnus sit verus Deus, & is, quem ille misit Iesus Christus & Spiritus S. & quod non recte negatur, alius esse pater, alius esse filius, quia Iesus Christus vere sit Dei filius.

2.) Quod homo iræ iudicioq; Dei sit obnoxius. Et quod reuiuiscent mortui, iusti quidem ad sempiternam beatitudinem, impii vero ad sempiternos cruciatus.

3) Quod Deus Iesum Christum filium suum in orbem miserit, qui homo factus, propter peccata nostra mortuus sit, & propter iustitiam nostram a mortuis excitatus.

4) Quod si crediderimus Dei filio, per eius nomen vitam consecuturi simus.

5) Quod non sit in vllo alio salus, non in beata Virgine, aut Petro, aut Paulo, aut

vllo alio ſancto, vel quouis alio nomine, & quod non ſit iuſtitia in lege, neque in hominum mandatis aut inuentis.

6) Quod vnus ſit baptiſmus in nomine & Patris & filii & Spiritus S.

§. XL. Sufficiantne hæc ad ſalutem conſequendam; inquirant, qui id operæ pretium duxerint. Noſtrum enim non eſt, prolixas aliorum de articulis fidei fundamentalibus & non fundamentalibus diſputationes retexere. Referamus potius eam, quam hiſce fundamentis ſuperſtruxit, confeſſionem Acontius, quæ ita ſe habet:

Vnum ſolum verum Deum noui, & eum quem ille miſit Ieſum Chriſtum filium eius & Spiritum S. Noui legem Dei eſſe illam: Audi Iſrael Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt &c. Execrabilis eſt quicunque executus non fuerit omnia, quæcunque in lege ſcripta ſunt.

Credo futuram mortuorum reſurrectionem, & iudicatum iri viuos & mortuos, qui recte fecerint in vitam æternam ituros, qui autem inique egerint, ad ſupplicium.

Et cum ego in peccatis conceptus, & natura iræ filius contra legem Dei grauiter commiſerim, agnoſco me Dei iudicio obnoxium, atque æternæ mortis reum eſſe.

Ve-

Verum cum ſtatuto tempore Deus filium ſuum Ieſum Chriſtum in mundum miſerit, qui homo factus propter peccata noſtra mortuus eſt & propter iuſtitiam noſtram reuixit, qui nos a peccatis noſtris ſuo ſanguine abluit, per quem peccatorum venia nunciatur, nec eſt in vllo alio ſalus, nec vllum aliud nomen eſt ſub cœlo hominibus datum, per quod ſeruandi ſimus, confido, me per illius nomen & gratiam vitam conſecuturum.

Agnoſco vnum baptiſmum in nomine Patris & filii & Spiritus S.

Hæc eſt illa confesſio, in qua qui conſentiunt, eos in religionis admittere ſocietatem non dubitat Acontius: vti contra reiicit & Chriſtiano nomine indignos iudicat, qui vel vnicum illorum capitum, quæ in ea continentur, in dubium vocauerint. Et hanc exhibere ideo conſultum duxi, vt omnibus de doctrina & religione viri ſtatuere, prout viſum, integrum foret. Nobis nec defendere, nec accuſare, multo minus damnare illum conſtitutum fuit. Vitam ſaltem, fata, & doctrinam paucis complecti voluimus. Interim ſi vel maxime quædam atro notanda lapillo in libro eius de Strategematibus Satanæ occurrerent, hæc tamen infinita rerum vtilium varietate facile compenſarentur. Omnibus itaque, quibus veræ Sapientiæ, imo veræ pie-

tatis ſtudium curæ cordique eſt, commendatum eum libellum maximopere cupimus.

OBSERVATIO XXVI.

De

ARCTIORI FEMINARVM CVM VIRIS EXTRA CONIVGIVM COMMERCIO.

Σύνοψις.

§. I. Commercia virginum feminarumque cum viris primo ex eo, quod illæ hos doctores ſectatæ ſint, §. II. deinde ex eo, quod feminæ viros docuerint, §. III. in primitiua eccleſia feminæ a viris in contubernium receptæ; §. IV. quod ex Platonica ortum videtur philoſophia, iuxta quam amor quoque corporeus ad animi aſcenſum aliquid conferebat: Platonica de anima doctrina prolixius ediſſeritur: §. V. Mos ille abrogatur: ſed ſuccedunt mulieres συνείσακτοι: §. VI. Eæ & ἐπείσακτοι ſeu peregrinæ dictæ ſunt, & initio ad domeſtica miniſteria obeunda, itemque ad pietatis exercitia, fuere adſcitæ, ſorores quoque dictæ ſunt: §. VII. Sed grauiſſimus acceſſit abuſus, quem acriter perſtringunt Patres: §. VIII. De Monachis & monialibus in vno eademque monaſterio viuentibus: nullum huius rei afferri exemplum poſſe contra

contra D. Paullini asseritur, simulque de duplicibus monasteriis quædam afferuntur.

§. I.

TAmetsi virgines apud plerasque gentes domi extra consortium cum viris seruatæ fuerint, vt quondam diligenter ostendit socer meus I. P. Pfeifferus in dissert. de *Cura Virgin. apud Veteres:* Nihilominus non raro factum vt sub vario prætextu illis comnercia quædam cum viris intercederent. Ita sane Hermippus, teste Diogene Laertio ([a]) auctor est, quod Pythagoras *quidem homo diuinus fuerit creditus* adeo, *vt & feminæ ei se traderent* ὡς καὶ μαθησομένας τι τῶν &c. *quasi aliquid ex eius doctrina perceptura*, Huius generis virgo fuit etiam Agnodice, quæ amore discendi medicinam incensa demptis capillis habitu virili sese Herophilo cuidam in disciplinam tradidit, quemadmodum legere licet in fabulis Hygini ([b]) Plura feminarum, quæ in discenda medicina operam posuere, exempla leguntur in nostra morborum Vratislav. historia A. 1700.

§. II. Aliæ autem Mulieres auctoritatem docendi viros sibi arrogarunt. Theano, vt

P 4 lib.

(a) in vita Pythagor. lib. 8. p. m. 224 edit. Londin.

(b) fabul, 274. p. m, 143 Edit. Commel.

lib. I. stromat. Clemens Alexandrin. testatur, primo est *philosophata & versus scripsit inter Mulieres*, & defuncto Pythagora scholam regendam suscepit, sicuti perhibet Theodoretus Therapeutic. II. siue ea fuerit Pythagoræ *vxor*, prout Iamblichus, Porphyrius, Iulius Pollux aliique credunt; siue *filia*, quod statuit Anonymus vitæ Pythagoræ auctor apud Photium. Id certum est quod pauxillum illud, quod scripsit Pythagoras, filiæ suæ moriens commendarit, monueritque vt secretum custodiret; certum etiam est, quod filia clam omnibus, præter quam Patris discipulis, tenuerit paterna monumenta, ac sententias eius exposuerit iis, qui visi sunt Patri Pythagoræ doctrina & moribus digne successisse, quod præter antiquos memoriæ prodidit etiam Bessarion lib. I. Contr. Calumniator. Platon. c. 2. sed vltimum hoc, aliquanto, opinor, rarius contigit, prius autem illud multo frequentius. Inter Romanos memorandus est ipse Cicero; hic in consortium suum allegit Cerelliam, ita tamen, vt non æque amoris, quam studiorum commercium cum ea sibi intercedere credi vellet, vt apparet ex lib. 13 epistol. familiar. 72 lib. 13 ad Attic. 21 &c. quamuis eroticorum opinionem declinare minime potuerit. Nam a-

pud

pud Dionem Caſſium (c) in inuectiua Calenus non tantum molliciem Ciceroni exprobrat ac repudium vxoris, ſed & adulterium cum Cerellia: *ne eam quidem*, inquit, *retinuiſti* (vxorem) *nimirum vt libere Cerelliam haberes, quam ἐμόιχευσας, ſtupraſti.* Et vt Calenus fidem liberet, ad literas eroticas Ciceron. prouocat, dum in hæc erumpit verba: *ad quam ipſam eiusmodi literas ſcribis, quales ſcribi par eſt a ſcurra linguæque incontinentis viro.*

§. III. At vero, quod mireris, hinc inde inter Chriſtianos in primitiua Eccleſia, in qua Virginalis Caſtimonia non paucorum matrimonia nobilitauit, vt conſtat ex Orig. lib. I. Contr. Celſ. p. 21 Tertull. ad vxor. lib. c. 6. Methodio in Conuiv. X. Virgin. aliisque ſcriptoribus a Caue & Kortholt, niſi fallor, iam ante allegatis, occurrunt exempla Cælibum, qui feminas in contubernium allegarent, eas complecterentur, & oſcularentur (non ſane more Romano, vbi propinquis & affinibus Virgines oſculari ius erat teſte Arnob. lib. 2, Plin. lib. 14. c. 13. Iuuenal Satyr. 6. Gell. lib. 10. cap. 23. nimirum *vt ſpiritu iudicarentur*, prout loquitur Tertullian. in Apolog. c. 9. an vino abſtinuiſſent, cuius vſus feminis Romanis erat capitalis,

P 5 prout

(c) lib. 46. p. m. 345. edit. Stephan.

prout fidem faciunt Dionysius Halicarnaſſ. & Valerius Maxim. Imo cum illis in vno lecto dormirent. Teſtem omni exceptione maiorem hic laudamus S. Cyprianum Martyrem. Is in epiſtol. 5. (d) ad Presbyteros & Diaconos ita ſcribit: *Doleo quando audio quosdam improbe & inſolenter diſcurrere, & ad ineptias vel diſcordias vocare: Chriſti membra & iam Chriſtum confeſſa per concubitus illicitos inquinare &c.* His lucem affundunt, quæ leguntur in epiſt. 6. p. 15. *Quid deinde illud? quam vobis execrandum debet videri, quod cum ſummo animi noſtri gemitu & dolore cognouimus, non deeſſe, qui DEi templa & poſt Confeſſionem ſanctificata & illuſtrata membra turpi & infami concubitu ſuo plus maculent, cubilia ſua cum feminis promiſcua iungentes: quandoq; etſi ſtuprum eorum conſcientiæ deſit, hoc ipſum grande crimen eſt, quod illorum ſcandalo in aliorum ruinas exempla naſcuntur.* Et in epiſtol. 62. ad Pomponium Cyprianus non vult Pomponium pati, Virgines *cum maſculis habitare non dico ſimul dormire, ſed nec ſimul viuere* & p. ſeq 99. *Certe ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio & oſculatio & coniacentium turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitetur?* Et rurſus: *Conſulte & cum vigore feciſti, frater chariſſime, abſtinendo Diaconum, qui cum Virgine ſæpe manſit, ſed & ceteros, qui cum Virginibus dormire conſueuerunt H. l.*

§. IV.

(d) Edit. Rigaltii Pariſ. p. m. 13.

§. IV. Cum vero non omnes illæ virgines conſcientia graui cum viris cohæſerunt: nam quædam ex iis magna fiducia ſe integras eſſe aſſeuerabant, obſtetricum fidẽ appellabant, probanda ac inſpicienda corpora præbebant, vt ex his Cypriani verbis loco iam iam citato colligimus: *Nec aliqua putet ſe hac excuſatione defendi, quod inſpici & probari poſſit, an virgo ſit - Et ſi incorrupta inuenta fuerit virgo ea parte ſui, qua mulier poteſt eſſe, potuerit tamen ex alia corporis parte peccaſſe, qua violari poteſt, & tamen inſpici non poteſt:* quæſtio oritur, à qua origine fœda conſvetudo hæc manarit, vt ita arcte virgines cum viris citra copulam tamen carnalem cohærerent. Illi proxime ad veritatem accedere videntur, qui exiſtimant, tum regnaſſe in animis multorum opinionem, quod amores corporei aliquid ad animæ aſcenſum conferant, & hæc ſententia ex fontibus philoſophiæ Platonicæ fluere fortaſſis non abſone creditur. Quod vt tanto liquidius pateſcat, paulo altius huius opinionis fundamenta rimari licebit. Scilicet mens iuxta Ppiloſophos hos eſt θεια ἀπόμοιρα, id eſt *portiuncula diuina*, qua ratione etiam ab ipſis deſcribitur Stoicis, vt conſtat ex lib. 2. Marci Antonini Imperator. & lib. 5. eiusd. oper. §. 27. ipſi eſt τȣ Διὸς ἀπόσπασμα, Epicteto autem lib. 1. c. 1. τȣ διὸς μέρος. Rotunde quoque Seneca epiſtol. 92. fatetur, *quod Dei*

ſit

sit & lib. de otio Sapientis: *diuini*, inquit, *spiritus pars ac veluti scintilla quædam est*. Et Plutarchus lib. 1. quæstion. Platonic. docet, quod anima mentis particeps iuxta decreta Platonicorum οὐκ ἔργον ἐστὶ τοῦ θεοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ μέρος ἀπ' αὐτοῦ καὶ ἐξ αὐτοῦ γέγονε. Synesius Platonizans epistol. 105. mentem vocat ἐν τῇ ψυχῇ μοῖραν τὴν θείαν magno vtique errore, cum, vt optime S. Augustini epistol. 157 *anima Dei non particula sed creatura* lib. 3. de origine animæ c. 3. *ab illo non de illo facta* sit. Porro Corpus ex mente horum sophorum est *animæ folliculus & sacculus*. Notum illud Anaxarchi, *tunde Anaxarchi sacculum* apud Ciceron. lib. 2. quæstion. Tusculanar. Plutarch. Dion. Prus. Conf. Elmenhorst. ad lib. 2. Arnobii p. m. 66.; *animæ amictus*, qua alias denominatione crebro Stoici vtuntur, *vagina animæ* apud Plinium lib. 7. c. 52. *ergastulum corporale* vt est apud Prudentium, qui Platonicis descriptionibus etiam alias utitur, περὶ στεφάνων p. 175. Plato quoque in Cratylo expresse corpus vocat σῆμα & initio lib. 7. de Republic. σπηλαῖον. Breuiter ex sententia, quam Plato in Phædone & alibi fouet, anima, quando Corpori coniuncta existit, velut vinculo constricta est, *imo in monumento sepulta* vel *propter pœnarum meritarum exactionem, vel absolutionem perfectionis vniuersi*,

vt

vt optime Æneas Gazæus in Theophraſt. p. m. 11 in f. edit. Barth. Cum antea purgatisſima omnium rerum ſciencia polleret, ſcilicet ex mente eius præexiſtens ante corpus, Conf Mazonium (quem To mo 3. obſeru. 14. Platonis atque Ariſtotelis Conciliatoribus a Cl. Viro non additũ fuiſſe miror,) in *methodo* vit. *contemplatiu.* p. m. 334. Enitendum autem animæ eſt, vt priſtinam ſuam felicitatem recuperet. Ad illam autem reduci animam cenſebant per gradus virtutum, *politicas* inquam, quæ ex beſtia facerent hominem, *purgatorias* quæ ex homine Dæmonem, ac *intellectuales &c.* qua de re vberius diſputat Porphyrius, initio part. 2. ſententiarum ad intelligibilia ducentium. Hæc autem reductio non fit ſine motu animæ, cui propterea etiam alas tribuunt Platonici. Ipſa etiam philoſophia iis nihil aliud eſt, quam ψυχῆς περιαγωγὴ ἐκ νυκτερικῆς τινος ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν τοῦ ὄντος ἰούσης ἐπανοδὸς lib. 7. de Republ. vt eam ipſe Plato deſcribit. Alcinous in Iſagoge hanc Philoſophiæ ſuppeditat definitionem, quod ſit περιαγωγὴ ψυχῆς ἀπὸ σώματος ἐπὶ τὰ νοητὰ ἡμῶν τρεπομένων καὶ τὰ κατ' ἀλήθειαν ὄντα. Ad hanc περιαγωγὴν anima a corpore tanquam ex carcere, vinculo, vagina, & in priſtinum dignitatis locum, momentum aliquod ex ſententia Platonicorum con-

confert etiam amor corporeus. Nam vtut ipse Plato nec vxorem duxerit, nec liberos susceperit & ita Epicuri illud effatum, *sapientem non ducturum vxorem* apud Diog. Laert. lib. X. Arrian. lib. 3. c. 7. reipsa probauit, vtut etiam lib. 8. de legib. expresse dicat, quod *amare ad concubitum & concumbere inter se promiscue homines extra legem matrimonii sit res nefaria, DEo odiosa, turpissima* Conf. Montecatin. in compendio leg. Platon. (e) non tamen vsque adeo Plato ab amore corporeo fuit alienus. Hoc vt euincat Apuleius in Apolog. (f) prouocat ad varios Platonis versus, qui certe inter eroticos non vltimi sunt, cuius generis sunt in Puerum Astera:

Astra Vides vtinam fiam mi sidus Olympus,
Vt multis sic Te luminibus videam.

Nec non in Alexin Phædrumque pueros

Dixerit hic tantum cum nil nisi pulcher Alexis
Extitit & vertunt quilibet in Te oculos.
Cur animæ os canibus monstrans angisque dolor
Postmodo. Non Phædro sic prius exciditur

Tandem & in Dionem Syracusanum

Ciuibus ingenti in patria laudate iaces nunc
Qui insanum me reddis amore Dion.

Et

(e) in Partition. & paraph. lib. de Republ. p. m. 648.

(f) p. m. 280. Edit. Elmenhorst.

Et hinc a Comico Ephippo apud Athenæum lib. 2. Platoni veſtitus ſumptuoſus & propemodum laſciuus obiicitur. Inde etiam fit, vt Platonici in amatoriis Poëtis extollendis nec modum nec finem vllum faciant. Atque ex mente Maximi Tyrii: amor tantum abeſt, vt dedeceat ſapientem, vt potius *ſapiens optet, ne amor vnquam ab eo recedat*, ſiquidem *vna cum illo libertatem ſecuritatem & firmitatem conſecuturus* diſſert. 10. Et quid ſibi volunt illa Socratis in diſſert. 8 eiusdem Tyrii (g) ſe *Phædri amore tanquam Bacchico furore concuti*. Scio quosdam cauſari quod Platonicus amor fuerit τῆς ψυχῆς, non σώματος vt etiam eſt apud Cælium Rhodigin. lib. 16. c. 15. at vero etiã hoc ſcio, quod Platonici amoris *fons & origo ſit flos corporis, qui oculos intrat*, vti iterum Tyrius diſſert. 9. p. 93. Et ecce quam aperte & cum qua fiducia eroticorum defenſionem ſuſcipiat Philoſophus Platonicus Apuleius: 15 l. c. p. 281. ita ſcribit: *Verſus* [Platonis] *quos percenſui, tanto ſanctiores ſunt, quanto apertiores, tanto pudicius compoſiti, quanto ſimplicius profeſſi. Namque hæc & id genus omnia diſſimulare & occultare peccantis, profiteri & promulgare laudantis eſt, quippe natura vox innocentiæ, ſilentium maleficio diſtributa.* H. I. Et ſane mirum non eſt Platonicos ita de

(g) p. m. 90. Edit. Lugdunenſ.

de amatoriis rebus loqui, cum origo philoſophiæ Platonicæ non alibi rectius quæratur, quam in Poëtis, quorum antiquiſſimi in amatoriis leuitatibus occupati. Homerus in aliis rudior, *cum de amore agit, nihil eſt, quod non ordine deſcribat*, vt recte iterum Tyrius diſſ. 8. p. m. 87. vbi *τὰ ἐρωτικὰ* Homeri neruoſe recenſet. Et apud Heſiodum *quid aliud Muſæ canunt, quam γυναικῶν ἔρωτας καὶ ἀνδρῶν*, vt denuo Tyrius l. c. Imo ipſa res loquitur, quod amores vehementium corporis & animi motuum cauſa ſint, vnde iam olim venus *verticordia* dicta. Conf. Herbertum de religione gentil. (h) Oculi ſane amantium nutantes ſunt, vnde Taſſius apud Scipion. Claramontium de coniectandis cuiusque morib. & latitantibus animi affectibus (l) *aſpectum tremulum* amantibus tribuit, ac Claramont. ipſe l. c. *viciſſitudinem linguæ inter labra* in iis, obſeruauit, vt & *ſaliuæ in labia effluxum*. Pulchre Honorat. Fabri (k) *Lingua*, inquit, *in hoc amoris ſcena etiam ſuas partes agit: nempe illa mollior eſt affuſo ſcilicet vbertim ſanguine, hinc ad tremulum quendam motum determinatur; hinc blæſa euadit cum ſæpe ob nimiam motuum vim & agitationem mentem ipſam fallat, delibat autem identidem labra &c.* & §. 10. Variis motibus aman-

(h) p. 182. edit. nuperæ. (l) p. 337. Edit. Conring.
(k) Tom. 5. Phyſic. Tract. de homine lib. 5. prop. 39. §. 7.

amantem agi ostendit. Eo ipso autem, dum tantos in corpore amor motus excitat, ad Platonicam animæ Periagogen & Enthusiasmum, quo Philosophia Platonica, iudice summo Viro Iacob. Thomasio, ducit, aliquid confert. Quia ita tum non pauci inter Christianos summa veneratione Platonem prosequebantur, in eandem, quam de amoris ad ascensum animæ efficacia Platonici fouebant, sententiam a Philosophis inducti, non tantum eodem cubiculo, sed & lecto cum feminis iuncti fuerunt.

§. V. Malum hoc in herba suffocauit S. Cyprianus sanciens in epistola 62 vt ii, qui *obstinate perseuerant*, nec *se ab inuicem separant*, cum hac *impudica obstinatione in Ecclesiam non admittantur*. Cum vero pessimus ille mos abrogatus esset, mox alius successit, quo viri sibi socias adsciscebant feminas & satis familiariter cum iis agebant. Veteres has vocabant συνεισάκτους. Earum mentionem fieri inuenio in epistola synodi Antiochen: contra Paulum Samosatenum scripta, in qua expresse memoratur (l) quod & ipse Episcopus eiusmodi feminas habuerit, & Presbyteris ac Diaconis, vt haberet eos sibi obnoxios, permiserit. Inter alia occurrunt in hac epistola

(6) Q seq.

(l) Eusebius lib. 7. Hist. Eccles. c. 30. p. 281. Edit. Paris.

seq. *Quid hic referre attinet subintroductas, vt Antiocheni vocant, mulieres tam ipsius, quam Presbyterorum eius ac Diaconorum?* Hieracæ, qui *vitæ instituto ac genere plane admirabilis* fuit, vt Epiphanius hæres. 67. (m) refert, sequaces *ridiculi* teste eodem Epiphanio p. 716. fuerunt *ob introductas & ascititias has feminas συνεισάκτες γυναῖκας, quas cum* inquit, *apud sese habeant, ad quotidianum duntaxi ministerium eas sese adhibere gloriantur.* Meminit eiusmodi feminarum idem Epiphan. in hæresi 63 quæ est Origenianorum, p. 522 qui itidem vt Hieracitæ, *nuptias repudiabant, neque* tamen obscœnis libidinibus modum vllum adhibebant. Huc faciunt etiam aliqua ex hæres. 78. Vulgarem admodum fuisse eius temporis labem, patet ex Can. 3. Concil. Nicæni, in quo Episcopis Presbyteris & Diaconis omnique clero vsus harum feminarum prohibetur. Nec tamen consuetudo alendi συνεισάκτες post Concilium Nicænum extincta statim est, quandoquidem & Paregorius, Presbyter septuagenarius, eiusmodi συνεισάκτες aluit, vt constat ex epistol. Basilii M. ad eum ex hoc capite scripta. Idem ad oculum patet ex variis Gregor. Nazianzen. versibus, ac cumprimis etiam ex duabus Chrysostomi orationibus, quarum vna πρὸς τὲς ἔχοντας παρθένες, συν-

(m) Ed. Paris. Poeta v. *p. 710.*

συνεισάκτους, altera ad feminas *τὰς ἐχούσας ἄνδρας συνεισάκτους*, quæ sunt 17. & 18. in 6. Tom. edit. Sauilian. De eiusmodi mulieribus etiam agit Hieronymus in Epistol. ad Eustoch. nec non lex 4. Honorii in Codice Theodosiano de Episcop. & Cleric. Tempore Iustiniani consuetudinem illam nondum exspirasse, liquet ex Nov. 133. cap. 29.

§. VI. Hæ *συνείσακτοι*, indiuulse adhærebant viris, vnde vetustissimus canonum Concilii Nicæni Interpres non inepte appellat illas *commanentes*. Nulla sanguinis cognatione viros attingebant, & hinc credo, *ἐπίσακτοι* dicebantur, vt constat ex collectione Ioh. Antiocheni, Simeone Logotheta, nec non Alexio Aristeno in Epitome, Balsamone & aliis. Ἐπίσακτος autem denotat *alienum, peregrinum, extraneum*, vt sit manifestum ex Hesychio. Et in Demosthene legas: *ἐπισάκτῳ σίτῳ χρώμεθα* id est *frumento peregrino vtimur*. Atque hinc Ruffinus has feminas vocat *extraneas* in respectu nimirum ad matrem, sororem, aliasque necessitudinum huiusmodi personas. Quæ denominatio iis etiam tribuitur in Concilio Turon. 2. Can. 2. Concil. Tolet. 4. c. 42. Concil. Ilerdensi can. 15. & in multis aliis. A vero non abhorret, quod feminæ hæ domestica Viris præstiterint mini-

 niste-

nisteria. Atque hinc Monachus aliquis ad Canon. 3. Concil. Nicæn. dicit συνεισάκτες vocari, *quæ cum sacerdotibus & cœlibibus cohabitationem eligunt, iisque in rebus necessariis ministrant.* Sane senex ille Episcopus in Palæstina domesticum ministerium prætendebat, cum propter feminas illas suspicionem incurreret apud Epiphan. p. m. 522. Et hinc Petavius non inepte eas vocat *contubernales ad domesticum ministerium.* Credibile quoque est, quod quædam pietatis exercitia cum viris hæ feminæ aut vere habuerint, aut habere videri voluerint communia. Iustellus ad Can. 3. Concilii Nicæni *Erant* inquit, *neque uxores, neque concubinæ sed tertii cuiusdam generis mulieres, quas secum Clerici non sobolis neque libidinis gratia, sed pietatis studio aut certe prætextu fouebant.* Hinc etiam sororum iis inditum nomen, vt apparet ex Gregor. Nyssen. de Virginib. c. 23. Doctissimus Valesius (n) testis est, quod in vetustissimo Codice Corbeiensi Canon. 3. Conc. Nicæni hanc habeat inscriptionem: *de subintroductis, id est adoptiuis sororibus* aitque hinc illam Honorii legem: *Eum, qui probabilem seculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet,* explicari posse. Iam nulla ratione fit verosimile, quod Romanos imitati fratris & soro-

(n) in annotat. ad Euseb, lib. 7. p. m. 175.

ſororis appellationibus ad libidines tegendas abuſi fuerint Chriſtiani: id quod Martiali, nequitiæ Magiſtro, in frequenti vſu fuit. Ita enim ille Epigr. 4. lib. 2. in Amianum:

o quam blandus es Amiane, Matri!
quam blanda eſt Tibi Mater, Amiane!
Fratrem Te vocat, & ſoror vocatur
Cur Vos Nomina nequiora tangunt;
Quare non iuuat hoc, quod eſtis eſſe. &c.

Conf. lib. 12. epigr. 20. Apud Ouidium lib. 9. Metamorphoſ. fab. XI. Byblis Cauno ſtuprum ſuadens ita fatur:

Dulcia fraterno ſub nomine furta tegemus:

Apud Petronium Circe ad Pollienum: *ſi non faſtidis feminam ornatam & hoc primum anno virum expertam concilio tibi o iuuenis ſororem. Habes tu quidem & fratrem, neque enim me piguit inquirere, ſed quid prohibet & ſororem adoptare?* Phædra apud Senecam indicatura amorem ait:

Matris ſuperbum eſt, nomen & nimium potens.
Noſtros humilius nomen affectus decet
Me vel ſororem, Hippolyte, vel famulam voca

Certum potius eſt, quod ſenſu Chriſtianis vſitato nominibus illis vſi ſint. Iam apud noſtros vocantur fratres (par eſt vero hic ratio

etiam, quantum ad sorores) *qui per electam creationem & morum consensionem & operum substantiam eadem faciunt, & cogitant, & loquuntur, opera sancta & honesta, quæ dominus voluit ipsos, cum sint electi, sentire:* τὰ αὐτὰ ποιοῦντες καὶ νοοῦντες καὶ λαλοῦντες ἐνεργήματα ἅγια καὶ καλὰ &c. vt loquitur Clemens lib. 7. stromatum. Posterioribus temporibus ex eadem caussa sorores a Monachis appellatæ virgines ac mulieres, quæ pietatis ac deuotionis intuitu eorum disciplinæ ac regulæ sese addicebant, licet domicilia seclusa a Monachorum ædibus haberent. Atque hinc pie creditur, quod non omnes libidinis caussa eiusmodi mulieres aluerint. Certe septuagenarius ille Presbyter, ad quem, vt diximus, scripsit Basilius M. professus est, se esse ἐλεύθερον παντὸς σωματικοῦ πάθους. Et quis aliud de capulari hoc sene suspicaretur? Purgat etiam a suspicione libidinis Epiphanius l. a. Senem in Palæstina Episcopum scribens: *Iis, qui de eo istud affirmarent & de mulierculis ipsis cognouisse dicerent, fidem nullam adhibendam putauimus.*

§. VII. Rursus negari nequit, quod aliqui eiusmodi feminas libidinis caussa suscepe- runt. Hinc iam olim Balsamon ad Canon. 3. Concil. Nicæni testatur, quosdam fuisse, *qui dixerunt, mulierem eiusmodi eam esse, quæ lo-*

co

co legitimæ mulieris ſub introducatur & cum aliquo more meretricio cohabitat γυναῖκα συνοικοῦσαν πορνικῶς. Rotunde S. Chryſoſtom. l. c. fatetur ſe non poſſe aliam huius συνοικήσεως cauſam dare, quam πονηρὰν ἐπιθυμίαν καὶ ἡδονὴν ἐπονείδιστον id eſt *malam concupiſcentiam & ignominioſam voluptatem.* Gregor. Nyſſen. c. 23. de Virginit. diſerte ſcribit: *qui nominetenus duntaxat cœlibatum profitentur, a communi viuendi conſuetudine non longe abſunt, vtpote qui non ventris ſolum voluptatibus indulgeant, ſed etiam cum feminis aperte cohabitent.* Ecce μέχρις ὀνόματος τὴν ἀγαμίαν profitentur συνείσακτοι. Gregor. Nazianz. ait ambigere ſe, an *nuptis* vel *innuptis* eius generis feminas annumerare debeat, an *vero tertium quendam eis locum reſeruare.* Notari quoque merentur ſequentia Chryſoſtom. verba: *Maioribus noſtris duæ tantum cognitæ fuerunt cauſæ, propter quas viri mulieribus cohabitent, & vna quidem vetus eſt ac iuſta, rationique conſentanea, nempe matrimonium, quod DEo legislatore inſtitutum, altera vero poſterior & ex confeſſo iniuſta & legi aduerſa, nempe ſtuprum, quod a malignis eſt introductum Dæmonibus. Atqui noſtra hac ætate tertius quidam nouus & inſolitus mos prodiit. Sunt enim nonnulli, qui puellas nuptiarum inexpertes domum ducunt & vsque in extremam ſenectutem incluſas tenent ac fouent &c.* Clariſ-

 ſime

fime S. Hieronymus in epiftol. ad Euftoch. de *cuftodienda Virginit.* fub Agapetarum nomine noftras συνεισάκτους perftringit, ita fcribens: *Pudet dicere, proh nefas! trifte, fed verum eft, vnde in Ecclefias agapetarum peftis introiit. Vnde fine nuptiis aliud nomen vxorum? Imo vnde nouum concubinarum genus?* ac iterum: *cum in eodem propofito fe effe fimulent, quarunt alienorum fpiritale folatium, vt domi habeant carnale commercium.* Vere agapetas illas fuiffe neceffe eft, *cum* tefte Chryfoftomo, *animam potius perdere, ac omnia facere & pati parati fuerint, quam a dilecta eiusmodi feparari.* Quam friuolus vero fit obtentus pietatis & nefcio cuius afcefeos, eloquenter & pulchre oftendit S. Chryfoftomus ita perorans: *Quando video, Te auelli nulla ratione poffe, & infinitam eorum, qua offenduntur, multitudinem defpicere, nec conuerti multis licet te reprehendentibus, fed & gloriam tuam conculcare, totique Ecclefia accufationem magnam & inuidiam conflare, atque infidelium ora laxare, omnesque mala opinione imbuere - quomodo aliis perfuadere potero, quod omnis affectionis fis expers, & a concupifcentia mala purus?* Hæc edocere etiam fatis poffunt, quod male, quisquis fit [eft autem, nifi fallor Arnifæus lib. de iure Connubior.] rationes fubducat, dum exiftimat, quod Virgines συνείσακτοι viros habuerint obferuatores

res pudicitiæ: ſcilicet! Pronum etiam ex allatis eſt diiudicare, quid de deſcriptione συνεισάκτȣ Budæana in Commentar. Græc. linguæ p. 148. ſentiendum, eſt vero illa ſequens: *συνείσακτος dicitur comes vel ſocius ſociaue cœlibatus, ſiue Virgo contubernalem habeat virum ſiue Monachus feminam*, vbi ſi hoc exiſtimet, quod Monachi ac Clerici tantum fouerint eiusmodi mulierculas, fallitur, nam ea labes latiſſime ſerpſit & tam Eccleſiaſticorum, quam laicorum mores inquinauit. Præclare vero notauit, quod & feminæ viros ſuſceperint, quod rarius, aliquando tamen, factum eſſe autumo. Ad hanc claſſem puto referri poſſe Virginem illam, quæ Athanaſium per ſeptem annos ſub Conſtantio ſuſtentauit, tametſi Athanaſium minime in ſuſpicionem adducere cupiam. Illa *vtut formæ venuſtate reliquas mulieres adeo ſuperaret, vt ſpectantibus quidem eſſet inſtar miraculi & viris modeſtiam & caſtitatem profitentibus fugienda eſſe videretur, ne ex ſiniſtra ſuſpicione probrum aliquod iis adſpergeret: vsque adeo tamen fida Athanaſii & ſedula eius miniſtra fuit, vt pedes lauaret ei, ὡς πόδας ἀυτȣ̃ νίπτειν, & res ad victum neceſſarias ac reliqua omnia, quæcunque naturæ neceſſitas exigit, vbi opus, ſola per ſe miniſtraret*, teſte Sozomeno (o) lib. 5. hiſtor. Eccleſ. c. 6.

(o) edit. Pariſ. p. 602.

§. VIII. Quid vero dicemus de Monachis & Monialibus in vno eodemque monasterio viuentib9? Omnino ad συνεισάκτους referri possent modo indubitatis constaret testimoniis, vnum idemque monasterium sine murorum interstitio viris & feminis fuisse commune. Hoc equidem Clariss. Vir Colleg. noster Dn. D. Paulini in epistola quadam ad Abbatem aliquem scripta (p) adstruere annisus est, sed vix testimonia, quæ ad assertum hoc comprobandum ab ipso adducuntur, illud euincunt. Agedum aliquanto attentius eadem inspiciamus, & exempla a viro doctissimo allata excutiamus. *Geminum*, ait, *assertionis nostræ exemplum dedit Trithemius vir candidissimus in Chronico Hirschaugiensi ad annum* 1108 *inquiens: Ruthard Archi-Episcopus Moguntinus præposituram in Rinckavia Monachis ordin. Benedicti construxit - - in eiusdem Monasterii ambitu iuxta Ecclesiam videlicet Cœnobium pro sanctimonialibus præfatus Pontifex construxit, in quo virgines Christo in S. virginitate deuotissime servientes collocauit, quæ vnâ cum Monachis sub vnius præpositi cura constitutæ semper manebant inclusæ.* Et alibi ad annum 1121. Gedebaldus *fundat monasterium dictum Oesbach. ord. S. Bened. in quo plurimi fuere Monachi. Huic con*

(p) Monatlichen Unterredungen An. 91. pag. 984. seqq.

coniunxit monasterium monialium. At nullum in his causæ suæ patrocinium inuenit Paulini. Nam facile quisque videt, Trithemium loqui de monasterio, quod διπλοῦν græci vocant, quo de vide sis Balsamon. ad Canon. 7. Synodi 8. Nimirum cito satis inualuit mos, vt feminæ pietatis gratia non procul a Monasteriis virorum congregarentur & ab iisdem præpositis, qui præerant Monachis, regerentur, ita tamen, vt sub diuersis viuerent tectis. Rem ita se habere discas ex his verbis, quæ occurrunt in actis Murensis Monasterii: *De consuetndine congregandi feminas, quæ hic iam multis annis viguit, nobis est exemplum vita S. Patrum, quia & ipsi feminas congregauerunt ob amorem DEi, quarum mansio & vita ita debet esse separata a Monachis, vt nulla inter eos posset esse suspicio, sed a solo Abbate & præpositis, qui eis prælati fuerint, eorum vita & religio ordinetur.* Nostrum hoc assertum roborant etiam sequentia Rudolphi Monachi verba: *Duo Monasteria antiquitus a Regibus gentis illius constructa sunt muris altis & firmis circumdata &c. Vnum scilicet Clericorum, & alterum feminarum, quorum ab initio fundationis suæ vtrumque ea lege disciplinæ ordinatum est, vt neutrum illorum dispar sexus ingrederetur: Nunquam enim virorum congregationem feminæ aut Virginum Contubernium Virorum quisquam intra-*

intrare permittebatur: Eulogius lib. 3. Memorial. Sanct. c. 10. agens de Tabanensi cœnobio: *expleto*, inquit, *iam propriis sumptibus Tabanensi coenobio, eo se viri cum mulieribus Christo militaturi conferunt.* Quis hæc legens non crederet, Paulinianam opinionem confirmari, at vero facile errorem omnem eximunt seq. quæ in eodem capite leguntur: *Claustra feminarum a cellulis Monachorum altis interiectis disparata maceriis, licet Vnius Patris gubernaculo regerentur, hæ tamen sequestratis se mansiunculis retrudentes nulli omnino contuendi se facultatem dederunt.* Quod vero Trithemius de duplici eiusmodi monasterio loquatur, verba eius satis probant. Nam in priori loco expresse dicit, quod *in Monasterii*, vbi nimirum viri degebant, *ambitu cœnobium pro sanctimonialibus construxerit* Ruthar. in posteriori vero admodum notanter scribit, quod *Monasterio Oesborch*, in *quo plurimi fuere Monachi, coniunxerit* Genebaldus *Monasterium Monialium.* Ecce vtrobique duo Monasteria, in quibus seorsim viri & feminæ vixerunt. Exemplum alterum, quod adducit D. Pauli, maius robur nostræ opinioni affert, quam sententiæ Paulini, cum euidentissime pateat, in secessu Huisburgensi duo fuisse monasteria. Insistamus vestigiis historiæ. Initio

tio Piæ inclusæ Presbyter datur Echardus, postea anno sexto Adelheidis dulcedine eiusdem solitudinis illecta carcerem Piæ sibi Paradisum fecit. Posthac ad eremum se contulit, Thiezelinus, qui Meinholdum breui huc traxit. Quinque ergo personæ in eremo degebant: Ne vero existimes, sub vno omnes quinque tecto vixisse, prohibent hæc historici verba: *Vixerunt hi tres vna in sylua religiose* Viri si eodem cum feminis loco conclusi fuissent, credo scripturus fuerat historicus: Vixerunt hi quinque vna. Et quid multa? cum alia religiosa in eremum secederet, illam non tribus his viris, sed feminis sese iunxisse his prodit verbis: *Ipso Echardo adhuc superstite alia religiosa Quedlinburgo Huisburgum venit Piæ & Adelheidi sese iungens*, quæ manifestum præbent documentum, alio viros, alio feminas loco vixisse; nam si in vno vixissent domicilio omnes, non tantum Piæ & Adelheidi, sed & Echardo Tiezelino & Meinholdo religiosa aduenièns sese iunxisset. Tandem Monasterium ad Visurgim pulsas ex Kaminada sorores ordinis sui ad tempus sub turbis bellicis alens, prorsus huc non facit, cum longe aliud sit quenquam alere, quod fieri extra domum potest, aliud cum persona quadam sub eiusdem domus tecto hospitari. Si quis vero plura scire desideret de Mona-

nasteriis duplicibus, quæ occasionem errandi præbuerunt Viro Celeberrimo, adeat Bedam lib. 4. histor. c. 15. Bolandum ad vitam S. Angelberdi, nec non Isidorum lib. 2. de Ecclesiastic. officiis cap. 15. Tuto ergo credere possumus semper exacte obseruatum fuisse Canon. 47. Concilii sexti in Trullo, qui ita sonat: *Neque mulier in virorum monasterio, neque vir in mulierum dormiat. Extra offendiculum enim & scandalum fideles esse oportet, & ad id quod est decorum ac honestum, DEoque gratum vitam suam componere, si quis autem hoc fecerit, siue sit Clericus, siue laicus, segregetur.* Et hoc decretum omnino rationi consonum est: Pulchre Balsamon in Commentar. ad hunc Canonem (q) *Carni innatus est ignis ἐκ τῶν παθῶν & vix nobis etiam procul a materia, quæ eum accendit, nosmet constituentibus debilior fiat. Quod si nos ei fomites addiderimus, erit acris & vehemens, & sicut fœnum facile nos incendet. Quod autem viris ad ignis cupiditatem potest esse acrius fomentum muliere? Vel mulieribus rursus Viris ad flammam excitandam? Et sic inter se quidem Monachi offensionis ansam præbebunt; aliis vero scandalum afferent, cum viderint mulieres in virorum habitaculis pernoctantes vel viros in mulierum asciteriis. Sunt enim quamplurimi suspiciosi offensionumque & calumniæ occasionem*

(q) in Pandectis Canon: Beuereg. Tom. I. p. m. 223.

ſionem quærunt. Quorum pleraque Zonaras more ſuo repetit. Hæc ſi ſemper obſervata fuiſſent, ignotum mundo nomen συνεισάκτυ &c. manſiſſet, & ignota ſcelera, quæ iam impune graſſantur.

OBSERVATIO XXVII.

NATVRA LEGIS TAM DIVINAE, QVAM HVMANAE.

SVMMARIA.

Occaſio huius obſeruationis §. I. Errorum communium in doctrina de natura & diuiſione legum commiſſorum fontes tres: incauta applicatio doctrinæ de legibus ad leges diuinas: nimis præcipitata applicatio præceptorum dominicorum ad præcepta diuina: neglectus obligationis internæ. §. II. Nomine legum humanarum varia inſigniuntur: conſilia, monita, præcepta, pacta &c. & omnia quæ regulam quandam præſcribunt actionibus humanis. §. III. Horum inter ſe differentiæ ratione cauſæ, obiecti & effectus §. IV. Differentia inter perſuaſionem & obligationem. §. V. Natura inclinationis voluntatis humanæ. §. VI. Voluntas humana natura appetit verum malum. Differentia naturalis inclinationis ad bonum & obligationis §. VII. Malum, quod voluntas hominis alio inclinans metuit, eſt vel naturale, vel arbitrarium §. IIX. Vis & obligatio quomodo differant §. IX. Obligatio

tio interna & externa §. X. Obligatio interna non tantum metuit malum verum, sed & apparens §. XI.) id est obligationis tam internæ, quam externæ §. XII. item ratione scopi & finis §. XIII. & XIV. Definitiones dogmatum, consiliorum & monitorum, §. XV. præceptorum varii generis §. XVI. Pactorum §. XVII. Metus in obligatione externa triplex §. XIIX. scilicet, metus nullitatis, damni in re familiari, pœnæ. §. XIX. Triplex adeo obligationis externæ gradus. §. XX. Differentia intuitu eorum legis stricte dictæ a consilio, monito, pacto. Pactorum inter se variæ differentiæ. Natura pacti, quo imperium transfertur. §. XXI. Legis virtutes: præcipere, vetare, punire, cogere, annullare. §. XXII. An omnis lex proprie dicta debeat esse pœnalis. §. XXIII. Falsum: omnem legem esse disiunctivam. Lex disiunctiua est lex improprie dicta. §. XXIV. Permittere non est legis virtus. Origo sententiæ oppositæ. §. XXV. Conceptus Legis generalis, dum ad Dei voluntatem applicatur non habet dubium. §. XXVI. etiamsi applicetur ad legem diuinam tam naturalem, quam positiuam. §. XXVII. Sed de eo quæritur, an dum legem diuinam dicimus, intelligamus monitum & consilium, an pactum, an præceptum dominicum &c. §. XXIIX. Deus quatenus Consiliarius, & Doctor, item Pater & Rex sit intuitu hominum. §. XXIX. Pacti vox de voluntate Dei valde improprie prædicatur. §. XXX. Inconuenientia illustrationis doctrinæ de œconomia diuina ex natura pactorum, §. XXXI. tam intui-

tu

tu Adami, §. XXXII. item Noachi & Abrahami, §. XXXIII. quam intuitu Mosis & Christi. §. XXXIV. Deus se Adamo & Patriarchis manifestauit vt patrem, Israëlitis per Mosen vt Dominum & Regem, omnibus Gentibus per Christum vt Sponsum, vel doctorem, vel patrem iterum. §. XXXV. Maxime probandum, quod leges Adamo datæ sint magis monita paterna, quam leges dominicæ. §. XXXVI. Probatur id intuitu legum naturalium. Omnis pœna proprie dicta est ex lege positiua humana. §. XXXVII. Etiam lex de non comedendo ab arbore vetita non fuit lex despotica, sed monitum paternum §. XXXIIX. adeoque caput legis naturalis in illo statu §. XXXIX. Pœnas diuinas esse pœnas late & minus proprie dictas. §. XL. Differentia inter Doctorem vel Patrem & Legislatorem. Inconuenientia doctrinæ, monita Adamo data exponentis ad instar legum despoticarum. §. XLI. Ista inconuenientia non metuenda, dum leges Mosaicas dicimus habere instar legum dominicarum, §. XLII. Ex dictis ostenditur: Legem diuinam naturalem & positiuam non esse species vniuocas: Legem Mosaicam naturali oppositam denotare saltem leges pure positiuas; denique nullam dari legem diuinam positiuam vniuersalem. §. XLIII. Vltimum hoc probatur quoad legem de sacrificiis & sabbatho, §. XLIV. Quoad leges pœnales homicidii & similes, §. XLV. porro quoad leges quæ dicuntur matrimonia-

les, §. XLVI. vtpote quae fundantur non in bono absolute dicto, sed in bono maiore. §. XLVII. In specie respondetur ad exempla de concubitu vago, sodomia, polygamia, & diuortiis; §. XLVIII. de Incestu & concubitu cum menstruata. §. XLIX. Ostenditur similem esse rationem praecepti Noachidici de non comedendo sanguine §. L. Ad obiectionem ex Leuit. XVIII. respondetur 1. non iuste inferri: est abominatio coram domino, ergo coercetur lege vniuersalii poenali. §. LI. 2. Extirpatio gentium omnibus istis abominationibus inquinatarum, non probat, quod qui singulas perpetrant, morte sint puniendi. §. LII. 3. per extirpationem a populo suo non semper intelligi poenam capitalem. §. LIII. Sensus admonitionis diuinae d. Leuit. XIIX. §. LIV. Imperium mariti non esse legem vniuersalem maritos obligantem §. LV. Sed referri saltem ibi a Deo fructus lapsus. Cautelae de imbecillitate sexus foeminei. §. LVI. Ius naturae sumi vel late, vt praecepta honesti & decori sub se comprehendat, vel stricte, vt sola denotet praecepta iusti. §. LVII. Fontes praeceptorum honesti & decori §. LVIII. Leges, quas antea diximus esse positiuas vniuersales, sunt conclusiones ex regulis honesti & decori. §. LIX. Honesti & decori differentiae, item virtutis & iustitiae, vitii & criminis. §. LX. Definitio Legis propriissime dictae. §. LXI. Omnem legem proprie dictam esse ciuilem & positiuam. §. LXII. Ius Gentium esse legem improprie dictam,

ctam, §. LXIII. item iussa patrum familias §. LXIV. Omnem legem proprie dictam debere publicari. A modo publicandi legem esse vel scriptam vel non scriptam. §. LXV. Notatur error communis ICtorum de lege scripta non scripta. §. LXVI. Legem non scriptam & consuetudinem differre. §. LXVII. Errores communes de iure consuetudinario. §. LXVIII. Respondetur exemplis de poenis diuiniis arbitrariis ante Mosen §. LXIX.

§. I.

EXposui quidem in Institutionibus Iurisprudentiæ diuinæ prolixius meam sententiam de natura & diuisione Legum aduersus communes doctrinas Scholasticorum & eorum, qui Puffendorffio controuersias ea de re mouerunt. Legi ea potest *lib. 1. dictarum Institutionum cap. I. n. 28.-33. 134. 135. C. 2. n. 3. 4. 6. 7. 10. 11. 63. 64. 94. 97. 117. 119.-128.* Sed quia tamen posterioribus cogitationibus deprehendi, me multa tum admisisse pro veris propositionibus, quæ ad errores communes referenda sunt, opera danda est, vt & illa iam emendentur.

§. II. Fons omnis erroris exinde oriri videtur, 1. quod Legis definitio generalis quæsita fuerit æque aptanda Legi diuinæ, quam humanæ, tanquam speciebus vniuocis, cum tamen lex diuina sit æquiuoca, certe analoga

h. e. lex si non improprie, certe non proprie dicta. De Deo enim tanquam ente incomprehensibili & infinito nullum prædicatum creaturæ proprie dicitur. Lex autem est prædicatum respiciens actionem humanam, vel certe eius relationem ad alios homines. Paucis: lex proprie dicta fertur & hominibus & ab hominibus. 2. Quod, cum Legis vox sæpissime etiam de dogmatibus & consiliis, item monitis paternis, &c. sumatur, tam in sacris literis, quam apud alios scriptores in doctrina de Legibus diuinis vniuersalibus, legis vox stricte nimis fuerit obseruata in conceptu dominico, quatenus monitis paternis opponitur, cum tamen Deus etiam se reuelauerit vt patrem & amicum humani generis. 3. Quod ex communi dicterio, quod consilium non obliget, (vbi obligationis vox stricte sumitur, vel, si mauis, iuridice pro obligatione externa) obligatio interna, nobilissima obligationis species, plane fuerit relicta, & ita obligatio generaliter accepta pariter erronee definita. Igitur sic tenendum.

§. III. Quia legis vox etiam de Deo ἀνθρωποπαθῶς prædicatur, vt intelligatur eo melius, quid tum denotet, ante omnia videndum est, quid sit lex proprie dicta, i. e. humana. Lex humana varia denotat: *Consilia, monita, dogmata, mandata, præcepta, pacta*; Amicorum

rum, patrum, dominorum; parium, ſuperiorum, inferiorum: (Inde in ſcripturis *δόγματα* ſœpe pro legibus ſumuntur.) Cum igitur hæc vox ſit homonyma, oſtendendæ erunt variorum horum ſignificatuum conuenientiæ & differentiæ. Conueniunt hæc omnia in conceptu generico, quod per ea præſcribantur regulæ viuendi hominibus in actionibus futuris, adeoque hoc reſpectu pertineant omnia ad prudentiam conſultatoriam, ſeu ad conſilia late dicta. Quatenus ea opponuntur prudentiæ iudiciali & iudiciis de actionibus humanis præteritis.

§. IV. Differunt variis modis. *Conſilium* dari poteſt ab omnis generis hominibus, amicis, patribus, dominis, paribus, ſuperioribus inferioribus: *dogma* eſt præceptorum, *pactum* parium, *monitum* patrum & præceptorum, *præceptum* patrum, præceptorum & dominorum: *mandatum* vel ſuperiorum vel parium. Porro: *Conſilia, monita, mandata, præcepta, pacta* magis ſeu immediate reſpiciunt voluntatem eiusque actiones, *dogmata* immediate intellectum. *Dogmata* non obligant quia omnis obligatio eſt affectio voluntatis, ſed perſuadent vel non perſuadent: *Conſilia* ſi prudentia ſint perſuadent, & ſi perſuaſerint obligant: *Monita* obligant, ſed magis intendunt perſuadere: *Mandata* & *præcepta*

obligant, item *pacta* etiamsi non persuaserint.

§. V. *Persuasio* igitur est affectio intellectus, qua intellectus credit, aliquid esse verum in genere, hoc est, siue de boni conceptu agatur, siue de conceptu alterius rei: siue intellectꝰ putet, se eius rei scientiam firmam habere, siue saltem fidem seu verosimilitudinem. *Obligatio* est affectio voluntatis, vi cuius voluntas hominis alio inclinans retrotrahitur ob metum mali.

§. VI. Scilicet voluntas hominis inclinatur regulariter natura sua ad res quasdam, non quas ipsi intellectus bonas esse persuasit, sed quas ob inclinationem sibi bonas persuadet. Inclinatur autem vel directo ex concupiscentia & amore, & tum intellectus concipit rem tanquam bonum per se, vel comparatiue ex fuga, & odio mali, & tum intellectus sibi rem concipit tanquam bonum per accidens. Vnde regula: minus malum induit naturam boni & vice versa. Natura autem voluntatis humanæ non est eadem, sed infinitis modis diuersa, non solum intuitu individuorum humanorum inter se comparatorum, sed & intuitu singulorum hominum, quia singuli possident triplicem voluntatem pravam & vnam bonam, sed natura imbecillimam

mam. Hinc infinita & contradictoria appetunt homines.

§. VII. Voluntas hominum omnium natura inclinatur ad verum malum. Malum autem infinitum eſt. Verum bonum vnicum. Ergo vti inclinatio directa ad verum bonum in ſtatu naturæ corruptæ qua talis non datur, ſed omnis eſt comparatiua: Ita & illa inclinatio ſi daretur, non eſſet *obligatio*, ſed ſumma *libertas* & ſpontaneitas, cum obligatio quaſi coactionem & metum ſemper præſupponat.

§. VIII. Non tamen omnis retrotractio voluntatis ob metum maioris mali obligatio eſt, e. g. in viatore intuitu latronis. Hinc tradendum eſt, quomodo *vis* & *obligatio* differant. Vbi hæc præſupponenda. Maius illud malum, ob quod voluntas hominis alio inclinans reprimitur, vel neceſſariam i. e. naturalem connexionem habet cum actione, ad quam homo inclinatur, vel dependet a libero aliorum hominum arbitrio. Ita quoad priorem caſum, nimiæ & ſœpius frequentatæ; aut etiam alias imprudenter ſuſceptæ act ones voluptuariæ, ambitioſæ, ex auaritia profluentes natura ſecum trahunt varios morbos, contemptum aut odium & inimicitiam aliorum hominum; item damnum rei familiaris, item maiorem quotidie deprau tion m vo-

luntatis, & inquietem animi. Mala, quæ a libero aliorum hominum arbitrio dependent, vel talia ſunt, vt ad ea inferenda homo ille ius & poteſtatem habeat, vel talia, vt proveniant ab eo, qui talem poteſtatem non habet.

§. IX. Igitur *vis* eſt, quando mala, quæ metuuntur, proueniunt ab eo, qui non habet poteſtatem inferendi e. g. a latrone. Contra *obligatio* eſt in reliquis metus ſpeciebus. Inde oritur diuiſio obligationis in internam & externam.

§. X. *Obligatio interna* eſt cum homo, cuius voluntas alio inclinat, metuit grauius malum ex naturali connexione oriundum. Obligatio *externa* eſt, cum homo, cuius voluntas alio inclinatur, metuit grauius malum a libero arbitrio eius dependens, qui poteſtatem habet talia inferendi. Facile hinc patet, quod obligatio *in lib. 1. Inſtit. Iurispr. diuin. c. 1. n. 134. 135.* definita ſit obligatio non in genere, ſed obligatio ſaltem externa, & quod obligatio interna ſit vinculum voluntatis æque forte, ſi non fortius, quam obligatio externa. Imo prudentiores ſunt, qui obligatione interna duce actiones inſtituunt, quam qui externa, ſecundum dictum: Oderunt peccare mali &c.

§. XI. Id tamen notandum, homines obligatione interna & actionibus ſuſcipiendis

re-

reprimi non ſolum, ſi malum naturalem connexionem cum ſua actione habens (quod metuunt) ſit verum malum, i. e. inquies animi, ſed & ſi ſit ſaltem malum apparens. Ita v. gr. ſi ambitioſus irritetur ad libidinem valdè, reprimitur eius actio ſæpe non ex fuga inquietis, ſed ex metu contemptus ſaltem humani, aut, ſi auarus irritetur, ex fuga damni &c. Vnde dependet diſcuſſio difficilis alias doctrinæ de conſcientia erronea, quam tamen prolixius excutere huius loci non eſt. Iam enim in viam. (*Confer.* §. 4.)

§. XII. Itaque *Dogmata* cum directo non obligent, fruſtra quæritur, an intendant obligationem externam, an internam. Si tamen ſunt dogmata de moribus, ſimul habent naturam conſiliorum. *Conſilia* & *monita*, intuitu eius, qui conſilium dat & monitum, intendunt obligationem magis internam, quam externam. At *mandata* & *præcepta* (Regum & Dominorum) item *pacta* magis obligationem externam, quam internam.

§. XIII. Porro quia omnes regulæ actionum humanarum reſpiciunt, aut reſpicere debent vtilitatem hominum; *Conſilia*, item *monita* & *dogmata moralia* reſpicere debent ex natura ſua vtilitatem eius, cui dantur; *Mandata* & *præcepta* dominorum natura ſua reſpiciunt primario vtilitatem dantis. *Pacta* ſi ſint ab

 ini-

initio δίπλευρα, reſpiciunt vtilitatem vtriusque, reliqua,vt ex iure notum,vel primario vtilitatem dantis vt mandatum, vel accipientis, vt donatio, commodatum, mutuum &c.

§. XIV. *Leges Politicæ* in Republica *Democratica* obligant per modum ſponſionis mutuæ, ergo debent reſpicere vtilitatem communem. In Republica *Ariſtocratica & Monarchia* non *abſoluta*, quia ibi Magiſtratus & Princeps debent eſſe Patres patriæ, etiam debent leges intendere vtilitatem communem. At in *Dominatu* & *imperio deſpotico* æque ac mandata & præcepta domeſtica Dominorum primario reſpiciunt vtilitatem Legislatoris.

§. XV. Ex dictis iam extrui facile poſſunt definitiones. *Lex* pro *dogmate morali* accepta eſt regula actuum moralium (*vide* §. *3.*) a præceptoribus (*vide* §. *4.*) propoſita auditoribus, vt intellecta vtilitate eius, intrinſeca obligatione cogantur, actiones ſuas ſecundum illam regulam inſtituere (*vid.* §. *4. 12. 13.*) *Conſilii* fere eadem definitio eſt, (*vid.* §. *12.*) niſi quod dogma ſit præceptorum, conſilium autem quorumuis (*vid,* §. *4.*) & quod Conſilium magis detur de actionibus ſingulis, dogma de vniuerſis. *Monitum* eodem modo definiendum, vt conſilium, niſi quod illud ſit magis patrum, & quod monitum tendat etiam ad ob-

obligationem externam, si liberi monitis sponte obtemperare nolint. (*vid.* §. 4. & 12.)

§. XVI. *Praeceptum* stricte dictum est regula actuum moralium, quo *dominus* vel *Rex absolutus* obligat seruos & ciues, vt actiones suas secundum eam sub metu poenae instituant ad vtilitatem praecipientis, (*vide numeros saepe citatos, & adde n. 14.*) Praecepta *patrum* & *praeceptorum* eodem modo definienda, nisi quod haec respiciant vtilitatem filiorum & auditorum, (*vid.* §. 13.) Lex stricte dicta seu praeceptum *reipublicae* est regula actuum moralium obligans subditos, vt metu nullitatis vel coactionis iudicialis vel poenae actiones suas secundum eam instituant ad vtilitatem communem, vel Regis in Monarchia absoluta.

§. XVII, *Pactum* est regula actionis moralis, qua contrahentes vt pares considerati obligantur sub metu coactionis iudicialis vel belli, vt promissa impleant, vel ad vtilitatem communem, vel vnius ex contrahentibus secundum variam pactorum naturam, (*vid.* §. 13.) *Mandatum* vel pro lege sumitur, vel pro pacto. Et ergo eadem est mandati definitio, quae legis vel pacti.

§. XVIII. Nihil addendum est, quam vt *obligationem externam* adhuc distinctius consideremus. Malum illud extrinsecus adueniens

ens, a libero tamen hominum arbitrio dependens, quod in obligatione externa metuitur, est vel metus *frustraneitatis*, vt ita dicam, vel *damni in re familiari*, vel *pœnæ*.

§. XIX. Omnis actio est propter finem, & homo adeo intendit, vt nihil agat frustra, unde Respublica dum negotiis quibusdam per leges formam præscribit, metum simul adiicit *nullitatis*, si subditi non instituant actiones secundum illam normam, ut in pactis, testamentis &c. Porro qui alteri damnum dat delictis, vel violatione fidei, æquum est, vt damnum illud datum resarciat, etiamsi ille inde nullum acquisiuerit lucrum, ac sic rursus *damnum patiatur* in re suâ familiari. Leges ergo humanæ metum talem incutiunt subditis, & damnum datum æstimant (quod tamen non pœna, sed interesse est) & restitutionem eius judiciis exequuntur. Quia tamen sponte debebant a delictis abstinere & pacta servare, & adeo delictis & violatione fidei incommodant rempublicam, insuper *pœna* per leges dictatur delinquentibus, & qui dolo nimis aperto fidem violant.

§. XX. Inde patent diuersi *obligationis externæ gradus* & effectus legum politicarum diversi. Metus nullitatis *infimus* est, metus damni *grauior*, metus pœnæ adhuc *grauior*. Et quia pœnarum vna altera grauior est, inde

&

& metus pœnarum suos *diuersos gradus* habet.

§. XXI. *Lex* igitur humana *strictè* dicta & *consilio* & *monito item dogmati morali* & *pacto* opposita, in eo a consilio, monito, & dogmate morali differt quod hæc operentur saltem obligationem internam; lex producat obligationem externam. A pacto differt, quod pactum sit inter pares, qui vel superiorem habent, vnde pactum producit actionem, vel non habent, vnde oritur ius belli. Nisi pactum transferat imperium in alterutrum paciscentium, tum enim ex natura huius pacti intuitu inferioris nulla producitur coactionis species, quæ actioni vel bello sit similis, quia hæc cum imperio non potest subsistere: (an pactum tale producat metum nullitatis, id est, vt imperans, si ipse pacta non seruet, amittat imperium, societas soluatur, quæstio est altioris indaginis. Res ex natura societatis dominicæ diiudicanda. Et in applicatione ad societatem ciuilem media via inter sectas Machiavellistarum, & Monarchomachorum est quærenda.) Ast intuitu superioris qua talis, coactio oritur, quæ tamen nec actio iudicialis est, nec bellum, sed pœna.

§. XXII. Lex autem (qua pacto opponitur) semper est actus superioris ius puniendi, iudicialiter cogendi, & annullandi haben-

tis

tis. *Legis* ergo humanæ *virtutes* immediatæ ſunt *præcipere* & *vetare*. Mediatæ & conſequentes, per Magiſtratus *punire* iudicialiter, *cogere*, aut *annullare* actiones contra leges.

§. XXIII. Ex his patet, Legem pœnalem eſſe quidem ſpeciem legum eminentem, legem exequentem (coactione judiciali) aut annullantem eſſe ſpecies inferiores, ſed tamẽ ſpecies, quia cum coactione coniunctæ. Inde caute exponendum quorundam Politicorum dogma, quod *omnis Lex proprie dicta debeat eſſe pœnalis*.

§. XXIV. Falſum etiam illud, ni fallor, Hobbeſii, *omnem legem natura ſua eſſe disiunctiuam* & ſenſum habere aut hoc fac, aut pœnam patere. Nam Lex pœnalis disiunctiua non eſt, quia, qui pœnam patitur, per paſſionem pœnæ non acquirit ius & licentiam in poſterum contra leges peccandi, ſed tum pœna augetur. At in lege disiunctiua, v. g. nemo curru vehatur, niſi qui (vel ſemel vel ſingulis annis) tot aureos pendat; licentia acquiritur alterutrum faciendi, nec finis eſt, ut metus incutiatur. Vnde leges hæ disiunctiuæ ſunt leges impropriæ dictæ, & ſaltem ita dicuntur, quia a ſuperiore proponuntur, per promulgationem.

§. XXV. Denique legis virtus non eſt *permittere*. Et recte Grotius: permiſſio non eſt

eſt legis actio, ſed actionis negatio. Permiſſio etiam non eſt regula actionis moralis, qui tamen eſt conceptus generalis legis quocunque modo ſic dictæ. (*vide ſupra* §.3.) Orta autem eſt diuiſio Legis in præcipientem & permittentem ex confuſione iuris & legis. Ius eſt vel permiſſiuum (v.g. dominium, patria poteſtas) i.e. attributum perſonæ, vel præceptiuum i.e. Lex. Confuſio illa maximam partem debetur interpretibus Iuris Romani & fundatur *in l. Legis virtus ff. de LL.*

§. XXVI. Iam ad *Leges diuinas*. Voluntas Dei quam manifeſtauit hominibus, debet vtique eſſe norma actionum humanarum. Sed hoc ſaltem infert conceptum *Legis generalem*, quatenus a dogmate morali, conſilio, monito, pacto, & lege ſtricte ſic dicta præſcindit *per d.* §.3.

§. XXVII. Hæc voluntas Dei vel eſt rationi hominum inſcripta, vel a Deo publicata per ſcripturam. Inde diuiſio Legis *diuinæ* in legem *naturalem* & *poſitiuam*. At per hanc obſeruationem iterum nihil ſpecialius infertur, ſed manet adhuc conceptus *generalis*.

§. XXVIII. In his ergo conuenimus cum communi doctrina. Iam vero quæritur; *an Lex diuina*, quæ vel naturalis vel poſitiua eſt, aut an lex naturalis in ſpecie vel lex poſitiua *in ſpecie* dicatur ἀνθρωποπαθῶς de *conſilio*, an

de

de *pacto*, an de *monito*, vel de *dogmate morali*, an de *lege* (*dominica* vel politica) ſtricte dicta?

§. XXIX. *Deus* intuitu hominum proprie nec conſiliarius, nec pater, nec doctor nec Rex eſt, omnia horum vero de Deo prædicantur per ſimilitudinem. *Conſiliarius* & *Doctor* eſt, quatenus homini ſemina doctrinæ moralis & prudentiæ conſultatotiæ indidit. *Pater*, quatenus creaturis ſuis maxime autem homini & eſſe dedit & bene eſſe, & quatenus eſt autor omnis boni. *Rex* eſt, quatenus leges pœnales publicauit & per Moſen populum Iſraeliticum rexit.

§. XXX. *Pacti* vox de *voluntate Dei* non niſi valde improprie prædicatur, 1. quia pacta fiunt inter pares qua tales, at Deus quando pactum init cum hominibus ſemper retinet conceptum ſuperioris; h. e. vult hominem ſibi obligare, non vero ſe homini. 2. Homo vero iam ante pactum erat obligatus Deo obligatione intrinſeca, quæ non augetur per pactum. 3. Quæ Deus promittit, ea ob ſanctitatem ſuam non poteſt non ſeruare. Vnde homo in Deum fidens non opus habet promiſſo, quia beatitudo neceſſario eſt connexa cum vita virtuoſa. Homo autem Deo diffidens nullum ius acquirit in Deum per hanc promiſſionem. Quia tamen Deus ſœpe in ſcripturis mentionem facit foederis cum Noacho

acho,cum Abrahamo, cum populo Iſraëlitico per Moſen,& fœdus ſpecies pacti eſt, inde poteſt etiam pacti vox de voluntate Dei ſuo modo prædicari.

§. XXXI. Illa tamen Obſeruatio eſt probe notanda, ne, quod nonnulli ex nouioribus Theologis,& Puffendorffius etiam *in opere poſthumo*, item Huberus *peculiaribus diſſertationibus de fœderibus & teſtamentis fecerunt*, quæramus illuſtrationem doctrinæ de œconomia diuina ex natura pactorum, vtpote quæ magis ob tot differentias obſcuratur, quam illuſtratur.

§. XXXII. Nam in ſcripturis,quantum memini,nunquam dicitur, inter *Deum* & *Adamum* pactum & fœdus interceſſiſſe: & magis explicatur voluntas Dei Adamo manifeſtata ex natura conſilii & moniti, quam ex natura pacti.

§. XXXIII. Fœdus cum *Noacho* & *Abrahamo* initum ſimilitudinem ſaltem quandam cum pacto habet, ſed valde remotam, tantum abeſt, vt ex natura pacti negotium iſtud doctrinaliter poſſit exponi. Idem eſt,ac ſi monita patris, quibus promiſſiones beneuolentiæ iunctæ ſunt, fœdus dicere & pactum velim. Magis enim retinent naturam monitorum & conſiliorum, & ex horum doctrina felicius explicantur, quam ex natura pacto-

rum, præprimis cum iam Grotius promissiones patrum, patronorum &c. a pactis & recte separauerit, quia non inducunt obligationem ex parte promittentis.

§. XXXIV. Fœdus *Mosaicum* habet naturam illius pacti irregularis, quod descripsimus §. *21.* Vnde nec hoc ex natura pacti regularis exponi potest. *Christus* magis vt Doctorem se manifestauit, quam vt paciscentem. Quod vero eius doctrina appelletur nouum fœdus, magis ab interpretibus prouenit & collectoribus librorum N. T. quam vt in textu sic vocetur. Quamuis hæc locutio possit retineri eo sensu, quatenus Christus in genere cum Mose comparatur, aut quatenus Christus dicitur, cum patre suo pactus esse de salute humani generis. Et melior est locutio, quam si per testamentum explicetur. Conf. omnino Huber. *dictis dissert. & in obseruat. iuris publici ad Tom. I. Inst. Histor. Ciuil. p. 512.*

§. XXXV. Missa igitur comparatione voluntatis diuinæ cum pacto ob dictas rationes, restat, vt videamus, vtrum voluntas diuina magis recipiat comparationem cum *lege dominica* vel regia, vtrum cum *monito paterno* aut doctrina morali, quæ species consiliorum potius sunt, quatenus consilium legi opponitur per dicta §. *21.* Quod si accurate & absque præiudicio doctrinam scripturæ, quæ vbique

hic

hic fundamenti loco ponenda eſt, conſideres, patebit, Deum ſe in creatione manifeſtaſſe non tam vt Regem, quam vt patrem benignisſimum, & hanc manifeſtationem continuaſſe in Patriarchis vsque ad tempora Moſis, per quem vsque ad aduentum Chriſti ſe manifeſtauit in ſpecie populo Iſraelitico vt Regem & Dominum: Chriſtus autem ſe manifeſtavit iterum vniuerſo generi humano vt patrẽ benignisſimum; ad quem Chriſtus θεάνθρωπος diuina ſua doctrina ducebat. Poſſes etiam ſic dicere: Deum in œconomia ſua ſe manifeſtaſſe ſecundum omnes tres ſtatus ſocietatis domeſticæ. Adamo & Patriarchis vt *Patrem*, Iſraëlitis per Moſen vt *Dominum*, Gentibus omnibus in Chriſto & per Chriſtum vt *ſponſum*.

§. XXXVI. Vti vero hæc de Chriſto prolixius deducere ad præſens inſtitutum non pertinet, & præterea hanc ſententiam omnes paginæ hiſtoriæ Euangelicæ teſtantur; de manifeſtatione autem per Moſen non eſt dubium; ita ſaltem probanda eſt prima aſſertio: *Deus ſe manifeſtauit Adamo vt Patrem benignum, non vt dominum & Regem*, ſeu leges Adamo datæ ſunt potius monita paterna, quam leges regiæ h. e. produxerunt obligationem *internam* non *externam*.

§. XXXVII. Probamus hanc ſententiam,

 quia

quia leges Adamo datæ etiam ex communi ſententia vel ſunt naturales, vel poſitiuæ. *Naturales* quod attinet, vti non fuerunt publicatæ Adamo, ſed cordi eius inſcriptæ, ita perpetuo qua tales nullam aliam niſi *obligationem internam* producunt, grauisſimam tamen, quia metuunt malum neceſſarium, quod euitare aſtutia non poſſis, ſc. inquietem animi & amiſſionem pacis internæ pariter ac externæ. Quamuis enim antea Doctores putauerint, pœnas externas humanas, quæ v. g. homicidio, adulterio &c. irrogantur, etiam a natura deberi, contrarium tamen huius rei iam docuimus *in Inſtit. Iurispr. diuinæ*, & Origo erroris communis profluxit ex neglecta diſciplina iuris naturalis & inepte expoſita comminatione Caini *Geneſ. IV.* quam alii de præcepto naturali, alii de præcepto poſitiuo vniuerſali habuerunt. Vtrique parum apte, quia & ibi monitum magis eſt & dogma morale, quam præceptum.

§. XXXVIII. Igitur ſola hic reſtat lex Protoplaſtis data *de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali.* Quam communi errore hactenus fere vnanimiter habuimus pro lege regia & poſitiua, quia negleximus ſecundum regulas bonæ interpretationis exponere hiſtoriam creationis & lapſus, & ex principiis Papiſticis Deum conſiderauimus vt Tyran-

rannum vel despotam esum certi cibi sub poena capitali prohibentem, qui cibus alias homini nullum damnum inferret, sed vbi loco rationis nihil aliud afferri possit, quam sic volo sic iubeo, stat pro ratione voluntas. At si, quod monstrabimus mox, luculentius alibi ostendatur, fructum arboris vetitæ fuisse destinatum ad cibum serpenti, adeoque in eo fructu fuisse quasi concentratum spiritum, virtute pollentem, vt produceret sapientiam terrestrem ac cupiditates terrestres, patet, & huius intuitu legem Adamo datam esse monitum paternum, ac mortem subsecuturam non esse malum arbitrarium, sed necessarium.

§. XXXIX. Ergo & illa lex de non comedendo ab arbore vetita est mere naturalis, cuius rationem æque intelligebat Adamus ac rationem de non occidendo &c. Nec obstat, quod hæc lex fuerit publicata Adamo. Nam primo etiam summa capita legis naturalis sunt publicata in decalogo Israëlitis. Secundo publicationis Adamo factæ ideo fit mentio, quia Deus præuidebat, spiritum Adami terrestrem irritatum maxime iri per hunc fructum. Ita v. g. Pater filium morigerum & prudentem, natura tamen ad sexum sequiorem inclinantem, non desinet hortari & ei monita salubria dare, & si sciat, filium iam in intellectu possidere principia moralia de turpi-

tudine ſcortationis, & hactenus etiam fugiſſe meretrices.

§. XL. Uti ergo Lex naturalis non eſt Lex Politica, ſed conſilium & monitum paternum, ita etiam neceſſario ſequitur, *pœnas diuinas*, quas homo ex violatione horum præceptorum metuit, eſſe minus proprie dictas. Nam Pœna proprie dicta eſt metus mali externi arbitrarii, nullam neceſſariam connexionem habentis cum actione turpi. Ita improprie dicta pœna eſt, ſi quis ex ſcortatione morbum Gallicum ſibi contrahit, ſi quis in facto audaci & periculoſo damnum in corpore &c. ex illo facto patitur.

§ XLI. Differentia ſimul patet inter *Doctorem* & *Legislatorem* abſolutum. Doctor emendat amice, coactione amica, i. e. interna. Legislator emendat iracunde coactione externa. Metus Doctoris & *Patris* eſt metus filialis; Metus Domini & deſpotæ ſervilis. Pater & Doctor primario quærit vtilitatem filii & diſcipuli: Dominus & deſpota primario ſuam. Iam conſidera, annon neceſſario illi, qui Leges diuinas vt Dominicas exhibent, ſimul Deum ſiſtant vt dominum, qui ſuam primario vtilitatem quærit, & inculcent metum non filialem, ſed ſeruilem.

§. XLII. Ergo id tamen verum eſt, Deum *in Lege Moſaica* publicaſſe Leges, quæ

vera-

verarum legum Politicarum & dominicarum instar habentur: quia adiunctæ sunt plerisque pœnæ & reliqui effectus Legum Politicarum (*vid. supra* §. 22.) Dico *instar* Legum despoticarum, non quod Deus voluerit per Leges Mosaicas introducere metum seruilem, & in illis Legibus suam primario vtilitatem quærere, sed quod homines pertinaces & non nisi metu seruili reprimendos aliter in viam reducere non potuerit. Quemadmodum pater, si filius nequam monita paterna contemnat, & ad nequitiam omnem inclinet, vitio filii vt seruum eum durius tractat, donec in ordinem redigat.

§. XLIII. Ex dictis autem constat 1. Quod diuisio legis diuinæ in naturalem & positiuam non sit diuisio in species vniuocas, sed distinctio æquiuoci. Lex naturalis enim est monitum paternum, lex positiua est lex despotica. 2. Quod, cum Lex naturalis & Mosaica opponantur sibi, per legem Mosaicam intelligantur saltem præcepta forensia & ceremonialia, non amor Dei & proximi subinde in lege Mosaica, maxime vero in Decalogo repetita, vtpote quæ per aduentum Christi non debuerunt expirare, sed potius a Christo renouata sunt. 3. Quod omnis lex diuina positiua sit particularis, &

quod adeo non detur lex talis diuina vniuersalis.

§. XLIV. Quod vltimum vt distinctius concipiatur, notandum, me in Institutionidus Iurisprudentiæ diuinæ potissimum tria capita retulisse, ad legem positiuam vniuersalem: *Præcepta de sacrificiis & cultura Sabbathi*; de pœnis capitalibus homicidii, adulterii & similium criminum, ac leges matrimoniales. Præcepta de sacrificiis & cultura Sabbathi pure Mosaica esse, irrefutabiliter ostendit honos Angliæ Spencerus, in tractatu egregio de Legibus Hebræorum ritualibus, adeoque nobis hic otium fecit.

§. XLV. *Pœnas capitales* homicidii, incestus, & similia, de quibus dicit Deus, quod ea patrans debeat extirpari a populo suo, retuli *id Institutionicus Iurispr. diuinæ lib. 3. cap. 7.* §. *129. seq.* ad legem positiuam vniuersalem, quas mutare non sit in principis arbitrio. At omnia, quæ ibi pro fundenda illa asserrione attuli, cadunt, si quis vel totam rationem *ibidem in nota ad* §. *vltimam* illatam consideret; quod phrasis extirpari de populo suo non semper denotet pœnam capitalem. *Confer. dicenda mox* §. *LI. seqq.*

§. XLVI. Quod autem leges *Matrimoniales* attinet, de iis sic tenendum. Non publicatæ illæ sunt Adamo aut Noacho, multominus

minus certa pœna humana iis addita. Interim cum Deus ipse matrimonium instituisset, nec frustra vnam vni iunxisset, facile perspiciebant Patriarchæ tam ante, quam post diluuiani, *melius* esse, si ea, quæ communiter ad leges nuptiales diuinas referuntur, obseruarent, quam si diuersos mores sequerentur.

§. XLVII. Probatur autem *melius* esse viuere secundum illas regulas coniugales, quia talis vita indicat aut coniuncta est cum vita magis quieta, contrarii autem mores & si non directe turbent pacem externam, tamen occasionem multam suppeditant turbis, vel certe indicant in homine, qui iis vtitur, magnam libidinem & inclinationem ad voluptatem, atque adeo aliis scandalum præbent.

§. XLVIII. Ita *Concubitus vagus* citra societatem arctam, quæ coniugium dicitur, haud dubie libidinis testimonium est, adeoque melius est, certam personam seligere, cum qua liberos procreemus, quam scortari. *Sodomitica* crimina vero sunt eminentes libidines. *Monogamia* melior est, quam Polygamia, vti late probauit Puffendorffius *de I. N. & G. cap. de Matrimonio.* *Diuortia* indicant plerumque libidinem, si fiant ea intentione vt alia ducatur, aut imprudentiam, si ob mores prauos fiant, quod non satis circumspe-

ctus quis fuerit in seligenda persona: is autem qui ob mores tales repudiatur, haud dubie est homo parum quieti animi. Breuiter, melius haud dubie est, si quis coniugem nactus sit, cum qua indiuiduam consuetudinem habeat, quam si diuortium ab ea faciat.

§. XLIX. *Incestus parentum* haud dubie ex libidine fit, quia diuersitas aetatum, reuerentia parentibus debita, & familiaritas coniugalis facile indicant, non esse coniugium prudens, si pater cum filia iungatur, multo minus si filius cum matre: Eadem ergo fere est hic moralitatis ratio, quae in aliis senibus, quando cum iuuenibus matrimonium contrahunt. *Incestus sororum & fratrum ac reliquarum personarum* est saltem contra legem Mosaicam, quia abstrahendo a multis circumstantiis particularibus, quae non sunt communes toti humano generi, in coniugiis eiusmodi nulla turpitudo naturalis adest, inde etiam viri sancti ante legem Mosaicam talia matrimonia habuerunt. *Concubitus cum menstruata* indicat magnam libidinem, cum ea res damnum afferat sanitati, & etiam partum ipsum reddat morbis obnoxium,

§. L. Denique eadem est ratio *legis Noachidicae de non comedendo sanguine*, & homo sanguinem comedendo magis magisque similis fit bestiis, quarum sanguis est, vel cru-

delis redditur, ad appetendum sanguinem, adeoque magis recedit a statu tranquillitatis. Et hæ rationes indicantur in ipsa lege Noachica *Gen. IX.* Quod vero hoc præceptum publicatum legitur, factum fuit, non ob Noachum, qui bene moralitatem illius iam intelligebat, quam ob peruersos & deprauatos mores pristinos, qui valde adhærebant adhuc Noachi liberis. Vnde eadem est ratio huius publicationis, quæ publicati decalogi. Quare non obstat dictus locus Geneseos, vt exinde opponere possis clarum exemplum legis pure positiuæ vniuersalis. Adde, quod, etiamsi positiua esset, esset tamen saltem monitum, non lex pœnalis, quia non adiunctam habet pœnam externam.

§. LI. Porro non obstat *Levit. XVIII.* vbi Deus dicit, quod Gentes se contaminauerint in *omnibus* illis *abominationibus*, & quod eos *propterea* eiicere velit, item quod omnis anima, quæ tales abominationes faciat, debeat *extirpari* a *populo suo*. Resp 1. *Abominationes* Domino sunt omnia vitia, etiamsi pœna externa non coërceantur, aut etiam iustam causam bello non præbeant, vt intemperantia, ingratitudo, cor falsum &c. Ergo non sequitur: est abominatio coram Domino, ergo prohibita est lege pœnali, multo minus lege positiua diuina.

§. LII.

§. LII. 2. Quod *extirpata* sint gentes, non factum fuit, quod contra vnam vel alteram legum illarum peccauerint, sed quod contra *omnes*, vt clare textus loquitur, vnde falsum est, quod exinde probari possit, Deum eas leges *singulas* apud omnes gentes voluisse pœna capitis muniri. Ratio vero aperta est, populos, qui talibus moribus sunt praediti, esse gentem mollem, stultam ac iniustam, quae alios vicinos populos maxime irritet, & quae postea incapax sit, contra hostes suos se defendere. Omnis enim luxuria & mollities eminens, est causa necessaria ruinae magnorum etiam imperiorum. Vnde iam intelligitur, quid velit illud *propterea*. Nam opera prouidentiae & iustitiae diuinae, non excludunt rationes philosophicas.

§. LIII. 3. Per *τό extirpari a populo suo* non semper intelligi pœnam capitis, argumento est *Genes. XVII. 14. Leuit. XX. 20. 21.* etsi Deus plerasque illarum legum pœna capitali in Lege forensi muniuerit, sed denotatur vel iudicium occultum Dei, vel etiam ratio naturalis. Nam homo ita luxuriosus, qui nullam harum legum matrimonialium obseruat, plerumque ineptus est, ad generandam sobolem, & mortem sibi ipso vitio accelerat.

§. LIV. Unde sensus dicti est; Libidines ibi

ibi recenſitæ, vti aliæ cupiditates humanæ, Domino abominationes ſunt. Gentes, quæ his omnibus contaminatæ ſunt, eiiciuntur a vobis ſedibus ſuis, atque, ne vos ſeducant, a vobis extirpabuntur. Vos vero omnes illas vitabitis ſub certa pœna humana, vel metu etiam iudicii diuini occulti, partim vt moribus veſtris ſeparemini ab iſtis populis, quos extirpabitis, partim, quia vna libido facile ſecum trahit alteram. Nam videmus, valde libidinoſos ad omnia ibi recenſita crimina pronos eſſe.

§. LV. Memoranda etiam eſt *Lex connubialis* de *imperio mariti*, quam & ipſam retulimus in Inſtit. Iur. diu. inter leges poſitiuas vniverſales. Sed reſpondetur: I. in Ebræo eſt & *dominabitur* tibi. Eſt ergo futurum, non imperatiuus. Vnde ſtulti ſunt, qui putant, præceptum eſſe maritis, vt imperent grauiter vxoribus, & absque læſione conſcientiæ non poſſint verbera omittere, ſi reſiſtant vxores (quorſum referenda ſententia cuiusdam Friedlibii in tractatu *de modeſtia ICtorum*) cum potius, ſi præceptum eſſet, ius, hoc eſt, libertas concederetur Maritis, & obligatio eſſet intuitu vxorum. Ius autem omne tale eſt, vt quilibet eidem renunciare poſſit. Neque ergo Deus voluit maritos eſſe carnifices vxorum, vti voluerunt quædam verſiones: vnde

und

cuius adeo oppositum est *malum comparatiuum*: & includuntur præcepto: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris.*

§. LIX. Ex dictis autem patet, quomodo *Lex naturæ* & leges illæ, quas antea ad classem legum *positiuarum vniuersalium* retulimus differant. Lex *naturæ* est illa lex naturæ stricte dicta continens principia *iusti*. Leges illæ *positiuæ vniuersales* non sunt leges positiuæ, sed sunt conclusiones ex principiis *decori* deductæ, vel etiam ex principiis *honesti*. *Decet* enim viros prudentes & sapientes non solum obseruare præcepta iusti, sed & honesti & decori. Vnde leges matrimoniales ostendimus primario respicere bonum *internum*, & euitationem *mali externi* etiam *per accidens* saltem procurandi. Ita lex de non comedendo sangvine respicit etiam primario quietem internam &c.

§. LX. Simul vero patet: quia *honestum* & *decorum* sæpe promiscue vsurpantur, quatenus sc. vtrumque opponitur iusto, quod & honestum & decorum sumantur etiam in sensu *lato*, quatenus vtriusque oppositum est actio vitiosa seu turpis & indecora, quæ tamen non est crimen. In sensu vero *stricto* a se differunt secundum tradita §. 58. Denique actiones contra ius Naturæ stricte dictum sunt *Crimina*, i.e. quæ vindictam pariunt. Habes

bes ergo ſimul differentiam inter *vitium* & *crimen*, item inter *virtutem* & *iuſtitiam*.

§. LXI. Cum itaque Leges diuinæ Ante-Moſaicæ ſint nihil aliud, quam præcepta iuſti honeſti & decori, & eiusmodi dogmata communi ſtilo legibus opponantur, patet, *Legem ſtricte & propriiſſime ſic dictam* eſſe voluntatem ejus, qui ſummam poteſtatem habet in Republica, patefactam ſubditis, vt ſub metu pœnarum, vel coactionis, vel nullitatis actiones ſecundum eam inſtituant.

§. LXII. Ex quo ſequitur: omnem legem proprie dictam eſſe *ciuilem* & *poſitiuam*. Poſterius iam probauimus, oſtendendo, legem naturalem eſſe legem improprie dictam. *Prius* iam paucis eſt oſtendendum. Cum enim præter legem naturalem etiam ius Gentium leges dici conſueuerint & in domo voluntas patrisfamilias habeat etiam vim legis domeſticæ, videntur & hæc iura ſub definitione legis proprie dictæ eſſe comprehendenda.

§. LXIII. Sed iam in Inſtitutionibus Iuris Diuini oſtenſum: *Ius Gentium* vel ſumi pro moribus Gentiū, vel pro iure proprie dicto. Mores, quia liberi ſunt & nullam obligationem inducunt, nō poſſunt pro Lege haberi, neque illi, qui contra faciunt, dici, quod violauerint ius Gentium. Ius Gentium proprie dictum eſſe ſpeciem iuris naturæ, ibidem o-

(6) T ſten-

ſtendimus: Ergo cum ius naturæ ſit lex improprie dicta, etiam ius Gentium proprie dictum, non proprie erit legis ſpecies.

§. LXIV. At *iuſſa patrum familias* regulariter momentanea ſunt, neque præſcribi ſolent tanquam communis norma, neque etiam id patitur facile natura ſocietatis domeſticæ. Ergo & hæc ſunt Leges minus proprie tales, cum lex proprie dicta debeat eſſe conſtans & durabilis & communis norma plurium.

§. LXV. Dico, legem debere eſſe *publicatam*. Et in hoc conſentiunt omnes: legem poſitiuam, vt vim obligandi habeat, requirere publicationem. Publicatio autem eſt duplicis generis: alia *viua* voce, alia per *ſcripturam*. Inde Lex eſt vel *ſcripta* vel *non ſcripta*.

§. LXVI. Scio quidem, huic ſententiæ contradicere communem ICtorum Scholam, qui ad eſſentiam iuris ſcripti dicunt non pertinere vt lex ſit ſcripta. Sed hic error inde prouenit quod ius ſeu *legem non ſcriptam* putauerint eſſe Synonymum iuris quod hodie *conſuetudinarium* dicitur, & quod ex hoc errore profluxerit alius error, ſcilicet doctrina communis, de requiſitis conſuetudinis, vt vim iuris accipiat, & tota fere doctrina de iure conſuetudinario.

§. LXVII.

§. LXVII. Legem non ſcriptam non eſſe ſynonymum conſuetudinis, ſed denotare leges abſque ſcriptura publicatas, patet ex *§. 10. Inſtit. de I. N. G. & C.* Nam Lycurgus leges ſuas publicauit abſque ſcriptura. (*Conf. Paul. Voet. Comm. ad d. §. 10.*) Neque Lacedæmoniorum ius pedetentim ex moribus eſt introductum. Quamuis non ſit diffitendum, ſi *d. §. 10. cum §. 9.* conferas, ipſum Tribonianum hæc duo diſtincta miſcuiſſe.

§. LXVIII. Errores vero iſtos communes *de iure Conſuetudinario* iam prolixius notaui in peculiari Diſſertatione de iure Conſuetudinis & obſeruantiæ: Cuius ſumma eo tendit: Conſuetudinem producere ius efficaciæ & impunitatis, non tamen ius obligationis, ſed legale, adeoque non eſſe ſpeciem legis proprie dictæ, probari tamen legem non ſcriptam per conſuetudinem.

§. LXIX. Antequam finiamus, reſpondendum eſt ad obiectionem, quæ moueri poſſit, cum diximus, leges diuinas ante Moſaicas non adiunctas habuiſſe pœnas proprie dictas arbitrarias, ſed tantum produxiſſe obligationem internam ex metu mali neceſſarii ortam. Etenim non deerunt haud dubiè, qui contra urgebunt exempla pœnarum diuinarum, diluvii, excidii ſodomarum, O-

nanis immaturâ morte extincti, & si quæ forte sunt adhuc similia. Hic etsi non desint responsiones aliæ, sed quæ altioris sunt indaginis, id vnicum iam, sed evidens responsionis loco dabitur. Omnes absq; difficultate fatebuntur, pœnas has iam recensitas esse pœnas non ordinarias, sed extraordinarias, quæ adeò non ad regulam pertinent, sed ad regulæ exceptiones. Quæ autem extraordinaria sunt, sunt extrà disciplinæ vel doctrinæ circulum. Ita Politicus iura Principis exponens non curat ea facta, quæ Princeps extra ordinem ex iustâ status ratione patrat. Unde etiam Rationes statûs non cadunt sub disciplinam.

OBSERVATIO XXVIII.

De SOLLICITA DIÆTA.

Σύνοψις.

Nutritionis necessitas §. *I. Et sanguinis imprimis restauratio* §. *II. Poscit alimenta* §. *III. Quæ quidem pauca sufficere possunt* §. *IV. Tam è vegetabilibus, quàm animalibus* §. *V. Interim notabilis est appetitus varietas* §. *VI. Imprimis sapidis imminens.* §. *VII. Brutorum quædam certis alimenti generibus à priori destinata videntur.* §. *VIII. Homo assuefit variis.* §. *IX. Imo interdum toleratu difficilioribus.* §. *X. Simplicior victus æqualem sanita-*

nitatem, ceteris paribus, prabet. §. *XI. Exempla multarum nationum.* §. *XII. Vario victui dediti sapiùs incommodè habent: sed & simpliciore utentes, si deflectant.* §. *XIII. At qui mediocribus incommodis adsuescunt, durantur ad maiora.* §. *XIV. Cuius contrarium evenit his, qui plane tanquillis rebus excidunt.* §. *XV. Unde, ubi tanquillitatis perpetua minor est potestas, moderata inaqualitas praferenda videtur.* §. *XVI. Non tamen luxuriosa variatio.* §. *XVII. Causa.* §. *XVIII. Animi & corporis sollicitus status.* §. *XIX. Exempla.* §. *XX. Etiam in morbis: Et à duriore ad simpliciorem mollem victum.* §. *XXI. Simplicissimi victus affectatam regulam.* §. *XXII. Incommoda sequuntur.* §. *XXIII. XXIV. XXV. Somnus horis certis adstrictus.* §. *XXVI. Praefertur iterum laboriosior diata.* §. *XXVII. Etiam ab infantia assuefacienda.* §. *XXVIII. Declinatur favor luxuriei.* §, *XXIX. Reliqua quoque res Diatetica, magis ad laborem, quam inertiam, aptanda.* §. *XXX. Sed & hoc non scrupulosè.* §. *XXXI.*

§. I.

Quam necessaria sit homini *nutritio*, & sanguinis præcipuè, perpetua *restauratio*, dilucescit satis ex eo, quod ipse *sanguis*, indies, imò velut in horas, ita *resolvatur* atque absumatur, ut, nisi reparatio talis perpetua subveniret, maturè

T 3 sane

sane vniversi huius vitæ thesauri iactura sequeretur.

§. II. Dum enim sanguis, perpetuo *motu* per subtiles poros partium, partim sui ipsius, partim corporis totius conservationi velificatur; Ita obtingit nihilominus ipsi, per *attritum* perpetuum ad solidas fibras, & intestinum motum caloris, sui ipsius extenuatio atque dissolutio, in *serum* excrementitium: Unde perpetuo nouo commeatu opus est, quo amissæ portioni noua quantitas substituatur.

§. III. In hunc finem assumi debere alimenta, vti in propatulo est; Ita eâdem rationis evidentia nititur, quod illa respondere debeant huic effectui, sive *materiam* talem suppeditare, è qua sanguis prognasci possit.

§. IV. Faciunt hoc, seu præbent materiam sanguini in genere constituendo aptam, partim è *vegetabilibus*, partim *animalibus*; simpliciora, & numero quoque pauciora, si illis acquiescere placeat: Præcipuâ inter hæc sunt *frumenta*, triticum, far, secale, oryza, milium nostras, & Mays Americanorum, quod vulgus frumenrum Saracenicum appellare consueuit, hordeum; Ab animalibus autem *Lac*. Neque vero minoris efficaciæ *amygdalæ* dulces, & aliqui congeneres *nuclei*, lactescente tali dulci medullâ constantes: Post hæc vero etiam alia, tum *legumina*, tum *herbæ* &

fru-

fructus varii, iuxta qualemcunque reliquum saporem, etiam leni quadum *lubricitate* instructi: Denique variorum animalium *carnes*, & excoctæ inde *gelatina*. Re vera tamen verè præcipua inter hæc omnia sunt dicta illa prima *frumenta* & lac.

§. V. Vbi quidem rationi obvium est, quod omnia horum generũ alimenta, proprie e *vegetabilibus*, sicut hæc e terra tota suam materiam nanciscantur. *Animalia* enim, quorum *carnibus* maximè vesci solemus, vegetabilibus nutriri, id est, materiam carnis suæ vegetabilia habere, in propatulo est; vbi tamen *Lac* veluti primum & simplicius tale extractum, sive materia, è vegetabilibus, â crassioribus & inutilibus feculentis sui portionibus, jam liberata existit, adeoque ad alimentum *animale* velut magis immediate constituendum, tantò magis iam aptata.

§. VI. Interim, est omnino insignis non solum humani appetitus *ἀταξία* sed brutis etiam non paucis familiaris (præcipue tamen illis, quæ homini magis adsuescunt,) ut neque *paucis*, neque *melioribus* & scopo directo, nempe nutritioni, magis immediate & velut absolutè quadrantibus, acquiescere velint, sed perpetuò, non magis ad *plura*, quam à nutritione larga *alieniora*, inclinent.

§. VII. Mirum profecto est, neque vlli *ra-*

tioni perscrutabile; cur homo, adeo amet & appetat res imprimis notabiliter *sapidas? Dulces*, *acidulas*, imo *amaricantes*. Sicut etiam omni *rationali* indigitatione caret, in quo proprie consistat determinatio illa, vt aliquæ tales res dicantur BENE, IVCVNDE, sapere; aut contra male sapere, aduersum saporem præbere. Quantumlibet autem nulla harum rerum, neque a priori, neque a posteriori, vere rationalis causa vel proportio subsit; Imo etiam multa horum minime *toti* hominum *generi* communia; Notum tamen atque certum est, quod in his præcipue rebus admodum prolixe occupentur plerique homines, vt appetitui suo, quam maxime vero ita, licet irrationali, tamen electiuo, indulgeant, imo longè magis ad huius generis esculenta ferantur, quam ad alia, certioris atque manifestioris vtilitatis.

§. VIII. De brutis quidem, negari neque potest, neque debet, quod in illis specialis quædam constitutio organorum, indigitare videatur, quod alia ipsorum ad hanc, alia ad aliam victus rationem, mox *a priori* formata & instructa sint. Ita enim *carniuora* animalia, ventriculum habent & intestina, a *graminiuororum* & *graniuororum* iisdem partibus, tota structura longe plurimum diuersa. Et coincidit hæc constitutio adeo in variis generibus

ribus animalium, vt fine reliquo respectu ad vniuersam suam speciem; hac in parte circumstantiam illam, quasi magis *genericam*, sequantur, vt ventriculum a reliqua auium, nempe *graniuorarum* conformatione, hac in parte prorsus alienam habeant, quotquot illarum *carniuoræ* sunt.

§. IX. Quicquid horum sit, & si vel maxime nuda quædam assuetudo, hominem ad illam ciborum varietatem ducere videatur, habet tamen homo propemodum certam & perpetuam hanc in hoc genere indolem, vt non magis varietatem ciborum, & quocunque modo alibilem succum præbentium, appetat, & desiderio quodam mox moxque sectetur; sed etiam illis satis promptè ita assuefiat, vt nisi coniuncta aliqua insigni efficacia polleant, quæ alteram illam alimentosam illorum consistentiam potenter superet, leuiter & tranquille illorum vsum toleret, & nihil sinistri facile inde experiatur.

§. X. Quid, quod etiam huiusmodi concreta, quæ cum alia quadam efficacia corpori *molesta*, imo non perfunctorie periculosa, aliquam tamen alimentosam substantiam *coniunctam* habent, non raro tamen placido & succesfiuo vsu, ita esui & vsui assuefieri possunt, vt posthac veluti plane dissimulatis aut superatis illis aduersis effectibus, simpli-

citer tolerentur, imprimis, quamdiu sanus de reliquo adhuc est, status corporis.

§. XI. Ex altera parte, obseruantur quidem etiam illi, qui *simplicore* victu vtuntur; si modo reliquæ res nonnaturales sese recte habeant (nempe *aëris* temperies, *motus* & *quies*, *somnus* & *vigiliæ*, *animi pathemata*, *excretiones* debitæ,) pariter longe commodissime vivere: imo iugi quadam æqualitate sanitatis, istos quasi semper superare, qui nimiæ tali esculentorum varietati indulgent.

§. XII. Cuius quidem rei vti apud *Americanos* imprimis populos, imo ipsos etiam *Africanos* bene multos, & *Asiaticorum* quasi medioxumos, per totas gentes, & innumera capita solida vigent exempla; Ita certe in nostris regionibus, ingenti quoque numero hominum res hæc indies confirmatur.

§. XIII. Interim monstrat vtique experientia attentius spectata, quod illi quidem, qui *varietati* ciborum *maiori* licentius indulgent, sæpius inde incommoda aliqua persentiscant, quibus alteri isti, qui æquali & simplici victu vtuntur, minus vexari notantur: Reuera tamen hi ipsi quoque *simpliciori* illi victui addicti; si ab illo, siue voluntate, siue necessitate aliquando *deflectant*, non modo non minores, sed sæpissime longe præter proportionem maiores molestias inde persentiscant.

§. XIV.

§. XIV. Accedit illud, quod homines, etiam in hoc ipso vitali negotio, *mediocribus* modo, non nimium frequentibus, talibus molestiis, non magis tolerandis, quam depellendis atque superandis *assuefacti*, posthac non raro etiam e *grauioribus* felicius sese expediant: nempe leuioribus velut experimentis atque exercitiis ad perpetrandas exonerationes atque depulsiones rerum plus minus noxiarum, habiles redditi: Cum econtra, illi, qui in vna continua, placida & æquali securitate, iugiter vixerunt, ingruentibus deinde extra ordinem periculis, quasi absolute improuiso malo sese nulla ratione opponere, aut sibi ipsis consulere possint.

§. XV. Vnde quidem, quamdiu reliqua ipsorum viuendi ratio *æqualis* manet, & victus æqualitati iugiter respondet, hi quidem posteriores, nempe *simpliciori* victui; addicti, ita constantius, imo securius æquali sanitate fruuntur, quam alteri isti, sine aliquibus incidentiis molestibus vix ita constanter viuentes.

§. XVI. At vero, vbicunque illa concurrit conditio, vt illa ita commode, tranquille, & æqualiter viuendi, constans libertas atque potestas, non æque suppetat: Res ipsa loquitur, & dictat sana ratio, quod, si vtique dubitemus *varietatis* assuetudinem illi viuendi *simplicitati* præferre (quod tamen serio facere, ego

ego non æque dubito) certe nihil prærogativæ, in hoc casu, hæc præ ista habebit, aut, *sub tali conditione*, illi præponi poterit.

§. XVII Moneo vero iterum iterumque, quod sub *varietate* victus, non denotem *luxuriosæ* gulæ studium, vt non solum quicquid in manus venit, auide deuoretur; imo quicquid fere a recepto vsu & vtilitate solida alienius est, inhiare placeat: Sed etiam quantitate, & tempore, ita extra orbitam ruere, vt hominis (nam his vitiis minus obsidentur bestiæ) intemperantissimi exemplar fiat. Sed intelligo talem varietatem, quæ magis ad *concoctionem* paulo *laboriosiorem*, *depurationem*, operosiorem, & *nutritionem* ipsam moderatiorem, quadret.

§. XVIII. Tali inquam, diætæ, præ altera simplicissima, eo sensu primas defero, quo magis in tota vita commendabile est, *labori* potius & *tolerantiæ*, quam *otiosæ mollitiei*, & rebus vndiquaque in procliui positis, assuefieri.

§. XIX. Hoc intuitu tanto minus æquipollere puto huiusmodi diætæ, quasi paulo laboriosiori, oppositam illam nimium *sollicitam* & *scrupulosam*, quæ non solùm curiosa *simplicitate* cibi & potus, & *mensura* insuper harum rerum mirè determinatâ; Sed etiam *anxia*, *animi*, non tam intentione, quam, sollicitudine,

ne, imò formidine ita circumcfripta fit, ut non magis ipfarum rerum phyficarum, aliquando deflectens quantitas atque qualitas: Quam *animi* mox concurrens incertitudo, follicitudo, imò trepidatio, varios labores pariat, & non magis ipfum *corpus* hinc oneretur, aut inufitata moleftia afficiatur, quam ipforum *motuum* in corpore regimen & directio hinc in perturbationem atque confufionem adducatur.

§. XX. Quid familiarius eft, homini in noftris, feptemtrioni appropinquantibus regionibus, quam potum *frigidulum*, imò *gelidum* bibere? Et tamen homo, & vir quidem, foli *calido* potui affiduo, per aliquam longum tempus affvefactus, vno hauftu frigido mortem combibit. Quot vero funt hodieque noftratium exempla, vbi hauftum potus à tepore ad *frigus* declinantem, ebibiffe, certa *tormina* grauiffima, *colica*, imò verò, exemplis non rariffimis *iliaca*, provocauit? Quantus eft hominum numerus, qui, fic carnis *pinguioris*, imprimis *veruecina*, aliquot bolis, mox cerevifiam fuperbibant, alii *naufeam* & vomitum, alii *tormina* ventris eximia, alii *alui fluxum*, alii *ftranguriam*, alii imanem *flatulentiam*, imò aliqui diuturniores ventriculi *tenfiones*, *preffiones*, *grauitatem* perpetiuntur: quæ vel in pertinacia *chronica* mala, ventriculi & inteftinorum debi-

debilitates, exeant: Vel *febres* tertianas aut quartanas pariant? Imo, quot sunt vtriusque sexus homines, quorum alios, leuis haustus immaturioris & nondum satis *defecatæ* cereuisiæ; alios, etiam cetera bonarum, sed tantum *diuersarum*, cereuisiarum, in eadem cœnâ potus, pessime habent? Vt de *cibis* reuera difficilioris concoctionis, & vel plane incognitis, & saltem per aliquod notabile tempus desuefactis, prolixiores non simus.

§. XXI. Imo, non subsistit hæc res in solius, de reliquo tolerabiliter *sani* status, limitibus; Sed extendit sese tanto magis, ad *vacillantis* sanitatis tempus. Vbi quidem, ne nude hactenus citati census exemplis inhæream, placet contrariæ rationis exempla citare: Ubi nempe non a *simpliciore* ac *teneriore* victu, ad multiplicem ac duriorem factus transitus, fraudi esse obseruatur: Sed etiam e contra, numerosa exempla occurrunt, vbi patientibus, duriori victui assuetis, nimis mollis atque teneri victus obtrusione, imprimis diuturniore, plus incommodi, molestiæ, imo non ita raro damni offertur, quam si vel plane non edissent, vel ad minimum duriore secalino pane pasti fuissent, aut sane vbi qualiscunque adhuc viget appetitus, consuetis suis cibis, quamuis pro stomacho alio non assueto, durioribus vsi fuissent. Experimentum

tum huius rei in hominibus, de reliquo sanis, duriori vero victui assuetis, (quo nomine Westphali imprimis noti sunt) suppetit illic locorum, vbi plures horum *molliore* diæta sustentari incipiunt, iusculis, pultibus, ouis sorbilibus, carnibus vitulinis &c. ibi citra aliam quamcunque sensibilem causam, incipiunt primo *stomachi* debilitate, *appetitus* imminutione, mox pleniore ciborum *fastidio*, *malo colore* &c. grauari, indeque magis magisque intermittentibus tertiunariis *febrilibus* symptomatibus, vel *ictero*, grauissima *flatulentia*, tensionibus, *angustiis*, imo *anxietatibus* hypochondriacis, obnoxii fieri.

§. XXII. Quotidiana sunt exempla, vbi homines, alias satis commode viuentes, neque conquerendi de valetudine insignem causam habentes, aut ad summum, tolerabilibus quibusdam tædiis indignantes, vitæ rationem non solum ex abrupto, sed prorsus in contrarium mutant; vt ex *pleno* victu, ad *tenuem*, ex commodo ad incommodiorem, transitum & progressum faciant. Ita v. g. sunt, qui dimisso omni alio potu, ad *simplicem aquam* diuertunt; Loco *lectorum* plumaceorum, *stoream* aut scamnum capessunt: Imo fuerunt, qui aquæ simplici, præter *panem secalinum*, nihil aliud coniungere vellent, aut etiam non possent.

§. XXIII. Ex his alii ita toto corpore male af-

affecti sunt, vt *cachecticis*, *scabiosis*; *scorbuticis*, *ictericis* incommodis, pessime habeantur: Plerique vero ad minimum famosum *hypochondriacum* malum inde accusent.

§. XXIV. Alii præsertim & corporis & animi paulo præsentioris, tolerauerunt quidem talia paulo fortius; Quamuis apud multos, & coloris, & corporis reliqui vigoris, visibilis in peius alteratio testaretur, quod plus dissimulationis, quam sibi constantis euphoriæ subsit: Interim hoc vtique omnes non magis fatentur, quam conqueruntur, quod posthac etiam a leuissimis contra hanc *simplicissimam* diætam erroribus, ita maximopere alterentur, quam sub pristina qualicunque diæta; minime fieri consueuerit.

§. XXV. Ita, vt ciborum aliorum, potus cereuisiarii, imprimis minûs defœcati, summam posthac impatientiam, silentio prætereamus; Ipse vel leuiores *aëris* atque temperatū perturbationes, facile illos sensibilissime turbant & male habent; Laboriosiorum operarum, non tam corpore, quam ipso animo vt plurimum longe magis, quàm impotes existunt &c. Verbo, quicquid exquisitæ rationi electæ suæ diætæ contrariatur, admodum difficulter ferunt; Ipsam verò hanc non facile tolerant.

§. XXVI. Nouimus exempla talium, qui

se-

somnum suum, certarum horarum ambitui ita adstrinxerunt, vt paulo post, si maxime vellent, non possint amplius, aut sane non directe & immediate, hanc periodum violare. Si enim vel dimidia hora *citius* solito, somno sese subtrahant, *dolore capitis* & grauitate insigni: Si tantundem aut paulo amplius, vltra tempus somno indulgeant, somnolentia notabili, & fastidio aliquid agendi, vix non per totum illum diem, corripiuntur.

§. XXVII. Quibus quidem rebus omnibus bene pensitatis, tantum abest, vt *exquisitam* illam, siue scrupulosam, diætam, facile cuiquam suaserim; vt potius tali, quæ paulo magis varia, ad reliquam vulgo receptam consuetudinem, inter nostrates, accedat, calculum adiicere nullus dubitem: Comprehendendo ibi præcipue moderatam assuetudinem (inter cibos alios, proniores ad illum effectum,) duriusculæ concoctionis ciborum.

§. XXVIII. Ante omnia ab ipsa vsque *infantia* nimis sollicitam, mollem eiusmodi diætam abesse velim, qua non solum ipsi *mores*, perpetuis cauendi, metuendi, contemnendi, seligendi, inculcationibus: Et absoluta illa, omnium minus solitarum rerum auersione, cuiuslibet minoris iucunditatis imprimis autem leuissimorum forte dolorum aut incommodorum fortuitorum, formidine

aut impatientia, multis modis *a teneris*, quod aiunt, *vnguiculis*, peruertuntur: Sed etiam *molle*, nimis quam *sensibile*, ne mediocrium quidem fastidiorum, nedum *laborum*, patiens redditur corpus: Imo potius perpetuis quiritationibus, quin veris & nihil simulatis sanitatis interuersionibus, si affectatam illam ἀκρίβειαν, absolute obseruare, variæ fortuitæ circumstantiæ vetent, plana via sternitur.

§. XXIX. Tantum autem abest, vt hac mea sententia, *luxuriosam* delicatæ *varietatis* cupidinem, comprehensam velim, vt potius illam, toto stadio hinc exclusam velim. Neque enim hanc approbare, iure videri possum, ubi, quæ corporis & animi mollitiem, stolida desideria, rerum alias tolerabilium quantumcunque contemptum, inferre possunt, accuso atque damno; & potius quæ *digestioni* qualemcunque *laborem* interdum facessant, eamque veluti vt plurimum *vigilem* & attentam reddant, laudo atque comprobo. Vnde non est, quod prolixius exprobationem declinem, quæ a sani intellectus hominibus, mihi intentari non possit.

§. XXX. De reliquis vero diætæ circumstantiis, & imprimis alacrioris *motus* solicita euitatione; De *aëris* quantumcunque *frigidi* aut *turbulenti* metu: De *vigiliarum* alacrum, erga otiosum *somnum*, proportione, & euitan-

da

da *sollicita nimis* temperie, fortassis omnium optime perorare possum sententiam meam breuissimis, asserto meo, superius dissertis verbis, ipsa re vero in tota tractatione prolato, quod videlicet in omnibus huiusmodi rebus plurimum *præstet, corpus & animum, potius laboriosiori, quam otiosiori habitui assvefacere.*

§. XXXI. Abstinendo tamen in hoc etiam proposito, a *sollicita* euagatione in *alterum* extremum; Vt vbilibet, seruando auream mediocritatem, rebus humanis etiam in hac parte recte consulatur.

OBSERVATIO XXIX.
De
PHILOSOPHIA ORPHICA.
SYNOPSIS.

Orpheus quis §. I. Exitisse vnquam Orpheum negat Vossius §. II. Infirmo eius argumento ab etymologia sumpto alia certiora opponuntur §. III. Patrum testimonia hic plurimum valent §. IV. Probatur Orpheum extitisse testimonio Iustini Martyris §. V. Athenagoræ §. VI. Tatiani §. VII. Origenis §. VIII. Vossio tamen adstipulatur Huetius §. IX. Respondetur ad testimonium Aristotelis ad quod Huetius prouocat §. X. item ad testimonium Dionysii §. XI. De loco Aeliani, qui de Androtione agit sententia Perizonii profertur & sub examen reuocatur §. XII. Orpheum eundem cum Mose fu-

isse contra Huetium negatur §. *XIII. De Philosophia Orphei praeclare meritus est V. C. Christianus Eschenbachius cuius Epigenes de Poësi Orphica commendatur* §. *XIV. An Iudei omnia a Barbaris acceperint* §. *XV. Philosophia Orphei ex scriptis eius ut inuestigetur, sistuntur eius* τελεταὶ §. *XVI. De more sacris ritibus doctrinam sublimiorem tegendi, iudicium* §. *XVII.* θρονισμοὶ μητρῷοι ϗ βακχικὰ §. *XVIII. XIX.* Κορυβαντικὸν §. *XX.* πέπλοι ϗ δίκτυον §. *XXI.* περὶ διὸς ϗ ἥρας §. *XXII.* Κρατῆρες §. *XXIII.* θεογονία §. *XXIV. Reliqua Orphicae Philosophicae capita vno fasce comprehensa sistuntur* §. *XXV.* ἐπικρισις *subiungitur* §. *XXVI.*

§. I.

Celebre maxime inter poëtas paritar ac Philosophos estOrphei nomen. Thrax ille genere fuit, patre Oeagro natus, Regis filius. De hoc namque sermo nobis est, cum neutiquam nos fugiat, plures Orphei nomine insignitos fuisse, cuius rei deinceps perspiciemus caussam. Hic autē Oeagri filius antiquissimus omnium fuit, & vt Zezes autor est, *hist. 399. Chil. 12.* Herculis coaetaneus fuit, floruitque annis centum ante bellum Troianum. Sed de temporum rationibus siquis hic dissentiat, cum eo non pugnabimus.

§. II. Id mirum, cum tot tamque clara veterum

terum de Orpheo extent testimonia, repertos fuisse viros doctos, qui dubitarent, num omnino Orpheus aliquis vnquam extiterit. Inter eos & Vossius est, quem nimia forte cupiditas ingenii in etymologiis excogitandis felicitatem ostentandi, in hanc sententiam deduxit. De Orpheo enim Musæo atque Lino ita philosophatur: *Puto enim Triumviros istos poëseos, Orphea, Musæum, Linum, non fuisse, sed esse nomina ab antiqua Phœnicum lingua, qua vsi Cadmus & aliquandiu posteri. Sane Linus carmen siue canticum ac præcipue lugubre, ut ex Athenæo, Eustachio, Suida, constat. Nomen vt puto non quia Linum eo deplorarent, quod Grammaticum est commentum, sed ab Hebræo* הלין murmurare, *vnde* תלונה querela, murmuratio, *vt Linus nomen poëtæ sit lugubria canentis. Musæus absque dubio a Musa, sive* Μῶσα *quod a* מוסר *Mosar, ARS, DISCIPLINA. Orpheus itidem a scientia nomen habuerit: ARIFA Arabibus est SCIRE, NOVISSE; Vnde ARIF sciens, eruditus, doctus. de art. poët. cap. XIII.*.

§. III. Verum si hæc ratio nomina propria ex incertis deriuationibus in appellatiua commutandi, indeque historiæ veritatem in dubium vocandi procederet, nihil iam tam certum tamque firmum esset, quod non facile sollicitari, imo prorsus euerti possit. Recte hoc obseruauit vir doctissimus Thomas Bur-

netius, qui ſolide & erudite contra hanc Voſſii ſententiam diſputat, in *Archæolog. philoſ. cap. IX.* Quid, inquit, ſi *Cadmum* quem memorat vir doctiſſimus, nomen inane eſſe dixero atque fictum, a voce קדם antiquum? Certe aptius reſpondet vox voci, quam Arif Orpheo: neque in Arabiam proficiſcimur quæſitum vocis originem, vt ille pro noſtro Thrace. Dein quoad hiſtoriam multo plures meminerunt Orphei quam Cadmi. Poëtæ Græci & Latini: Patres Græci & Latini: Hiſtorici Græci & Latini. Cui non dictus Orpheus? Addit ex Diodoro, ipſos Ægyptios in ſacris commentariis nomen Orphei retinere, præficereque ſapientum Græcorum agmini, qui & augendam ſcientiam in Ægyptum deſcendere.

§. IV. Firmiſſimum autem argumentum ex patrum teſtimoniis deſumitur, qui Chriſtianæ religionis veritatem contra Gentilium inſultus defenderunt. Etenim cum Ethnici Orpheum ſuum, primum Theologiæ Græcanicæ auctorem oſtentarent ſubinde, & cum Chriſto compararent, imo ei præferrent, facillima ad eos refellendos via fuiſſet, dicere, nunquam Orpheum iſtum extitiſſe. Aſt nihil eiusmodi patribus in mentem venit, imo fuiſſe Orpheum, & de rebus diuinis & naturalibus multa docuiſſe, omnes vno fatentur ore.

§. V.

§. V. Ex multis, quibus hoc confirmari poteſt teſtimoniis pauca ſeligemus. Iuſtinus Martyr Orpheum primum multitudinis Deorum Græcis extitiſſe auctorem, deinde mutata ſententia vnum agnouiſſe Deum, idque ex ſcriptis Moſaicis accepiſſe, refert. *Adhort. ad Græcos p. m. 15. Orpheus ſane quidem*, ait, *multitudinis Deorum, ſiue plurimæ Diuinitatis, vt ſic aliquis dicat, primus auctor, qualia poſterius ad filium ſuum Muſæum, ac reliquos germanos verosque auditores de vno eodemque ſolo Deo prædicauerit, neceſſarium viſum eſt nobis exponere &c.* Latine enim ſaltem hoc eius teſtimonium breuitatis cauſa retulimus. Multa autem deinceps de Orpheo ſubiicit, quæ plane euincunt ne minimum quidem Iuſtino ſuperfuiſſe dubium, quin Orpheus aliquis extiterit.

§. VI. Iuſtino Athenagoram addimus, qui itidem non ſemel Orphei meminit. *Non ab initio*, inquit, *p. m. 143. Vti dicunt Dii erant, ſed ita vnusquisque natus eſt, vt & nos naſcimur idque inter ipſos omnes ita conuenit: ſic enim Homerus ait:*

Oceanumque Deum patrem & Thetin genetricem,

Etiam Orpheo ipſo (qui & nomina eorum primus inuenit & natiuitates expoſuit, & quid quisque egerit dixit, & quæ ad theologiam pertinent ſincerius executus creditur: quem & Homerus plerumque ac

maxime quantum ad Deos attinet, sequi solet) primam eorum generationem ex aqua constituente.

§. VII. Tatianus in Oratione ad Græcos non tantum asserit poëtices, & canendi studium, & initiatorios ritus ab Orpheo accepisse Græcos *p. 3.* edit. recentissimæ quæ Oxoniæ MDII. prodiit, sed & *p. 136.* inter illos eum refert quibus Moses antiquior sit, licet ipsi a Græcis pro antiquissimis sint habiti. Et *p. 183.* dicit: Orpheus una cum Hercule vixit: nam quæ ei attribuuntur poëmata Onomacritus Atheniensis Pisistratidis imperantibus, circa quinquagesimam Olympiadem composuisse fertur. Et *p. 139.* Orphei discipulum Musæum fuisse perhibet.

§. VIII. Nemo ergo ex hisce dubitauit, quin extiterit Orpheus. Burnetius autem dum eandem causam agit, inter egregia gentilium elogia quibus Orpheum ornarunt, hoc Celsi effatum maxime affert: *Quanto satius esset, si innovare aliquid affectatis de alio quopiam præclare mortem perpesso, & diuina fabula digna cogitasse? Et si non placuit Hercules aut Aesculapius, aut alii inter priscos gloriam adepti, Orpheum habeatis: VIRUM SINE CONTROVERSIA SANCTO AFFLATVM SPIRITV.* Ad quod cum Origenes respondeat, libros Orphei non amplius exstare, nec de Deo recte eum sensisse, minime autem neget Orpheum aliquem vnquam extitisse, recte inde colligit, tam

tam certum hoc fuisse veteribus, vt religioni sibi duxerint ea de re dubitare.

§. IX. Nihilosecius eandem cum Vossio sententiã haud obscure tuetur Petrus Daniel Huetius *Dem. Euangel. prop IV. p. 189.* Cum enim prolixe demonstrasset conuenire in plerisque Orpheum cum Mose, tandem concludit: *Quid plura, cum scenam hanc omnem aperte retegat Aristoteles, quem scripsisse testatur Cicero, Orpheum nunquam fuisse? Eiusdem assertorem sententiæ Dionysium quendam citat Suidas. Sed & Androtion apud Aelianum docet, nullam litterarum notitiam Thracas habuisse; vnde colligit, male inter sapientes recenseri Orpheum ipsique adscripta carmina supposititia esse. Addimus nos, supposititium esse & ipsum, & quascunque de eo fabulas mythologi referunt, mutato nomine de Mose narrari.* Hæc Huetius.

§. X. Sed ad Aristotelem quod attinet, iam Thomas Burnetius itidem respondit, nullum hodie apud eum extare locum, in quo Orpheus vnquam fuisse negetur. Videri equidem alicubi de scriptis Orphicis dubitasse Stagiritam, vnde errandi forsan occasio enata sit Ciceroni. Interim ex doctrina Orphica luculenter satis intelligi, Orpheum fuisse. Hoccine, inquit, nullum habuit auctorem? nullam originem? neque diuinam neque humanam? Antiquior erat Pythagora, hanc enim

ille secutus est & excoluit fatentibus ipsis Pythagoræis. Neque tot vnquam fuissent supposititia scripta sub nomine Orphei, nisi verus olim fuisset Orpheus. Post alia, recte quoque ex scriptoribus rerum Orphicarum idem colligi posse asserit. Syrianus namque & Proclus scripsere in Theologiam Orphei, & præterea de consensu doctrinæ Orphicæ & Pythagoricæ. Scripta Orphei collegisse dicitur Pherecydes Atheniensis. Herodotus Orphei & Musæi historiam scripsit teste Photio, & Epigenes denique περὶ τῆς ὀρφέως ποιήσεως teste Clemente Alexandrino. Hos scriptores aliosque similes, inquit, sua nobis narrare somnia credemus?

§. XI. Atque hæc cum ita se habeant, nec Dionysii cuiusdam auctoritas receptæ obstabit sententiæ. Ad Androtionem autem quod attinet, non is negat quidem extitisse Orpheum, sed eruditum eum fuisse negat. Quanquam ne in eo quidem fidem ei adhibendam censeat ipse Aelianus. Iuuat integrum Aeliani locum, sed latine tantum, huc adscribere: *Ex veteribus Thracibus neminem aiunt literas nouisse. Imo turpissimum esse putarunt omnes Europam inhabitantes Barbari, literis vti. Asiatici vero, vt traditur, magis sunt iis vsi. Vnde affirmare etiam audent, ne Orphea quidem eruditum fuisse, quippe Thracem, sed temere fabulas de eo esse*

esse mentitas. Hæc Androtion tradit; si cui fide est dignus ad declarandam Thracum imperitiam litterarum & inscitiam. Recte dubitat, an fide dignus sit ad hoc alicui persuadendum. Enimuero si vel maxime concedatur Thracas litterarum ante Orphea fuisse imperitos, quod negari nequit, cum omnem culturam ab Orpheo acceperint, nullam video rationem, cur non ab Asiaticis illis Barbaris, quos litteris vsos concedit, aut ab Aegyptiis, quos adiisse communi consensu fertur, litteras discere potuerit Orpheus?

§. XII. Vir Cl. Iacobus Perizonius supponens itidem litterarum rudes fuisse Thracas, componi ita negocium hocce posse putat, ut dicamus, Orphea non fuisse litteris illis eruditis excultum, sed tamen fuisse *virum sapientem*, qui multa inuenerit & instituerit, quæ dein ad Græcos & Athenienses ipsos sint propagata: hos vero illa in maius dein extulisse, & multis contaminasse fabulis, sicuti & eius nomine hymnos ediderint qui non plane a viris doctis reiiciantur, sed ad Pisistrati referantur tempora. Hinc & vocem σοφὸν qua vtitur Aelianus exponi iubet per *eruditum, litteris excultum, qui multa legerit & ita didicerit ac sciuerit.* Id quod nostræ adeo non obest sententiæ, vt potius vel maxime hac ratione salua sit Orphica philo-

philoſophia. Neſcio tamen, an menti Androtionis hæc ſatis reſpondeat expoſitio. Etenim quid ſibi voluerit Androtion, ipſe Perizonius veroſimili plane coniectura ita explicat: Tradebant plerique, Eleuſinia vel eorum myſteria ab Eumolpo Thrace potisſimum profecta: at alii referebant ea ad Eumolpum, non Thracem illum, ſed ad eius trinepotem Muſæi poëtæ filium, hominem Atticum. In hac ſententia & Androtionem fuiſſe docet ex ſcholiaſte Sophoclis. Suam itaque ſententiam vt defenderet Androtion, aſſeruit ex Thracia omnis culturæ experte eiusmodi quid tum proficiſci non potuiſſe. Omnem ergo eruditionem & ſapientiam Thracibus haud dubio denegauit: ſi enim de litteraria, vt ita dicam, eruditione, non de ſapientia hoc intellexiſſet, nihil ſane hoc feciſſet ad eius cauſam. Namque qui ſapientia pollent, vtut litterarum rudes ſint, ſalubrium inſtitutorum & ſacrorum rituum, cur eſſe auctores nequeant? ego quidem non video. Atque ita Androtionis teſtimonium magis, fateor, nobis aduerſabitur, qui ſapientisſimum fuiſſe virum Orpheum credimus: ſed cauſam ipſam tamen non conficiet. Primo enim cum Aeliano dicimus, tantam eius non eſſe auctoritatem, vt eius fide hic ſtandum ſit. Deinde palam eſt, affectu in patriam abreptum eum

eum eiusmodi quid commentum esse. Non enim satis Græcis honorificum esse putauit, si profiterentur ab homine Thrace se aliquid accepisse. Ex quo hominis vanitas satis elucescit.

§. XIII. Sed ad Huetium reuertimur, qui quicquid de Orpheo dicitur, id mutato nomine de Mose narrari sibi persuadet. Ego ingenium & doctrinam Viri semper admiratus sum, & adhuc admiror, iudicium in eo requiro. Pleraque enim argumenta quibus euincere cupit sub mythologia Græcorum latitare Mosen, tam ieiuna sunt, tam frigida, vt cordatioribus grauedinem moueant atque tussim, tantum abest vt credam ad impios conuincendos eum multum hac ratione profecturum. Elumbis etymologia, leuissimaque similitudo, vtramque hic faciunt paginam. Sic vt Orpheum eundem esse cum Mose probet, argumentum primum ex temporis desumit conuenientia. *Tempus*, inquit, *conuenit, nam ponitur Herculi æqualis, Iosuæ videlicet, ministro Mosis. Coæuus ponitur & Aristæi, & Musæi, & Persei & Liberi, quibus omnibus Moses vnus adumbretur.* Ast primo temporum rationes hic nondum adeo expeditæ sunt, vt tam audacter hæc affirmari queant. Suidas enim sub iudicibus eum claruisse diserte autumat: ἐπὶ τῶν παρὰ Ἰουδαίοις κριτῶν Ὀρφεὺς ἐγνωρί-

ζετο

ζετο σοφὸς ἄριστος γενόμενος καὶ πολλὰ μυστήρια διδαχθείς. *Sub Iudaeorum Iudicibus Orpheus clarus erat vtpote philosophus praestantissimus & multorum mysteriorum peritissimus.* Deinde, quam multa hic vir doctissimus assumit, quae aeque incerta sunt ac illud quod probandum suscepit! Herculem videlicet Iosuam esse, Aristaeum, Musaeum, Perseum, Liberum, Mosen. Equidem probare hoc alibi voluit, sed argumentis non certioribus: vt tandem tota res in meros ingenii lusus, & leuissimas abeat coniecturas. Eiusdem commatis & illud est, quando dicit: *Arcadem fuisse putant nonnulli, quod & de Mercurio & Pane traditum est, quorum vterque Moses est. Thrax tamen fuisse vulgo creditur: Mercurium enim, quem Mosen esse constat ex superioribus, sacra in Thraciam penetrasse, docuisse mihi videor.* Nimirum Pan & Mercurius fuerunt ex Arcadia, ergo & de Mose hoc dici potest, ergo Orpheus est Moses? item: Mercurii sacra in Thraciam penetrarunt: Ergo Moses Thrax potuit dici: ergo Orpheus est Moses? Quid ineptius dici poterat? Sed mitto reliqua.

§. XIV. Sed ad philosophiam Orphei accedimus. Vbi id quidem statim profitendum est, occasionem haec commentandi mihi praebuisse V. Cl. Andream Christianum Eschenbachium, cuius Epigenes de poësi Orphica in pri-

priſcas Orphicorum carminum memorias liber commentarius, Norimbergæ hoc anno prodiit. Is ita in hoc argumento verſatus eſt, vt & acre iudicium,& profundam reconditamque eruditionem omnibus ſatis probaverit. Proinde & veſtigiis eius inſiſtemus, ſumma Orphicæ philoſophiæ capita, quæ ipſe ſingulorum Orphicorum, quorum aut tituli aut fragmenta ad nos peruenerunt,argumenta indicando,vberius explicauit, indicaturi.

§. XV. Recte autem vir doctiſſimus in præfatione docuit, errare eos qui Græcos Orpheumque omnia a Barbaris accepiſſe contendunt,cum nec Græcis nec Barbaris mentem rationemque natura denegauerit, qua ad rerum quæ nobis quotidie ſe offerunt,accuratiorem inueſtigationem vti potuerint. Enimuero cum nimium Græci ſibi tribuerent, Patres quidam, recentioresque nonnulli qui Patres imitantur, in alterum extremum delapſi ſunt & Barbaris nimium dederunt, cum vtrisque quædam debeantur. Vellem tamen vt auctor doctiſſimus ab iis quæ ratione ſola inueſtigari poſſunt, ſedulo diſcreuiſſet ea quæ per *traditionem* nobis innoteſcunt. In his enim ad eas maxime gentes reſpiciendum eſt, quæ antiquitate alias vincunt, eoque ad primum traditionis fontem propius acceſſerunt. Eas autem quas Barbaras vocamus,

camus, præsertim Asiaticas hac præ Græcis gaudere prærogatiua, nullum mihi superest dubium. Accedit & alia Barbarorum prærogatiua, quod traditionem magis incorruptam seruauerint, quam Græci, qui suis ratiocinationibus eam mirum in modum deprauarunt. Vnde iam pridem viri docti iudicarunt, post Platonis tempora veræ & priscæ philosophiæ vestigia apud Græcos prorsus euanuisse. Ad Orphicam autem philosophiam quod attinet, aut me omnia fallunt, aut pleraque eius capita ita comparata sunt, vt traditioni potius, quam ratiocinationi innitantur. Id autem rectissime ab autore docetur, Orpheum ritibus atque ceremoniis sacris sapientiam suam occultasse, quam cum prodere alii atque proferre in lucem anniterentur, extitisse nonnullos eosque genuinos Orphicæ doctrinæ alumnos, qui præcipua philosophiæ huius capita scriptis itidem consiguare, in animum induxerint, carmine tamen & fabulis ea tegentes, vt & sic auctoritas & veneratio illis conciliaretur. Cumque Orpheo omnia tanquam primo auctori merito imputarent, sub Orphei quoque nomine omnia illa carmina legi voluerunt. Hæc causa, cur Orphei nomen multis deinde impositum sit, omnibus scilicet illis qui doctrinam Orphicam in lucem proferebant, commemoren-

renturue Orphei Brontinus, Prodicus, Chius, Zopyrus Heracleota, Cecrops Pythagoræus, aliique.

§. XVI. Inter scripta Orphei primo loco commemorantur τελεταὶ, quas clariorem quandam expositionem τῶν ἱερῶν λόγων, arcanorum sermonum, tum forte etiam ordinem & apparatum, quo sacra mysteria, initiationes, &c. peragenda essent, continuisse, haud improbabili coniectura autor suspicatur. Etenim recte obseruat, antiquissimos Græciæ sapientes suis mysteriis, τελεταῖς, *Orgiis*, *Ceremoniis*, *Initiis*, &c. nihil aliud sibi voluisse, qnam vt sub hisce symbolis sacrisque ritibus atque ceremoniis narratiunculisque grauissima theologiæ ac philosophiæ suæ capita occultarent. Huc itaque & voces mysticas, totque arcana verba, non nisi μυσταγωγοῖς aut ἱεροφάνταις & summis sacerdotibus intellecta fuisse comparata. Cumque in vniuersa illa sacra Admissorum turba varii & diuersi essent personarum gradus: *Initiati*, *Mystæ*, *Epoptæ*, *Sacrorum ministri*, *Sacerdotes*, solis tamen *Hierophantis*, aut si vel maxime fortassis aliis, non tamen nisi *sacerdotibus* sensum arcanorum fuisse introspectum. Quem qui acceperunt, proprio nomine Τελεσταὶ appellabantur, doctrina vero ipsa, siue scripto contenta, siue ore tradita fuerit, τελετὴ aut Τελεταί.

§. XVII. Atque hæc dum mecum cogito, videre mihi videor veram rationem, cur in gente quoque Ebræa, sub sacris ritibus & ceremoniis sublimiora doctrinæ cœlestis capita fuerint occultata. Equidem alibi iam docui, forte sapientes Ebræos Mosen insecutos, more aliarum gentium orientalium hos ritus in Symbola arcanioris doctrinæ conuertisse. Sed dum mecum expendo, antiquissimum fuisse huncce morem sacris ritibus & ceremoniis dogmata arcaniora tegendi, nullam video rationem cur non & Moses eundem vsurpare potuerit. Præterea, cum ista dogmata, quæ hisce ritibus occultabantur, sine dubio per traditionem, forte ab ipsis Ebræis in Orpheum fuerint deriuata, non temere quoque omnia reiicienda esse, facile quis concesserit. Nec causam esse quilibet videt, cur tam male symbolica ista Græcorum sacra audiant. Quod vellem, vt is secum expenderet, qui de re Hieratica veterum aliquid commentari haud ita pridem pollicitus est, saltem eo consilio, vt Fanaticismum & Enthusiasmum ex hoc demum fonte accerseret. Vellem, inquam, magnopere, vt hoc secum expenderet, ne veterum Ebræorum doctrinam in Enthusiastas, quos vocat, deriuando, illorum causam confirmet potius atq; defendat, quam euertat. Ceterum grauissimos accessisse deinceps abusus in hisce sacris, non abnuo

abnuo. Inter quos haud infimus fuit, quod plerique solis ritibus vim animas ad feliciores sedes post mortem transferendi tribuerent, cum de animi puritate & virtute, ad quam tamen vel maxime hæc sacra comparata erant, minime essent solliciti. Quam hominum stultitiam ideo riserunt philosophi. Sic de Antisthene Diogenes Laërtius: *Cum aliquando Orphicis mysteriis initiaretur, diceretque Sacerdos; eiusmodi initiatos bonis plurimis apud inferos perfrui, cur igitur, ait, ipse non moreris? p.m. 318. edit. Amstelod. Meibomii.* qua in re genuinam moderni Christianismi faciem videre mihi videor.

§. XVIII. Sequuntur θρονισμοὶ μητρῷοι καὶ Βακχικά. Et ad Cereris quidem sacra quod attinet, summa doctrinæ arcanæ, quæ iis tegebatur, iuxta Auctorem huc redibat: *Animam humanam*, quam *Coren* vocabant, ex primo illo & vberrimo limpidissimoque & purissimo *Mundanæ Animæ* (Iouis) fonte, per *Sidereæ Animæ* (Cereris) traducem in inferiora hæc corpora deriuari, magno consensu docebant veteres. Hæc (anima humana) teneros carpit *flores* (ita fabula de Core docet) h. e. virginali simplicitate τῆς ὕλης, qua parte cœlum contingit flore capto, tota mente in ὕλην istam fertur, Pluto (*Materia sublunaris*) istam Coren materialis cogitationis pondere iam graua

 tam-

tam, occupat, secumque per *septem sphærarum syluam* & denique *turbidissimæ materiæ sublunaris Oceanum* deuehit in speluncam, inferorum carcerem, *corpus humanum.* Ibi Proserpina imperium in inferos exercet, i. e. in hoc tenebricoso corporis regno, anima regina cupiditatibus corporis frena iniicit, legesque præscribit. *Ceres* autem (*anima siderea*) Coren suam, dilectissimam sui partem, accensis facibus per orbem vniuersum sollicita quærit, i. e. omnium siderum suorum vim colligens & indefesso cursu circa terræ orbem rotata, omnia in hominem ob suam κόρην sollicite confert. Et denique illam cum corpore suo tam arcte coniunctam & connexam deprehendens beneficam se huic quoque præbet, frumentique vsum quo maxime corpus sustentatur, docet. Ergo tota hæc fabula eo spectauit vt homines *principia & initia vitæ suæ* cognoscerent, tum etiam vt *ex agresti immanique vita excolerentur ad humanitatem & mitigarentur, vt legum, mansuetudinis, humanitatis exempla inde haurirent atque deducerent.* Atque vt huc tota fabula comparata fuit, ita sacrorum ritibus idem fuisse indicatum, Auctor prolixius ostendit.

§. XIX. Ad Βακχικὰ autem seu Dionysiaca sacra quod attinet, ea innitebantur fabulæ de Dionysio puero a Titanibus misere lacera-

cerato atque diſcerpto: Cuius membra cum Iupiter, fulmine percuſſis Titanibus, Apollini, fratri Dionyſii, ſepelienda commiſiſſet, corde interim a Pallade ſurrepto & aſſeruato noua παλιγγενεσία rurſus emerſit, priſtinæque vitæ & integritati redditus, Deorum numerum deinceps impleuit. Hæc ita ab Auctore explicantur: Anima mundi, quæ a ſummo illo Ente quod τ' ἀγαθὸν dixere, τῷ λόγῳ ſubdita & ſubiecta eſt, *Iupiter eſt*: illa facultas animæ huius mundanæ, quæ ὕλην ſeu materiam vegetat, *Dionyſius* eſt: Titanes *Dæmones* ſunt, naturæ ex veterum opinione ſubminiſtrantes: Pallas, *Iouis* ſeu *animæ mundanæ* prouidentia eſt, *Apollo*, Dionyſii frater, *Mens cæli*. Quæ ſi rite ad hoc inſtitutum accommodentur, patebit, veteres, hoc indicaſſe, animam dum per ὕλην ſeu materiam ſuam eiusque membra diffunditur, mori, velut lacerari atque diſcerpi dum a dæmonibus in materiam attrahitur: in hoc ſtatu autem, dum corpori, cui copulata eſt, vitam dat atque calorem, prouocare eam prouidentiam Iouis h. e. animæ mundanæ, qui Dæmonas *fulminat* h. e. ad alta conuertit, & *Apollini membra Dionyſii ſepelienda tradit*, h. e. vt animæ miniſterio ſuo in corporibus functæ iterum cum toto ſuo vniantur, poſtquam cor Dionyſii, ſeu nobiliſſimam animæ partem Pallas, ſeu proui-

dentia animæ mundanæ sartum tectum conseruauerat. Ex qua restitutione renascitur Dionysius. Innuebant itaque hisce mysteriis, *totius huius vniuersi constitutionem, vitam, vitæque huius omnem dependentiam, processum, ordinem & rationem.* Quo pacto ad nostræ quoque animæ descensum in corpus,& post peracta ibidem fata sua in cœlum ascensum hæc pertineant, ibidem exponitur.

§. XX. Sequitur κορυβαντικὸν, quo mundi genesin & originem olim designatam putat. Nimirum vniuersum a mente illa δημιεργῶ producendum, velut parentes accepit *tempus* & *locum*, in quibus originem suam inueniret. Materia, ex qua fieret sunt: *Aether, Nox, Chaos.* Modus consistit in vario motu & separatione horum principiorum, dum æther cumChao & nocte permixtus & agitatus non sine fragore & tumultu erupit, noctem deleuit, & supernas sibi sedes vindicauit, Chao interim tamdiu agitato, donec cuncta in ordinem redigerentur & tandem inde Anima mundi, siue Natura tacite emergeret.

§. XXI, Atque in hisce omnibus,quæ hactenus exposuimus,nihil fere nisi pugnæ,contentiones, tumultus conspiciuntur. Qua arte itaque,qua interueniente potestate, non solum hæc,sed omnes omnino,quotquot sunt in vniuerso ἐναντώσεις. ϗ Ἀντιθέσεις ita inuicem

cem conciliari & ad concordiam redigi potuerint, vt vnum vniuerſum conſtituerent, id vero, in libro cui titulus: πέπλος ϰ̀ δίκτυον, Orpheum expoſuiſſe Auctor opinatur. Poteſtatem hanc ſiue virtutem cuncta vniendi & in concordiam redigendi veteres Deum fecerunt, appellaruntque Ἀθηνᾶν ſeu Mineruam.

§. XXII. Univerſum hoc, ut in omnibus ſuis partibus vivere, vitamque eam ordinatam harmonicam & concinnam pergere poſſet, Orpheus omnia diis replevit magno illi δημιέργῳ Totius, ſubjectis & ſubordinatis: hinc illi in Univerſo duplex mundus: Νοητ'ος, Ἀισθητὸς, hinc tres δημιεργίαι: δῖος διονυσιακὴ, Ἀ'δωναικὴ, & inde multæ & tantum non infinitæ Deorum τάξεις & differentiæ. Singulis Diis ſingula agmina Angelorum, Dæmonum, Heroum addixit, quibus itidem Deorum nomen dedit. Quoniam vero Deorum actus ſimplices ſunt, nec orbem aut centrum ſuæ divinitatis propria natura excedunt, alias minores divinitates ſingulis ſubiunxit & aſſociavit Orpheus, cum quibus Dii inſimul agerent, ut hæ illorum actus ſuſcipiant, illosque deinceps in inferiora derivandos diſpeſcant & diſcernant, Cujus rei cum ſimile quiddam in diverſo mortalium ſexu deprehendiſſet in diis quoque ſexus differentiam obſervari voluit, ut alii Mares cenſeantur, alii

Fœminæ; Atque huc ſpectavit Orphei liber: περὶ διὸς ϰ̀ ἥρας de *jove & junone.*

§. XXIII. Vt animæ mundanæ originem & productionem veteres cum Orpheo docerent, ita philoſophati ſunt: Νῦς ille primus & abſolutisſimus mundum producturus tria invenit principia: Aethera, Chaos, Noctem. Cumque Aether & Chaos contraria ſibique repugnantia principia eſſent, ante omnia ea ſibi inuicem conciliauit Auctor mundi. Ex horum mutuo complexu *ingens ouum* productum eſt. Quod cum a Nocte excluderetur, in binas partes disruptum eſt, *ſuperiorem* ſeu puriorem, quæ ſurſum lata, & *inferiorem* ſeu crasſiorem quæ ſubſedit. Has partes etiamnum ſibi contrarias, vt coniungeret arctius δημιυργὸς, τὸ πέρας (quod in parte ſuperiore continebatur) & τὸ ἄπειρον, τὸ ἀμέριςον & μεριςὸν in ouo tanquam cratere ita commiſcuit ante eius diſruptionem, vt in eius excluſione nouus inde prodiret Deus *Phanes* dictus, ideas δημιυργικὰς orbi infuſas hoc ipſo deſignantes: quem cum alius Deus, deglutiuiſſet, prodiit inde *anima mundi* Iupiter dicta, omnes ideas δημιυργικὰς in ſe complexa & contraria ſibique repugnantia principia etiam vniens. Atque ita de *Cratere maiori* philoſophantur, ſimilia de *cratere minore* excogitantes, vt *fontem animarum particularium* indica-

dicarent: idque argumentum fuit libri Orphici κρατῆρες dicti.

§. XXIV. Θεογονίαν apud veteres ſapientes nihil aliud, quam rerum naturalium, præſertim mundi huius inferioris, cauſas, earumque ordinem, actus, & operandi modos ſignificaſſe, quanquam ſimul etiam vitia virtutesque hominum hoc commento texerint, poſitum apud plerosque eſt extra controuerſiam. Vnde quid & Orphei θεογονία ſibi voluerit, haud difficili coniectura intelligitur. Ordinem autem quem in ſua Θεογονία Orpheus obſeruauit, pluribus accuratiusque Auctor ediſſerit. Nec obſcurum alicui eſſe poteſt, quid ὠοθυτικὰ & ὠοσκοπικὰ Orphei ſibi voluerint. Ad κοσμογονίαν adumbrandam hæc erant comparata. Qua quidem imagine non figuram modo mundi, ſed etiam formam internam & modum originis eum indicare voluiſſe, iampridem obſeruatum eſt ſapientibus. Cur Orpheus in hanc venerit ſententiam, vt mundo formam oualem tribueret, ex intimioribus philoſophiæ huius receſſibus Auctor arceſſit. Omnem mentem figura circulari concepit Orpheus. Sed dum anima mundana in materiale corpus ſeſe deſcendit ac demiſit, a priſtina ſua forma tereti in formam coni aut oui vt deſineret, neceſſe fuit. Sed hæc paucis indicaſſe ſufficiat.

§. XXV. Atque cum hæc præcipua Orphicæ philoſophiæ ſint capita, reliqua nunc vno complectemur faſce. Deos colendi ſacrificiisque eos placandi rationem ſuos edocuit itidem Orpheus. Atque hoc ſine dubio argumentum fuit librorum: θυηπολικὸν καὶ σωτήρια. Effatis ſapientisſimis & multum ponderis habentibus ad virtutem ac honeſtatem eum ſuos erudiuiſſe, nemo quoque dubitat. Sapientum quoque effatis cum quædam velut vaticinia interſperſa quandoque eſſent, oraculorum hinc fluxit ſuperſtitio. Orpheum eiusmodi effata ſeu χρησμοὺς reliquiſſe, certum eſt, quos magna religione exceperint Græci: id vero dubium, an χρισμοὶ, qui poſt Onomacriti ætatem ſub Orphei nomine innotuerunt, verum hunc & antiquum Orpheum auctorem agnoſcant. Deorum nomina ſcire magna olim ſapientiæ pars erat. Mirifice in ea excelluit Orpheus, vt ea Græcos etiam edocuerit. Atque huius forte ſapientiæ præcipua capita liber exhibuit, cui titulus fuit: ὀνομαστικά. In ἱεροῖς autem λόγοις ſecretiorem de Deo rebusque Diuinis doctrinam paulo apertius & ſine inuolucris eum tradidiſſe, admodum eſt veroſimile. Horum equidem inſigne aliquod fragmentum, ſed mirifice interpolatum hodienum extat. Ad naturalium quidem rerum ſcientiam multa ex

ex hactenus dictis spectant. Non male tamen coniiciunt, qui in τοῖς Φυσικοῖς eandem ab Orpheo tractatam existimant, ea tamen ratione, vt diuina cum naturalibus, more sibi antiquissimisque philosophorum recepto coniungeret. Siderum naturam, motumque eum tradidisse, eo minus dubitandum, quod Græcos ab eo hanc scientiam accepisse, multi diserte tradant. Librum sub titulo: Α'στρονομία posteris eum reliquisse, Suidas quoque auctor est. Astrologiam iudiciariam adiungebant plerique Philosophi veteres. Nec eius expers fuit Orpheus, quandoquidem modum futura διὰ δώδεκα ετηρίδων prædicendi eum docuisse & scripto reliquisse, veteres tradidere. Cum vero sapientum esset, quauis ratione hominum generi prospicere, a munere suo haud alienum esse putarunt, agriculturæ quoque rationem mortales edocere. Huc spectant variorum libri sub titulo ἔργα καὶ ἡμέραι editi, cuiusmodi & Orpheum reliquisse constat. Eodem spectat Αμνοκοπία Orphei, qua rei pecuariæ prudentem tractationem mortalibus monstrauit: vt & liber περὶ βοτανῶν, in quo de herbarum natura viribusque præcepit. Denique & de animarum post mortem statu, felici quidem illo ac beato si honestatem sectati fuissent, dum viuerent, Græcos eum erudiuisse, manifestum est, idque

que vberius ab eo expositum, in libro: εἰς ᾅδυ κατάβασις, vel ex ipso titulo haud difficulter aliquis intellexerit. Qui vero sub titulo: Τϱιαγμὸς circumfertur liber, in quo de numeri ternarii mysteriis differitur, eum perperam Orpheo tribui Auctor ostendit: Licet Orpheum numeris quoq; arcaniora doctrinæ capita tegere consueuisse haud abnuat, imo fateatur Pythagoram hanc rationem per numeros philosophandi ab Orpheo accepisse.

§. XXVI. Hæc summa est Orphicæ philosophiæ. Quam cum adeo accurate Auctor doctissimus exposuerit, nihil addere aut potuimus, aut voluimus. Non nescio pleraque conjecturis inniti. Sed hic non nisi coniecturis locus est. Isque rem quam optime expediuit, qui coniecturas verosimillimas attulit. Id quod Auctorem fecisse, salvo aliorum judicio, existimo. Operæ autem omnino pretium fecit, Orphicam hanc philosophiam in lucem reuocando, cum nunc demum veri Pythagoræ ac Platonicæ philosophiæ fontes omnibus pateant.

OBSERVATIO XXX.

DISPUTATIO CONTRA EXPERIMENTA PRO PROBANDA GRAVITATE AERIS INVENTA.

Σύνοψις.

Monita quædam de autore observationis & occasione, qua observationem illam transmisit

§. I.

§. I. & II. Promittit & alias observationes, quarum index recensetur §. III. & IV. Mundum erroribus esse repletum ac falsum esse, quod Philosophi moderni superent antiquos §. V. Autoris propositum adversus jactantiam modernorum de gravitate aëris §. VI. & VII. Experimentum Autoris de duobus tubis vitreis, §. VIII. quorum minor & angustior, sed crassior aëre saltem repletus in vero orificio immissus tubo longiori & ampliori aqua repleto, sua sponte fundum petiit, aqua vero maioris tubi aërem minoris compressit. §. IX. Contra si tubus minor ita immitteretur maiori, ut orificia sibi responderent, & vtrumque vitrum inverteretur ut vtrumque in cavitate manus quiesceret, nulla compressio aëris in minore fuit observata. §. X. Donec foramen in capite tubi cera oblitum aperiretur §. XI. Inde Autor infert 1. carentiam aëris in vitro, & veterum fugam vacui esse causam, quod in illo secundo experimento cesset compressio aëris §. XII. 2. esse meram hypothesin Philosophorum noviorum, gravitationem aeris esse causam cur ascendat aqua in antlia, puteorum, & ibi suspensa maneat §. XIII. Responsio ad instantiam dissentientium, excluso e tubo aere descensum ei & gravitationem adimi §. XIV. Transitus ad aliud experimentum §. XV. Ipsam scilicet quotidianam exantlationem aëris in antliis puteorum, ex qua similiter fugam vacui veterum putat probari autor. §. XVI. Argumentum Wallisii contra fugam vacui veterum, quod per exantlationem aëris non possit effici, ut liquida sur-

surgant ad quamcunque altitudinem &c. §. XVII. Ad quod respondetur (1.) veteres non dixisse, veterum fugam vacui facere vacuum & illud replere, sed aquam eleuari propter fugam vacui. §. XIIX. 2. noluisse, quod res, quæ vacuum effugiat, habeat vires in infinitum §. XIX, Absurdum igitur, ad quod sententiam veterum de fuga vacui deducere voluit Wallisius, tantum in cerebro modernorum fuisse natum. §. XX. Secundum argumentum Wallisii, contra leuitatem aëris §. XXI. Ad quod item respondetur ostendendo, Wallisium non recte inferre. §. XXII. At falso supponere, in sphara unum punctum extremæ superficiei esse arctius altero, §. XXIII. Item falso supponere quod aër si levis sit semper debeat & quidem in linea recta sursum ferri, §. XXIV. Boylii experimentum ad monstrandam grauitatem aëris, quod appellat Barometrum staticum §. XXV. Ostendit Autor, Boylium committere fallaciam non causæ. §. XXVI. Inanitas obseruationum Boylii. §. XXVII. Multitudinem errantium non parere errori patrocinium §. XXVIII. Non fugam vacui, sed naturam, h. e. Deum in creaturis manifestatum, esse causam attollentem aquas ad replendum vacuum §. XXIX. Causam cur fluidum in tubis barometri modo adscendat, modo descendat, esse calorem & frigus extra tubum. §. XXX. Barometrum nil esse aliud, quam thermometrum repletum Mercurio loco spiritus vini. Inuentum hoc & antiquum & non multi vsus esse. §. XXXI. Obiectio, quod

nec

nec autor aliquid noui memoratu digni inuenerit. §. XXXII. Responsio, satis esse, quod veritatem antiquorum ex puteo extraxerit, & quod tamen velit nouum inuentam suppeditare tollendi aquam ad altitudinem quamcunque motu naturali & perpetuo §. XXXIII. 3. illatio ex experimentis praecedentibus: quod aër, quia cum vehementiis in tubum mercurio repletum adscendat, non habeat pressionem & grauitatem, sed potius leuitatem §. XXXIV. 4. falsum esse, quod secundum neotericos corpora fluida in loco sphæra sua grauitent. §. XXXV. 5. falsum item esse, quod fluida extra sphæram suam eleuata ad eam hoc modo descendant, vt per lineam rectam deprimant, quicquid sub iis inuenitur, & eleuent, quicquid est ad eorum latera. §. XXXVI. Occasio obseruationis, qua autor deductus est ad nouum inuentum tollendi aquam, quousque quis velit. §. XXXVII. Puteus eum in finem ab autore confectus, eiusque descriptio. §. XXXIIX. Aliæ obseruationes ad extructionem putei necessariæ. §. XXXIX. Effectus putei ita constructi §. XL. I. II. III. Vsus ulterior obseruationum superiorum in aliis quæstionibus physicis §. XLIV. Excusatio Autoris, quod non correcte scribat in idiomate Gallico. §. XLV. Conclusio §. XLVI.

§. I.

QUatuor autquin que anni elapsi sunt, cum ab amico, qui ex vicina vrbe quadam huc excurrebat, mihi narraretur, quod socium habuisset in itinere, eodem

dem publico vehiculo vtentem, hominem peregrinum, sed qui de variis iisque tam politicis quam physicis quæstionibus eruditè, sed liberrime & non secundum principia vulgaria disseruisset. Cum igitur rarum sit, in Academiis Germanicis eiusmodi homines libertate philosophandi cum iudicio vtentes videndi, & ego qui discendi cupidus ero, etiam, cum iam alterum pedem in sepulcro habebo, sperarem me meæ discendi siti non melius satisfacere posse, quam si peregrinum hunc adirem, accessi in diuersorio & ad colloquium aliquot horarum inuitaui. Deprehendi vero virum incognitum quidem, & qui, & si sub specie fiduciæ se Anglum natione, mercatorem professione, Portugallum domicilio esse, & O.H. cognominari diceret, tamen nescio quis alius esse videretur; deprehendi, inquam, virum & rerum in Europa gestarum, præprimis vero Status Britannici & Hispanici peritissimum, & in philosophia etiam naturali singulariter eruditum.

§. II. Cum igitur de variis rebus collocuti essemus & mentio incidisset hypotheseon physicarum nouæ Philosophiæ corpuscularis & experimentorum de grauitate aëris Cartesio-Boylianorum, multa ipse contra disseruit, & ad experimenta etiam prouocauit. Sensi equidem ex discursu, quod defendere

vel-

vellet hypotheſes Ariſtotelicorum aduerſus Carteſianos, & quod à me, qui ex aliis principiis a Carteſianis diſſentio, in propoſitionibus fundamentalibus in alia omnia abiret, ſed non potui tamen eius mentem diſtinctè percipere, potisſimum, quod ad experimenta mihi nondum cognita prouocaret, vnde petii, vt mihi, ſicubi otium ſupereſſet, ſuas meditationes aliquando diſtinctius communicare vellet, quod & humaniter pollicitus eſt, ac poſt aliquot menſes per amicum Lipſienſem transmiſit obſeruationem, quam dignam duxi, vt in obſeruationibus his ſelectis compareret.

§. III. Miſit vero ad me duas plagulas in forma octaua Hagæ Comitis impreſſas, ex quarum titulo appareret, quod eruditus autor, quisquis ſit, alias quoque meditationes tam ad Theologiam, quam ad Philoſophiam naturalem & plures alias ſcientias pertinentes operi illo deſtinaſſet, & apparebat etiam in frontiſpicio tituli, quod nomen eius ſit *le Sieur du Mont*. Sed quemadmodum certo perſuaſus ſum, quod Autor noſter plane ſit alius a viro eius nominis Clarisſimo, qui Itineraria ſua non ita pridem in idiomate Gallico publicauit, & præterea etiam multas rationes habeo, credendi, quod ipſe nomen & ſtatum ſuum neſcio quam ob cauſam disſimulet, ita ſuſpendo etiam iudicium meum, an id verum ſit Autoris nomen. Nec noſtra id refert,

quia non videndum eſt, quis dicat, ſed quid dicatur. Credo etiam, quod reliquæ obſeruationes nondum ſint publicatæ, & quod forte Doctiſſimus Autor eas adhuc dum ſupprimere velit. Nam in fine huius obſeruationis impreſſum erat: *Fin de ce premier Eſſai*, nec aliud quisquam in iſta plagula ſecunda comparebat, etſi integrum folium chartæ vacuæ ſupereſſet, in qua ſaltem initium meditationis ſecundæ potuiſſet comparere, ſi Autor in animo habuiſſet, quod & illud ſtatim vellet edere.

§. IV. Communicabo tamen & titulum & indicem obſeruationum, qui poſt titulum in altera folii facie legitur. Titulus ita ſe habet: *Quelqves Eſſais du Sieur du Mont, tant en la Theologie, qv' en la Science naturelle, & plusieurs autres Sciences, pour montrer, que les modernes ne les ont point avancées. A la Haye de l' Imprimerie de David Roger. M. D C C.* Index vero tentaminum ſequens eſt 1. *Qve la gravité de l' air, & l' élévation des fluïdes dans la Pompe, le Tube, & Syphon par elle ſont une pure hypotheſe; & en démontre la cauſe, & la voye pour élever, & pour faire monter l' eau à la hauteur qu'on voudra, par un mouvement nouveau & perpétuel. 2. Des Principes & Fondemens de la Religion Chrêtienne. 3. Du mouvement de la terre; par la peſanteur de l' eau plus grande en un lieu qu'en l' autre, & la cauſe des Marées. 4. De la fine Politique, pour tous les Prin-*

Princes Chrêtiens. 5. *De la premiére matiére minérale & métallique.* 6. *De la Trinité en Dieu; & comment elle se forme & engendre en l'Vnité.* 7. *De la Circulation du sang; en montre l' erreur, & où Harvé s' est trompé.* 8. *D' augmenter l' argent courant, le Crédit & le Commerce en tous Etats & Royaumes.* 9. *Des Docteurs en Médecine, en Droit, en Théologie: étant une Paraphrase sur le chapitre 9. de la Révélation de Christ, ou Apocalypse.*

§. V. Sequitur jam ipsa observatio: On m'a tant rompu la tête des exploits que nos Savans ont fait en ce Siécle ici; de leurs belles découvertes d'une gravité de l' Air; de la circulation du sang, & telles autres choses; bref de leurs avancemens des Sciences & des Arts, que je ne peux plus l'entendre sans dire mes sentimens: Et il m'est dur & facheux de ne voir que des Erreurs, & que le monde aveuglé ne laisse pas cependant de paillarder aprés elles; mais haït & persécute ceux, qui lui ouvrent les yeux; & qui tâchent à l'amener de son ombre de mort à la vie & la lumiére. Si jamais la *Vérité défailit*, c'est à present; & si jmais on vit tant d'Enthusiastes fiéfez, qui disent nous la sçavons; *Jean* 9. 41. & à qui en la motrant, ou même *en se départant du mal de leurs* opinions absurdes, *on se donne en proye*, *Esaïe* 59. 15. je veux bien passer pour

 tel.

tel. On croit qu'il n'y a qu'à être vêritablement ſçavant pour être réputé tel, & paſſer pour habile homme. Mais la faveur, dit le Sage, *Eccl.* 9. 11. n'eſt pas à ceux qui ſont tels. Il faut le génie du monde. Et comme les vrais Sçavans ſont illuminez de Dieu, (les Sciences étans des raions de Dieu & de ſa lumiére) & ſont Membres du Royaumes de lumiere qui furent montrez à Chriſt, qui n'eſt pas, dit Chriſt, *Jean* 18. 36. de ce monde ici ; ils n'ont pas ce génie là & ainſi ne ſçachans ſe faire valoir, ni faire la Cour à ceux qui y regnent, ils n'y partagent avec eux que rarement ces Royaumes qui furent montrez à Chriſt, dont la Renommée eſt un ; & n'en ont par conſéquent que rarement tant qu'ils vivent.

§. VI. Quand à moi qui n'a jamais encore eu ce génie là, & qui n'en ſçai point l'uſage ; & qui ai depuis long tems été harcelé par ceux, dont je rejette l'erreur, comme un chien à qui on a long tems tiré les oreilles, perdant enfin patience, je me ſuis réſolu de dire ce que je penſe librement en vérité ; ſans donner à leurs ténébres les titres de la lumiére, & de donner ces Eſſais pour eſſai en temoignage à vérité, pour ceux qui donnent leur bon argent, leur tems, la fleur de leur âge, pour ce qui ne ſert

sert de rien, qu'à les faire devenir les Esclaves des chiméres & des opinions d'autrui.

§. VII. Mais pour ne pas éblovïr & prévenir le Lecteur, & ne pas perdre le tems en réfléxious ennuyeuses sur le peu de progrés qu'on a fait dans les Sciences depuis le tems des Anciens; & sur la bonne opinion que les Modernes ont d'eux mêmes, nonobstant le peu de bien, que le monde reçoit d'eux; & pour parler par effets d'œuvres, & non de paroles; je passerai tout droit au point, aux choses de fait, aux preuves & expériences, qui font ce premier Essai: laissant à ceux qui voyent clair, la liberté toute entiére de juger, prendre ou laisser, & tirer la conclusion qn'ils tnouveront la meilleure.

§. VIII. Je pris deux Tubes de verre, clos ou fermez à un bout comme ceux des Barometres. L'un étoit d'un pied de long, & l'autre de cinq ou six; le grand plus large que l'autre, afin que le petit y pût aisément entrer; & ayant en son bout clos ou fermé un petit rrou bouché avec de la cire.

§. IX. Ayant empli le grand d'eau, & le tenant tout droit en ma main la bouche en haut, j'y enfonçai le petit vuide d'eau *la bouche en bas*: & comme ce petit Tube étoit épais

& maſſif, & ſpécifiquement, plus peſant qu'auſſi gros d'eau, il s'enfonça de ſoi même; & deſcendit peu â peu jusqu'au bas de la colomme d'eau verſée dans le grand Tube, non oſtant l'air y enclos, qui l'y auroit ſupporté, ou fait flotter & nager, s'il n'avoit pas été tel; je veux dire ſi maſſif. Et en s'enfonçant dans l'eau on remarquoit, qu'à meſure, qu'il s'avançoit vers le fond, l'eau y entroit & hauſſoit, y comprimant l'air en moins d'eſpace & prenant ſa place; & que la colomme d'eau s'abaiſſoit en même tems à la bouche du grand Tube. En ſorte que quand ce Tube fut venu au fond du grand, on y vit un pouce d'eau & plus, à qui l'air enclos, en ſe laiſſant comprimer, avoit cédé cette place: & on y vit au haut tu grand que la colomne d'eau qui l'empliſſoit tout à fait quand le petit y fut mis y avoit laiſſé du vuide en entrant dans le petit & en baiſſant dans le grand, environ d'un demi pouce.

§. X. Enſuite, ayant retiré le petit Tube du grand, & ré-empli le grand d'eau, j'y remis le petit Tube, vuide d'eau comme devant, mais plain d'air; *la bouche en haut*; & d'abord que les deux bouches ſe rencontrérent au niveau, les bouchant avec ma main, je tournai ſubitement ſans répandre

ces

ces deux Tubes ensemble, les bouches en bas, & les tins en cet état, renversez & appuyez sur la paume de ma main, (que le grand pressoit bien fort; & qui le bouchoit si bien, qu'il n'en pouvoit rien sortir, ni y rien entrer non plus; & que la correspondance & la communicatiou entre l'air de l'Atmosphere & la colomne en ce Tube étoit ainsi interdite) assez long tems pour y faire les observations qui suivent: à sçavoir, que tout le tems que je tins ces Tubes ainsi, on ne vit plus d'eau du tout entrer dans le petit Tube, ni de compression de l'air, par la descente de l'eau, quoi que cet air & ce Tube eussent contr'eux & sur eux toute la même hauteur & masse, & quantité d'eau, qu'ils avoient auparavant; d'où il paroît, qu'elle avoit perdu sa gravitation & descente contre l'air, puis qu'elle n'en usoit plus; mais demeuroit suspenduë & soûtenuë dans le Tube.

§. XI. Ce qui ne se pouvant faire par la gravité de l'air élevant, comme on le dit, & soûtenant l'eau au Tube en balance & équilibre; vû que l'air de l'Atmosphére n'ayant nul accés à l'eau, ni action par conséquent, ni opération contr'elle, ne la pouvoit élever, ni la tenir suspenduë; il fallut chercher ailleurs la cause de cette

perte, cessation & suspension de gravité & descente: & ce au dedans du grand Tube, parce qu'il n'y entre rien de dehors pour la causer; mais n'y voyant que de l'eau élevée & soûtenuë en haut, & suspension de gravité & descente; je fis ouvrir le pertuis qui étoit au haut du Tube, bouché avec de la cire; pour y laisser entrer l'air, & voir ce qui en viendroit. Et l'on vit que, l'air entrant, l'eau baissa incontinent; & reprenant sa descente & son mouvement en bas, rentra dans le petit Tube à la hauteur précédente; & laissa au haut du grand autant de vuide que quand il avoit la bouche en haut toute ouverte & exposée à l'air ou à l'Atmosphere.

§. XII. 1. D'où s'ensuit que, puis que l'eau reprend, quand l'air est admis, sa descente & gravité, & laisse du vuide au haut à la bouche du grand Tube, c'est faute d'air pour remplir ce vuide que la descente de l'eau cesse dans le Tube: & puis que c'est faute d'air pour remplir le vacuum, qui se feroit dans le Tube en cas que l'eau descendît, qu'elle se tient en sa place, & ne la laisse point vuide: c'est pour ne pas laisser vuide l'espace qu'elle remplit; ainsi c'est de peur du vuide, pour le prévenir & fuïr, ou, comme les Anciens parlent, *propter fugam vacui*, què

que l'eau perd sa gravité & descente dans le Tube quand l'air ny sçauroit entrer : Et par la même raison qu'elle monte dans la Pompe quand on en épuise l'air, & l'empêche d'y rentrer. Et qu'ainsi les Anciens ont la raison de leur côté.

§. XIII. 2. Il s'ensuit aussi d'ici que l'opinion des Modernes, *que c'est par la gravité & gravitation de l'air que l'eau s'éléve en la Pompe, & y demeure élevée*; est une pure hypothese; qui n'a lieu qu'en la cervelle de ceux qui portans les yeux à l'autre bout de la terre, *Prov. 17. 24. Eccl. 2. 14.* ne sçauroient appercevoir, ce qu'ils ont dessous le nez. Et que ces Innovateurs se donnent bien de la peine, pour montrer aux gens d'esprit combien ils sont *vains* en vain. *Job.* 11. 12. Et qu'en voulant rafiner sur les Philosophes anciens, ils n'ont pas eu le bonheur de rencontrer si bien, qu'eux. Voila le Procés jugé en faveur des anciens Sages : car a cette expérience, qui est une trés-parfaite & claire démonstration, que sçauroiton objecter?

§. XIV. Ce qu'un des Innovateurs de la Société de Londres, & qui est leur Secrétaire à present, y répondit, ne servant de rien du tout qu'à allonger le papier : *Qu'en excluant l'air du Tube* (ainsi qu'il l'est en effet par son bout d'enhaut fermé) *on lui ôte sa*

descente & gravitation sur l'eau. Car il n'est pas plus exclus en ce cas, ou le grand Tube est appuyé sur ma main, que quand on le tient la bouche trempante dans le stagnum: où on ne met point en compte une telle exclusion, parce qu'il n'y est question que de la gravitation & descente de l'eau seule. Car ce qu'on pouroit conclure de cette exclusion de l'air, en cas qu'on convint de sa descente & gravitation, seroit, non la cessation de la descente des deux, de l'air & de l'eau ensemble, qu'on voit qui arrive ici; mais d'une de ces deux là, sçavoir de l'air seulement. L'eau ayant son propre poids, & gravitation à part, dont elle n'est pas privée par la substraction de celle qu'on dit que l'air lui ajoûte. Outre que l'air ne pouroit rien ajoûter en ce cas à la gravité de l'eau, parce qu'entrant par le trou qui est au côte du Tube, & non pas en son sommet, qui porte & soûtient sur soi la colomne d'Atmosphere, & toute sa gravité; il n'entre pas avec elle, & par conséquent ne peut la communiquer à l'eau. Et comme il entre sans force, librement, & de soimême, il ne se comprime pas en entrant, partant n'a pas le ressort, qu'on lui assigne, à sçavoir égal en force à la pesanteur de l'air. Et on ne peut non plus dire, qu'il entre tout

com-

comprimé : vû qu'il entre tel qu'il eſt en ſon état naturel, en ſa Sphere & l'Atmoſphere. Et s'il étoit en ſa Sphere ſi comprimé, qu'on l'y fait : il feroit toûjours du vent ; ou l'air ſeroit ſi épais, qu'on ne s'y pouroit mouvoir auſſi aiſément qu'on fait : & qu'on ne verroit jamais le Soleil & les Etoiles. Combien de paroles oiſives pour répondre à ces grands Hommes ſelon leur Philoſophie ! *Prov. 26.5.*

§. XV. Et ceci pouroit ſuffire pour vuider le différent. Mais parce que toute choſe eſt *confirmée par la bouche de deux ou de trois témoins* ; pour que cette vérité le ſoit victorieuſement, & triomphe du menſonge, & pour ôter au Lecteur tout prétexte de douter ; voici une autre expérience, qui ſe peut faire à toute heure & par tout où il y a des pompes prêtes à pomper ; que ſi nos Sages avoient pris la peine de regarder, ils ne ſe ſeroient pas mis tant de chiméres en la tête.

§. XVI. Cette expérience eſt la pompe, qu'on n'a qu'à faire jouer. Car en baiſſant le piſton, (ou bouchon, que le vulgaire ſuppoſe qui ſucce l'air, & qui pour cette raiſon s'appelle en Anglois *ſucker*) on voit, qu'il comprime l'air, qui eſt enclos dans la pompe, & le chaſſant de ſa place le fait ſortir par le

trou

trou du piſton & l'entredeux de la ſoupape qu'il ouvre. Et en le hauſſant on voit qu'il laiſſe vuide l'eſpace d'où il avoit chaſſé l'air; Et que l'eau par conſéquent (l'air ni rentrant pas ſi vîte, que le piſton eſt hauſſé; à cauſe que la ſoupape ſe ferme, quand on le hauſſe) y montant pour le remplir, fait comme l'air, ſort, entr'ouvre & ſoûléve la ſoupape, avec la colomme d'air, qui la couvre & eſt ſur elle dans la bouche de la pompe, où elle entre librement; & l'emporte avec ſon poids, & toute la gravité de l'hypotheſe Moderne, en l'air, où elle eſt bâtie. Et on voit, enfin, on voit, quand on le veut regarder, que quant on ne pompe plus, où ne baiſſe & hauſſe plus le piſton (qui tire l'air en baiſſant, & fait le vuide,) l'air rentre par l'entre-deux de la ſoupape en la pompe; & en rentrant peu à peu, fait tomber l'eau peu à peu, & retourner au niveau de l'autre, qui eſt au fond: d'où elle ne monte plus, qu'on ne recommence à faire du vuide, & a chaſſer l'air en baiſſant & en hauſſant le piſton, comme dit eſt. D'où il conſte évidemment, que l'eau monte dans la pompe ſeulement, de peur du vuide; Et que puis que l'eau qui monte & fait ouvrir la ſoupape, la ſoûleve & l'air avec, (qu'il emporte avec ſon poids pretendu, comme dit

eſt) elle ne défend point la colomne dans la pompe du poids & preſſion de l'air, comme les Modernes aſſirment ; & qu'ainſi ce fondement étant nul, leur hypotheſe eſt fauſſe & tombe en ruïne.

§. XVI. Ce qui a donné naiſſance à cette belle hypotheſe eſt le faux raiſonnement de Galilées, Wallis, Boyle, & autres fameux Docteurs & Philoſophes modernes, qui trouvant que l'eau ne monte pas plus de trente-trois pieds, & le vif argent pas plus de trente pouces, d'eux mêmes, concluoient par l'argument que le grand D. cteur Wallis étalle en un ſien Traité de gravité, en ces termes; ſi la „*fuga vacui* eſt cauſe que les fluïdes ſont é„levez en des Tubes & des Pompes & Si„phons vuides, elle y doit faire monter ces „fluïdes juſqu'au haut, & les remplir tout à „fait, de quelque hauteur qu'ils ſoient; u„ne Pompe par exemple devroit tirer l' eau „cent pieds, & le Siphon la lever par deſ„ſus les plus hauts Monts. Et les Anciens „ne doutoient nullement, *ajoûte-t-il*, que „cela ne fût ainſi. Et ce fut une ſurpriſe „& découverte aſſez grande ſur la fin du „dernier Siécle, de trouver par expérien„ce qu'on ne ſçauroit tirer l' eau plus haut „de 35 pieds. Et cette expérience ſeule „dé-

„démontre trés clairement que la supposée, „*fuga vacui*, ne peut avoir qu'une force limitée, & non pas une infinie. Ce qui fit, „que Galilée cherchant & considérant „quelle autre raison, que celle de la *fuga* „*vacui*, pourroit bien être la cause que l' „eau monte dans la pompe; trés heureu-„sement pour lui il rencontra l' hypo-„these de la gravité de l'air. Et les An-„ciens, s'ils avoient observé, ce que les „nôtres ont bien sçû & découvert, que „l'air a (quoi que trés-peu) du poids & „de la pression, ne se seroient pas repûs „d'une raison telle, qu'est cette *fuga va-„cui*; mais auroient dit rondement que „l'air a sa gravité; & que par elle, en „pressant sur l'eau & autres fluïdes, elle „exprime & pousse en haut tout autant „de ce fluïde, qu'il en faut pour égaler „en poids & en gravité l'air, dont le „corps est plus ample & étendu que l' „eau n' est.

§. XVII. A quoi par leur permission je répons, en premier lieu, que les Anciens n'ont pas dit, que c' est *fuga vacui* qui tirant l'eau fait le vuide, & le fuit & le remplit: mais que c'est *propter fugam vacui*, par une fuite du vuide, ou pour l'éviter, que l'eau y est élevée.

§. XVIII

§. XVIII. En second lieu, n'ont pas crû, comme nôtre Docteur fait, que c' étoit le *vacuum*, qui tiroit pour se remplir; & qui se fuyoit soi-meme; ni que *fuga vacui* vouloit dire que la fuite est dans la chose, qu'on fuït, ni que la chose qui fuit devoit avoir une force infinie en ce bas monde, qui est fini, comme on sçait; ni proportionnée non plus à l' espace qu' elle fuit. Vû que les Anciens étoient douez de sens & raison, comme on voit par leurs Ecrits; & n'étoient pas si stupides que de croire, que le vuide étans la chose du monde la plus passive & oisive est ce qui agit & tire à soi l' eau pour se remplir; mettre la fuite du vuide dans le vuide qu' on évite; l'action dans le patient; & proportionner les forces de l'action & de l'agent à l'étenduë de la chose, contre quoi l' agent agit: bref pour confondre par la finis ῶ & *finis*, ῧ: & le *terminus à quo* avec *terminus ad quem*. Et puis qu' ils n'en ont rien fait, ce n'est pas non plus leur faute, si nôtre Docteur le fait.


§. XIX. Les Anciens étoient plus simples & moins entetez que nous, & comme en voyant les choses, ils ne jettoient pas les yeux à l' autre bout de la terre, ils en formoient des idées qui leur etoient plus con-

conformes que celles que nous avons. Mais s'ils avoient eu autant de bon ſens que les Modernes, ils auroient conclû, ſans doute, en la même forme qu'eux, que la *fuga vacui* eſt d'une force infinie, & agit à l'infini; & ce dans un lieu fini, je veux dire dans ce monde; Que le *vacuum*, qui eſt la choſe la plus paſſive, agit, attire, & ſe fuït; Que la, fuite eſt en la choſe qu'on veut fuir & qu'on évite: Et que toute action enfin eſt toûjours proportionnée au paſſif & à ſa fin; & partant que tout fuyard ſe peut ſauver par ſa fuite; & tout bon ſauteur ſauter plus haut ſous le Ciel ouvert que ſous le toit d'une Egliſe, parce qu'il a ſous le Ciel plus de hauteur où pouvoir s'élever que ſous ce toit. Bref en regardant pomper, ils auroient cherché comme eux le midi à quatorze heures, les *Difficiles Nugæ* découvertes depuis peu: & auroient enfin trouvé, & prouvé en leur tete auſſi heureuſement qu'eux, la même peſanteur d'air, que nos gens ſentent en la leur. Mais ce bon ſens leur manquant, c'eſt pour nos Réformateurs, qui voyent, comme on dit, le monde *ſedendo in culcitra*, par la fenetre d'un grenier, qu'étoient réſervées ces grandes & heureuſes découvertes; c'eſt à eux, qu'il appartient, de trouver ce nouveau monde

monde, où tout ce qui eſt contraire à ce qu'ils bâtiſſent en l'airs, ſoit pompe, ſoufflets, ſyringue, les ſens & la raiſon même, eſt faux & en a menti: & où l'air, eſt obligé d'avoir de la complaiſſance, ou de ſe mouvoir en bas, & prendre ſes ordres d'eux.

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo?

Quid ve moror? Si ces gens prennent à tâche de n'entendre ni la choſe dont ils parlent, ni ce qu'ils en diſent eux mêmes; ni ce que les autres en diſent. Avec tels n'y ayant pas bien des meſures à garder, je prendrai la liberté de leur dire rondement, que s'ils font des découvertes ce ſera ſans y penſer. Dont l'autre argument ſuivant du même Sçavant Docteur contre la légéréte de l'air, pour ſa gravité, eſt un autre bel Exemple.



„ Si la légéreté, *dit il*, „eſt ſa qualité poſitive, & le principe „par qui il ſe porte „en haut, ce principe „là doit être, ou une „averſion du centre, „comme *terminus a quo*, ou une inclination à quelq'autre endroit du cercle,

„comme *terminus adquem* ; si on répond, le „premier, *dit-il*, il est vrai, qu'alors B se „mouvra droit de C en la perpendiculaire „C B A &c. Mais si on répond que c'est „une affectation qu'il a de quelqu'autre en- „droit plus haut, comme par éxemple d'A. „Il est vrai, pendant que B est droit entre „C & A, qu'il se mouvera droit à A en la „perpendiculaire, C B A, comme il est „dit, étant la plus droite voye : mais s'il se „trouvoit ailleurs, comme à D, son mou- „vement à A ne pouroit alors être perpen- „diculaire en la droite C D E, mais seroit „en ligne oblique C D A ce qui n'est „pas ; étant tout à fait contraire à toute „l'Expérience.

§. XXII. Mais ce qui s'accorde bien avec vôtre conséquence, Monsieur le Docteur subtil ; que C quand il est à D, doit par son inclination au plus haut lieu de la Sphere aller à A, non à E, vû qu'il est tout aussi vrai, que D doit aller à A, pour y être au plus haut lieu, que ce que vous concluez, qu'A, est plus haut qu'E, encore que vous les ayez, placez en même circonférence. Si la même Sphere étoit plus haute un lieu de sa circonferenceén, qu'en l'autre, vous auriez raison, Monsieur; mais comme un endroit plus haut que l'autre en une même circonférence ne

se

ſe trouve point au monde, il s'enſuit, s'il eſt ainſi, que le monde n'eſt plus rond mais ou ovale, ou conique. Découverte à quoi perſonne, qu'un ſi excellent Docteur, n'eût certes jamais ſongé.

§. XXIII. A l'aide Tycho Brahe. Vous Atlas, & Archimedes, prétez-nous vôtre Machine & un lieu, où la fixer, pour enlever de ſa place cette Calpe & Abyla, ce *non plus ultra*, que nôtre fameux Mathematicien s'eſt mis à ſoi-même en l'air, qui l'empêche de paſſer, & même (la gravité que j'ai dite être en ſa tete étant venuë en ſes pieds) d'y monter, pour faire ou prendre une vraye obſervation du monde, où il a vécu tellement comme Etranger, qu'il en a enfin conçû une idée à faire peur; à ſçavoir que ſa figure eſt ou conique ou ovale? Belle penſée du grand homme en l'art dont il eſt Docteur: n'ayant pû depuis le tems qu'il vit, ſe mettre en l'eſprit, qu'il ſoit rond, qu'il n'y ait point de haut & bas en ſa ſphere, ni de lieu plus haut qu'un autre en même circonférence; & que ſa circonférence ſoit également diſtante de ſon centre; & qu'ainſi E en ſoit auſſi éloigné, & par conſéquent autant le plus haut lieu qu'A; étant (comme il les met) l'un & l'autre en une circonférence, & celle qui eſt la plus éloignée de ſon centre.

§. XXIV. Mais d'où a-t-il découvert que tout l'air doit tendre en haut ; & toûjours en ligne droite, à cause qu'il est leger ? Il n'en fait rien, quand il vente, ni quand il neige (la neige étant de l'air congelé.) Le mouvement de sa Sphere est en rond de l' Est à l' Ouest, témoin les Brises, qui soufflent toûjours entre les Tropiques, où le Soleil, par sa force, rend les vapeurs plus subtiles, & plus propres à circuler ; & où il y a bien moins de Montagnes & autres choses capables d'en retarder & changer le mouvement qu'en toutes les autres Zones. D'abord, que l'air est monté au dessus des autres corps, qui sont plus pesans que lui, & qui sont en l' atmosphere, il est en sa propre sphere, ou il est en son repos ; ou bien suit le mouvement de sa sphere, s'il s'y meut ; quoi que le Soleil en le subtilisant fait qu'il monte au dessus du plus grossier par voye de sublimation, & non par affectation d'un lieu plus haut en sa sphere ; & bien moins par aversion du centre, puis qu'il y tend. Mais quand on voit que l'eau meme réduite en vapeurs s'éléve vers le centre, le Soleil, parce qu'il l'attire à soi ; dire que l'air n'en fait rien, mais qu'il monte seulement par sa gravité des corps qui se précipitent en lui,

étans

étans plus pesans que lui; & lui assigner du poids pour qualité positive, c'est etre bien entetê; Il faut avoir pour ce faire l'œil malin par excellence; C'est le monde renversé; où en se tirant les yeux on passe pour éclaire.

§. XXV. Un autre fameux Héros de la meme République, le Noble Boyle, *sat est*, entre ses exploits, pour faire enrager ceux qui voyent clair, qu'il appelle *Experiments* en a laissê un semblable à peu prés aux précédens, à meme fin, d'établir une gravité en l'air. Sçavoir de deux larges ampoulles penduës à un bout du bras d'une petite balance, & contrepesées à l'autre par un petit poids d'airain ou de quelqu'autre métal. Il appelle cet engin un Barometre statique: *qui ne montre pas*, dit-il, *tous les changemens de l'air qu'on peut remarquer en l'autre* (qu'il avoit placé auprés) *mais fait voir* ad oculum *que l'air a du poids*; *à cause qu'on ne peut prétendre ici que c'est* fuga vacui *qui cause le changement* de situation des ampoulles, dont il rend compte en ces mots: *J'avois le plaisir*, dit-il, *en mettant le bras en branle, d'observer que ces ampoulles emportoient leur contrepoids quand l'air étoit haut* (plus rare & leger qu'auparavant) *faisant pancher la languette tout à fait de leur côté: & que*

quelquefois aussi (quand l'air étoit plus pesant, ou grossier) *le contrepoids l'emportoit de son côté & élevoit les ampoulles tantôt à son équilibre, & tantôt plus haut que lui.* Ce qui divertissoit fort un homme de son génie.

§.XXVI. Mais pour ne point mettre en compte son branlement,(qui fait tout en cet Engin immobile) quel nez y a-t-il à dire, qu'il faut que l'air ait du poids, à cause que ces ampoulles ne haussent & ne baissent pas par la *fuga vacui*; quand par une de ces régles d'hydrostatique q'il donne dans le même endroit, où il décrit cette expérience, il met en fait, & affirme, que quand on pése deux corps d'une égale pesanteur, mais de différent volume ou grosseur, l'un contre l'autre, en l'air, ou autre fluïde; le plus ample doit hausser ou baisser en ce fluïde; plus que l'autre moindre corps, selon que le *medium* est plus ou moins dense ou mince, & suporte & fait hausser ce plus grand corps, & l'empêche de s'enfoncer, plus ou moins; ce qu'il n'a pas eu le sens d'observer, & d'en tirer la conclusion raisonnable, à sçavoir que l'épaisseur, non la pesanteur de l'air étoit la cause que les ampoulles haussoient alors principalement voyant ce qu'il dit que les ampoulles baissoient, quand l'air étoit haut; c'est à dire moins pesant; & quand par son hypo-

hypothefe de la gravité de l'air, elles auroient dû moins baiffer pour lors, que quand il eft bas, c'eft à dire plus pefant; à moins qu'il ne voulût dire que quand l'air eft plus groffier & pefant il eft plus haut; Ce qui eft auffi contraire à la raifon que le refte. L'expérience montrant que l'air condenfé s'abaiffe; & que quand il devient rare & mince il hauffe ou s'étend.

§.XXVII.*On peut*,continuë-t-il,*faire dé trésgrands avancemens des fciencec de ceci. Comme en premier lieu, qu'au lieu d'un contrepoids d'un metall inférieur, de cuivre, ou plomb, les riches en peuvent avoir d'or. Puis en fecond lieu, que fi ce contrepoids eft de plomb, il fera moins fujet à la rouille & au verdet qu'étant de cuivre ou de fer. En troifiéme lieu, que fi cette balante eft penduë en une armoire quarrée, avec des vitres aux côtez, elle ne fera pas tant expofée, à la pouffiére que fi on la tient à l'air. Et à tous ces avantages plufieurs autres tels*, dit-il, *peuvent être de jour en jour ajoûtez & inventez, par la confidération de la nature de l'air, & de la chofe elle même.* Sur quoi la prenant enfin en ma confidération j'y trouva à ajoûter, que cette Expérience étant (1) *de Bullis ampliffimis*; (2) *& ab ampliffimo* *BULLA *authore facta*, (3) & confiderée *en foi avec ces avancemens:* mérite bi-

* Bulla eft en Anglois *Boyle*,

en à mon gré l'ample & magnifique titre *de ter Bullatæ Nugæ. O fortunatam natam istorum sapientum moderamine Scholam, ubi qui cum majori apparatu delirant, acclamantibus cunctis, Coryphæi vocantur!* Si jamais Dieu *fist* des fols, c'est bien ceuxci qu'il a faits; vû qu'ils sont au même sens que toutes les grandes choses sont surnommées en la Bible de Dieu, des vrais fols de Dieu! Et qui pis est incurables de leur demangeaison de faire voir qu'ils sont tels.

§. XXVIII. Oui; mais aussi-tôt que cette decouverte a été faite, tous les Sçavans, dira-t-on, l'ont reçûë à bras ouverts, la suivent unanimement, & rejettent d'un accord l'autre comme ridicule, ce qui est selon Platon un signe de vérité. Chose étrange qu'aucun d'eux avant toi n'ait découvert que c'est une fausseté! Je répons,

Chanson Nouvelle.

Que les Anes & les Mulets
S'entregrattent, s'entregattent;
Que les Anes & les Mulets
S'entregrattent, s'il leur plait.

Si je dis la vérité: & la montre & la démontre, pourquoi ne la crois-tu pas si tu n'es pas un Mulet?

Tel qu'un cheval ou une mule
Qui n'a en soi intelligence nulle, Ps. 32. 9.

§. XXIX.

§.XXIX.Les trois cens des Quinze-vingts voyent tous également rien. Les gens d'une Religion croyent tous la même chose, & sont tous d'une opinion, quelque fausse qu'elle soit. Ceux, qui ont l'esprit bridé ne le peuvent tous ensemble porter aussi loin qu'un seul, dont l'ame est en liberté. C'est toûjours quelqu'homme seul, quelqu'un du nombre de ceux que Christ appelle petits, *Matth.* 11.25. (pour qui on n'a point d'égard, qui découvre des secrets, & qui sauve la cité.

§. XXX. Qui a oreilles pour oüir, & yeux pour voir qu'il s'en serve : & donnant gloire à celui qui aveugle tellement ceux qui disent nous voyons, *Jean* 9. 41. qu'ils ne peuvent appercevoir des choses, qui sautent aux yeux; qu'il aprenne enfin ici, que ce n'est pas le piston, ni le vacuum, ni l'air qui tire ou fait monter l'eau ; mais que c'est Dame nature, c'est à dire, Dieu lui-même (*Natura quasi dicas nascitura*, Dieu naissant, ou bien se manifestant *ad extra*, aux créatures;) qui pour prévenir le vuide, & pour suppléer à l'air (dont l' office est de remplir tous les lieux, que d'autres corps évacuent, quand ils en sortent) fait monter au lieu de l'air dans la pompe & les lieux vuides, l'eau ou tout autre fluide, qui

se trouve interposé entre ce lieu vuide & l'air: non à proportion du vuide, comme je l'ai déja dit, mais selon l'ordre & les régles établies par sa sagesse, qui ayant tout distribué par ordre, poids & mesure, (le monde est, dit Aristote, *ordo & distributio*) a donné des bornes à l'air, qu'il ne peut outrepasser: & partant ne permet pas que le fluïde qui monte au Tube au defaut de l'air, pour suppléer son Office, & pour être son Vicaire, les passe, en montant plus haut dans le vuide qu'il ne fait: vû que s'il montoit plus haut, en plus grande quantité & poids que trente trois pieds (en cas que ce fût de l'eau) & d'environ 30 pouces (en cas qu'il fût du mercure) & s'il remplissoit le vuide tout entier, pour grand qu'il fût, il s'étendroit au de là des bornes de la nature (par elle assignées à l'air,) en cas qu'il fût dilatté, rarefié, & réduit en une consistance aussi subtile que l'air. L'air même, s'il devenoit aussi dense & resserré que le vif argent & l'eau, ne s'étendroit pas plus loin, & ne monteroit pas haut que chacun d'eux fait. D'où vient, que sage Nature, pour obvier à ces deux inconvéniens opposez, d'un vuide, & d'un trop ou plus du corps montant qu'il n'en faut pour emplir l'air, & s'étendre aussi loin

loin & auſſi haut, en cas qu'il fût devenu auſſi étendu que lui; ſe partageant entr'eux deux ſubvient à l'un & à l'autre, autant qu'elle le peut faire par ſon ordre & par ſes régles: rempliſſant l'eſpace vuide en partie, *ſecundum quid*, (vû qu'il y reſte de l'air) mais n'y faiſant monter d'eau ou de tout autre fluïde qui prend la place de l'air, & en devient le Vicaire, qu'une quantité égale en poids à ce qu'auroit l'air, s'il étoit auſſi ſerré & denſe que ce fluïde.

§. XXXI. Car quand à ce,qui le fait hauſſer & baiſſer enſuite, aprés qu'il eſt une fois réduit à ce poids de l'air, ce n'eſt rien, que la froideur & la chaleur extérieure qui eſt au dehors du Tube, qui condenſe & rarefie, fait s'étendre & rétrecir, l'air qui reſte dans le Tube au deſſus de la colomne; (où quelque peine qu'on prenne pour l'épuiſer & tirer, il en demeure toûjours) comme on peut aiſément voir en y apliquant de l'eau & du feu l'un aprés l'autre (ou quelque choſe de froid & quelque choſe de chaud) l'un faiſant incontinent hauſſer & l'autre baiſſer ou deſcendre la colomne plus haut ou plus bas au tube qu'elle n'étoit dans le tems de ſa premiere deſcente & reduction à ce poids.

§. XXXII. D'où je dis pour concluſion, qu'

cett

cette invention des leur, qu'ils appellent un Barometre, n'eſt au plus qu'un thermometre fait avec du vif argent au lieu de l'eſprit de vin; Vieille & ancienne invention! qui ne ſert à autre choſe qu'à montrer le froid & le chaud; ou la condenſation & rarefaction de l'air, qu'on trouvoit fort bien ſans elle. Découverte incomparable des Sages de nôtre Siécle, qu'on ne ſçauroit trop payer; & qui mérite de reſte tous les titres & les penſions que les Princes leur en donnent! Faites-vous rendre vôtre argent, Meſſieurs qui aprenez d'eux, ils vous trompent impunément Mais *le trompeur*, dit Job 12. 16. *& le trompé ſont à Dieu*.

§. XXXIII. Mais quel ſigne montres-tu toi-même, diraquelqu'un? Quel avancemant des Arts & des Sciences fais-tu? Qu'elle invention profitable as-tu découvert toi-même? Que fais-tu plus que les autres, pour prendre, comme tu fais, à tâche tous les Scavans, trouver a redire à tout, détruire & renverſer tout ce que les autres bâtiſſent; comme ſi tu étois l'unique vrai bâtiſſeur, & comme ſi la ſageſſe devoit mourir avec toi? Job. 12. 2. Si tu ſçais plus que les autres montre-le par les éfets: & réduis ce que tu ſcais de théorie en pratique.

§. XXXIV.

§. XXXIV. A quoi je répons deux choses. (1) Que j'ai déja fait cela, & le veux bien faire encore : que j'ai déja justifié & montré la vérité; que je l'ai tirée du puits où ces gens l'avoient cachée, & rectifié leur erreur: ce que je vais faire encore, dans les trois choses qui suivent. *La Sagesse est justifiée* (reconnuë) *par ses enfans*, *Matth.* 11. 19. & même écoutée des fols, *Prov.* Si tu ne peux en voyant & oyant entendre & voir , c'est ta faute & non la mienne. (2.) Et que la génération tortuë & adulteresse demande toûjours un signe aux Domestiques de Christ, tout de même qu' à leur Maitre, *Math.* 10. 24. 25. Mais quoi qu'il n'en donnât point quand on le lui demandoit; & que la Tourbe infidelle de nos Sages en soit indigne; néanmoins par complaisance pour ce peu qui ont l'œil simple & ne sont pas pervertis; & pour qu' on voye que la Science n'est pas une chose oisive, & ne gît pas en paroles, & en certains termes d'Art à quoi on la veut réduire, mais en œuvres & en vertus, 1. *Cor.* 4. 20. & n'est pas comme on la fait, purement spéculative; je veux bien, quoi que trés-peu versé dans la Méchanique, leur donner une invention fondée sur l' expérience & sur les observations mentionnées en

en cet Eſſai, pour lever l'eau tant qu'on veut, par un mouvement qui eſt naturel & perpétuel, à quoi je ne ſçache pas qu'on ait encore pris garde.

§. XXXV. Les trois choſes qui réfutent & rectifient d'autres erreurs & fauſſetez de nos Sages, & montrent trois véritez; & qui ſont trois conſéquences tirées de l'expérience des deux Tubes en cet Eſſai, auſſibien que les deux autres aux pages 7. & 8. ſont celles-ci. La prémiere, que l'air, tandis qu'il eſt air, ou en conſiſtence d'air, n'apoint cette gravité & preſſion qu'ils lui aſſignent, mais ſemble avoir au contraire beaucoup de legereté. Vû qu'on voit, que quand on tire le Tube hors du ſtagnum, où il eſt plein de mercure, & on le pend à unclou la bouche en bas, & en l'air, afin qu'il ſe vuide en l'air; l'air y monte au même tems que le mercure en deſcend, non ſeulement de ſoi-même, mais même avec telle force & impétuoſiet qu'en montant il fait ſauter le tube avec el mercure un pied & demi de haut, en danger de le caſſer contre le clou ou cheville où on le tient ſuſpendu pour faire cette expérience. Et qu'il va tout droit au tube, plûtôt qu'à quelqu'autre part en l'air à l'entour du tube; preuve qu'il n'y monte par la gravité de l'air ou du mercure y tombant

en

en descendant hors du tube, mais par *fuga vacui* qui l'y fait voler si vîte, & y déterminer sa course plûtôt qu'ailleurs, à cause du *vacuum* qui s'y produiroit, alòrs si l'air ne se remplissoit.

§. XXXVI. 4. La seconde, qui détruit une autre des découvertes de nos Sagés, (à sçavoir que les corps fluïdes en leur sphere pésent, ou ont de la presfion & gravité sur eux-memes,) est, qu'on voit que tout l'èfort du poids & de la pression de l'eau enclose au grand tube n'est pas droit sur le petit, ni sur l'eau qui l'environne, & que l'autre a droit sous elle, en la perpendiculaire; mais contre l'air comprimé & enclos au petit tube, en ligne réfléchissante obliquement vers le haut, poussant en haut l'air enclos & le tube qui l'enferme. D'ou il conste évidemmént, que puis que l'eau n'a ici, étant enclose en un tube, nulle pression sur soi-même, elle n'en a point non plus étant libre & en sa sphere: & que puis que sa pression est contre ce petit tube par dessous en ligne oblique, elle n'est pas sur les corps non plus, qui s'enfoncent en l'eau, mais contre & par dessous eux, leur résistant par en bas pour les soûlever en haut, & les repousser hors d'eux; afin de se réünir & rejoindre, & prévenir le chasme & vacui-

vacuité [que nature fuit par tout, nature & le monde étant *plenitudo entium* : *omnia plena Jovis*] ou plûtôt la solution de leur continuité que ces corps la causent en eux. Et si leur pression étoit en bas sur ce qui s'enfonce, jamais plongeon, ni plongeur, ni poisson, ni chose aucune qui se plonge, & qui s'enfonce jusqu'au fond d'une eau profonde, ne s'en pouroit relever.

§. XXXVII. 5. Et la troisiéme démontre, contre un troisiéme Château en l'air des Sçavans du Siécle [à sçavoir que les fluïdes éminens & dêplacez se rêduisent à leur niveau en pressant en ligne droite en bas ce qui est sous eux; & en haut ce qui se trouve à leurs côtez autour d'eux] qu'ils ne se réduisent pas au niveau par cette voye. Vû que quand on laisse aller & descendre la colomne du tube dans le *stagnum* où il trempe & est debout, en ouvrant le petit trou qui y est bouché de cire, on voit qu'en sortant du tube, au lieu de pousser en bas ce qu'elle a droit dessous elle, & en haut ce qui se trouve autour d'elle à ses côtez, & se méler avec lui; elle ne pousse en bas ni en haut quoi que ce soit; car le *stagnum* hausseroit, ce qu'on voit qu'il ne fait pas; mais que dêplaçant ce peu du *stagnum* qui touche au tube en l'endroit où elle passe,

qui

qui n'eſt qu'autant qu'il en faut pour donner paſſage libre au peu qui ſort à la fois, elle paſſe droit en haut entre la bouche du tube & la partie du *ſtagnum*, qu'il touche immediatement, rejalliſſant auſſi haut par dehors autour du tube, (marque, qu'elle n'employ pas ſa force & presſion ailleurs contre ce qui eſt, ſous elle) qu'elle eſt au dedant du tube; & ſe réduit au niveau de méme, que fait la pluye ou d'autre eau qui tombe en l'éau, en tombant dans le *ſtagnum* & ſe mêlant avec lui. Et de la méme maniére les fluides déplacez par des corps qui s'y enfoncent ſe répandent & s'enmoncelent au tour d'eux à leurs côtez, s'écoulans de déſſous eux à meſure qu'ils s'enfoncent, & tâchans de retourner & ſe réduire au niveau en preſtànt de tout leur poids & leur peſanteur contr'eux. Et ſi l'éminence d'eau ſe réduiſoit au niveau de la maniére qu'ils diſent, il s'enſuivroit que ſon poids, ſi elle ſe réduiſoit au niveau en l'Ocean ou autre grande eau profonde, en enléveroit un autre infiniment plus peſant & plus grand qu'il n.eſt lui même. Et jamais corps qui s'y noye, pour grand & peſant qu'il fût, ſi la choſe étoit ainſi, ne s'y pouroit ſumerger. Ce ſont là cinq des travaux de nos Hercules modernes, qui depuis

trente-cinq ant ont tans fait de bruit entr'eux ; mais que cette expérience de trois ſols rend inutiles : tirant avec ſes deux tubes plus de veritez du puits oû ils les avoient cachées, qu'ils n'ont la mine de faire en trente-cinq autres années avec tout leur apparat.

§. XXX VIII. L'invention, que j'ai promis de donner pour lever l'eau à la hauteur qu'on voudra, eſt fondée ſur la derniére de ces trois obſervations. Car en obſervant, que l'eau déplacée monte à l'entour du corps qui s'enfonce en elle ; & que le corps qui s'enfonce de place autant d'ean qu'il peſe, je conſiderai en outre, que ſi cette eau là étoit reſſerrée en un Vaiſſeau & ne pouvoit ſe répandre & hauſſer tout à l'entour de ce corps qui la déplace, il faudroit qu'elle baiſſat en ſortant, de deſſous lui, ſi on lui ouvroit un trou ou paſſage par ailleurs, qu'ainſi en le lui donnant par quelque canal ou Tube au côté de ce Vaiſſeau dans lequel on l'encloroit ; elle ſortiroit par là & monteroit, ſi ce Tube alloit droit de bas en haut.

§. XXXIX. D'où concluant qu'il falloit reſſerrer l'eau en un lieu, & que ce lieu fermât juſte avec un bouchon flottant ; je fis faire un Puits de bois, fort rond, avec

ſon

ſon bouchon ou piſton qui s'emboitoit éxactement en ſa bouche ; & qui flottoit, étant creux, comme un tambour ou tonneau ; à peu prés de la figure que le piſton d'une pompe, je veux dire plus étroit par un des bouts que par l'autre: & fis metre à un côté du puits, & fort prés du fond, un tuyau de 30 pieds plus élevé que le Puits. Et puis laiſſant entrer l'eau, j'y mis le bouchon de bois le bout le plus large en bas ; & en le charcheant de poids je trouvai, qu'il s'enfonçant chaſſa l'eau hors du Puits par le Tube ou le tuyau au côté, avec une force égale à la peſanteur du poids que j'avois mis deſſus lui: en ſorte que le tuyau n'étant pas d'une groſſeur ni d'une hauteur capable de tenir toute cette eau, il la jettoit au dehors avec force & violence plus haut que ſon orifice ſuperieur, ou bont d'enhaut. D'où il conſte, que l'eau monte, & peut monter auſſi haut que la quantitè qui eſt déplacée ſe peut étendre.

§. XL. Le Puits doit être profond, & avoir la bouche ronde, de bois, de fer ou de bronze, afin qu'elles s'uſe moins ; & ſoit unie & polie, pour fermer d'autant plus juſte : Et le Puits doit être fait en l'endroit même où l'eau ſourd : & avoir á un cô-

té au bas deux tuyaux ou Tubes, de la hauteur nécessaire ; & avec chacun sa clef pour les ouvrir & fermer quand l'eau croît ou diminuë. Et son bouchon ou biston doit etre moins haut que large, ou plat ; & bien relié pour qu'il ne fasse point d'eau ; & moins large à son sommet qu'à sa base ou bout d'embas ; pour boucher & presser l'eau en bas uniformement, & pour laisser vers son haut ou sommet, entre le Puits & soi, un espace vuide, ou l'eau qui passe & qui hausse entre-deux etant reçûë ne le fasse pas sitôt abaisser & s'enfonser que si elle le couvroit. Enfin ce piston doit etre chargé de poids plus ou moins, justement à proportion de la quantité de l'eau que les tubes contiendront ; & de celle qui sourdra : mettant & ôtant du poids à meme qu'elle croitra ou baissera dans le puits ; ce que la situation du piston indiquera.

§. XLI. Commes ce poids & piston chasseront incessamment hors du puits l'eau qu'ils repoussent, elle sortira toûjours par les tubes, & montera à meme qu'elle sourdra ; ou bien il n'en sourdra plus. Et montera aussi haut, que cette quantitè là qu'ils deplacent en s'enfonçant poura aller & s'étendre. Ensorte qu'il n'en faudra déplacer qu'à proportion du contenu

tenu des tuyaux; autrement de la grosseur & de la hauteur dont on verra qu'il faudra qu'ils soient; en proportionnant les poids à cette quantité là. Et il n'y a point à craindre ici que la tuyau créve; vû que l'eau y montera toûjours, & non par reprises, comme elle fait dans la pompe; & parce que ce qui monte à son mouvement en haut & ne peut au même tems en avoir un tout contraire, elle ne descendra point, & n'aura par consequent ni pression, ni force aucune, ni éfort contre le tube; qui partant poura durer autant qu'une pompe fait, sans s'ouvrir, ou sans crever. Quand à l'eau qui rejallit, ou plûtôt qui monte & passe tout à l'entour du piston, (parce qu'il n'est pas possible de faire qu'il bouche & serre le puits si éxactement qu'il n'en rejalisse un peu) elle demeurera dans l'entredeux du piston & du puits, où elle monte, jointe à celle de dessous; & aidera avec elle, par son poids & sa presfion, à suporter le piston, & a le faire floter.

§. XLII. Par cette invention, qui met la terre, ou les poids ou pierres pesantes, au dessus de l'air; ce qui fait que l'air aussi met l'eau au dessus de soi; on peut faire monter l'eau à la hauteur qu'on la veut; & en grande quantité: ce qui sort par l' entre-

deux du puits étant peu de chose, & bien moins que ce qui sourd. Outre qu'en mettant du feutre tout à l'entour du piston, comme à celui d'une pompe; il en bouchera bien mieux; & laissera d' autant moins passer d'eau par l' entredeux. Au pis aller, tant cette eau, que celle qui vient d'ailleurs que du puits, comme en des mines; peut rentrer; non dans le puits; (parce que pour cet éfet il y faudroit faire un trou pour y laisser entrer l'eau; par lequel il est à croire qu'elle sortitoit plus vite qu'elle ne pouroit entrer) mais dans un des deux tuyaux; à cause que l'eau y monte, & en y montant fera aussi monter avec soi, par son mouvement en haut, toute celle qui y entre. Et il faut l'y faire entrer par un troisiéme tuyau ' qui d'un bout recevra l'eau, qui sortira par un trou ouvert en l' entredeux même, & l'introduira de l'autre dans l'un desdits deux tuyaux. Mais ce troisiéme tuyau doit étre courbé au bout par où il l'introduira, & couvert d'une soupape; la soupape, & la courbure (qui doit aller vers le haut) etant pour empêcher l'eau qui vient du puits, d'y entrer.

§. XLIII. Et s'il est besoin de force pour introduire cette eau, il n'y aura qu'à faire un

une foſſe auprés du puits; où tant cette eau que toute autre qui vient d'ailleurs puiſſe entrer: & la couvrant d'un plancher ſur quoi on fera deux puits qui ſe toucheront l'un l'autre, & de la même façon que l'autre, mais plus petits, avec chacun ſon piſton flotant, & qui ſoient tous deux d'une même peſanteur; on pendra ces deux piſtons aux bouts d'une même barre, par le milieu de laquelle une cheville, fixée en l'entredeux de ces puits, paſſant, la laiſſe jouér librement des deux côtez, comme le bras d'une balance. Et au fond de chaque puits, qui ſera le pancher meme, il faut mettre un bout de pompe qui entre en l'eau par en bas, & ſoit par en haut égal, ou au niveau du plancher: & couvert d'une ſoupape; qui s'ouvrant laiſſe entrer l'eau, quand les piſtons hauſſent ou montent; & ſe fermant la retienne quand ils s'abaiſſent & deſcendent. S'ils ſont bien contrepeſez & en un juſte équilibre, l'eau qui monte en un des puits en hauſſera le piſton, & fera en meme tems baiſſer l'autre en l'autre puits. Ainſi chacun tour à tour en hauſſant & en baiſſant chaſſera l'eau des deux puits dans le troiſiême tuyau qui l'introduira dans l'autre; l'y faiſant entrer par force, & mon-

 ter

ter inceſſamment avec l'eau qui vient du puits: ces deux eaux montant enſemble par un mouvement qu'on peut appeller perpétuel. Mais il faut à ce troiſiême tuyau mettre des ſoupapes, pour que quand les piſtons hauſſent, l'eau qui entre & vient des puits n'y puiſſe pas retourner.

§. XLIV. Si cette invention ici pouvoit ſervir toute ſeule j'aurois donné au Public deux inventions au lieu d'une. Et ſelon les aparences elle le pouroit bien faire; ſa force étant ſuffiſante pour ouvrir le paſſage & donner entrée à l'eau des deux puits dans l'un des tubes; n'etant beſoin tout au plus, par l'obſervation cinquiéme, que d'une force capable de lui ouvrir le paſſage, en déplaçant ſeulement cette eau là qui couvre & bouche immédiatement la bouche du tube par où l'autre entre. Mais comme en la méchanique, on ne peut dire qu'on ſçait avant d'avoir fait l'epreuve; & que mon expérience n'eſt pas venuë juſqu'ici, je laiſſe à nos Inventeurs de choſes toutes trouvées cette découverte à faire; ſi le digne Docteur Wall, qui en ſçait plus que Wallis, ne l'a pas faite avant eux.

§. XLV. J'ai tiré cette Invention de l'obſervation cinquiéme qui eſt à la pag. 368. à ſçavoir de la maniére dont les fluïdes ſélevez

levez ſe réduiſent à leur niveau. Et comme de ce principe j'ai déduit des choſes utiles, parce qu'il eſt veritable: ainſi ſur les fondemens que nos Sçavans ont poſé, leurs diſciples ont bien la mine de bâtir des fauſſètez. & des inventions pareilles à celle du Barometre, ou bien d'un Areometre; c'eſt à dire bonnes à rien. De ce retour des fluïdes emmoncelez au niveau j'ai auſſi déduit la cauſe du Reflux & des Merées; comme on verra en l'Eſſai du mouvement de la terre.

§. XLVI. Au reſte, quand ceux qui trouvent que je ne ſçai pas écrire le Francois corectemént, m'obtiendront la permisſion d'aller demeurer en France ſans y étre inquiété pour les chimères d' autrui, j'y retournerai l'aprendre: car en étant ſorti jeune je ne l'ai jamais bien ſçu; ni meme (tant parce que je ne l'ai point éxercé, que parcé que j'ai appris quelques autres Langues depuis, dont les unes ont chaſſé les autres de ma mémoire,) pû retenir ce que j'en ſçavois quand j'en ai ſorti.

§. XLVII. Propoſuéram quidem citius dare orbi literario obſervationem hanc ad me transmiſſam, ſed impediuit hactenus, propoſitum effectui dare, partim quod ſperarem, autorem & reliqua capita ſuarum meditatio-

 num

num editurum ac ita integrum volumen publicaturum esse, vt ita non opus sit nostra publicatione; partim quod vellem eam curare in idioma Latinum transferri, vt eò magis conueniat cum reliquis obseruationibus. Sed cum hactenus cessauerit Autor edere tractatum suum, & videatur saltem pauca exemplaria primi huius capitis curare imprimi, & displicuerint versiones Latinæ mihi exhibitæ, difficile etiam sit, varios loquendi modos, quibus Autor subinde vsus est, cum illa emphasi & vi significandi in lingua latina exprimere, quam habent in idiomate Gallico: malui eius obseruationem in ea lingua, qua eam transmisit, communicare erudito orbi, quam rem diutius differre. Habebunt hic defensores Philosophiæ corpuscularis, in quo se exerceant, quorum in gratiam potissimum obseruatio illa in Tomo hoc locum sibi vindicavit, cum sciam, eos esse nouorum inuentorum insignes fautores.

OBSERVATIO XXXI.

IVS BELLI ET FOEDERVM STATVVM IMPERII GERMANICI.

SVMMARIA.

Status controuersiæ. §. I. Ius quid hic denotet. §. II. De Iure fœderum statibus competente dispositio Instrumenti pacis. Ex hac etiam Ius Belli metiendum. §. III. Imo bellum, offensivum: expresse

presse in legibus fuit prohibitum §. IV. *An mores Imperii huic prohibitioni obstent?* §. V. *Aliæ rationes pro licentia belli offensiui.* §. VI. *Ostenditur eas nihil inferre* (1.) *quoad bella ciuilia*, §. VII. (2.) *quoad bella socialia. Diffidationes antiquæ hodie non amplius in vsu.* §. IIX. *Quid iuris, si Constatus nolit satisfacere Instrumento pacis aut legibus imperii?* §. IX. *Eiusmodi coërcitionem non esse bellum offensiuum.* §. X. *In causa dubia status non possunt vindicare bello iura sua* §. XI. *Quid si bello aperte iniusto status constatum turbet?* §. XII. (3.) *quoad bella externa. Extraneos bello petere nequeunt ordines imperii* §. XIII. *Loca eam in rem ex Puffendorffio.* §. XIV. *De fœderibus quid olim in Comitiis sit actum* §. XV. *Sententia Obrechti de fœderibus statuum.* §. XVI. *Fœdera fieri debent saluo Imperatore & imperio, olim etiam saluo Papa* §. XVII. *Exemplum ex fœdere Rhenano nouissimo* §. XIIX. *Limitatio dictorum & Conclusio* §. XIX.

§. I.

Acris hactenus inter Dd. disceptata controuersia, *An status Imperii habeant Ius belli offensiui*, a) *& an inscio Imperatore possint fœdera cum exteris pangere?* Qui af-

a) Quæstionem hanc accuratè tractavit vir quidam Illustris in Tomo IV. Observ. 8. Ego verò cum in Dissertatione de collisione morum

cum jure ſcripto,aſſeruiſſem, obſervantiam Imperii tollere poſſe leges ſcriptas obſervantiam contrariam vetantes, inter alia appoſui: etiam legem de pace publicâ moribus hactenus fuiſſe mutatam, ut plerique Status Imperii præter jus belli défenſivi, quod ibi conceſſum eſt, utantur etiam jure belli offenſivi (ex iuſta videlicet cauſâ) quod tamen ibi ſit prohibitum. Hanc autem mutationem & experientiam teſtari,& rationem defendere, quia iubeatur in conſtitutione pacis publicæ, quod quilibet offenſus debeat eſſe contentus, ut cauſam ſuam in iudicio debito modo agere liceat. At per næuos ſtatûs hodierni Imperii Germanici, factas eſſe lites immortales in Dicaſteriis Imperii. Hinc idem eſſe in effectu intuitu ſtatuum potentum, ac ſi iudicia ceſſent: Ubi autem ceſſant iudicia, ibi licere etiam bello offenſivo vindicare iniuriam illatam. Simul tamen notavi, Limnæum ſententiam, de iure belli offenſivi ſtatibus competente malè probare voluiſſe ex legibus imperii, cum tamen leges imperii potius doceant contrarium. Igitur addidi, videri totam hanc quæſtionem commodisſimè ea methodo tractari poſſe,ut (1.) cauſæ explicentur, cur conſtitutiones præcedentum Imperatorum de pace publica nullum effectum habere potuerint: inter illas potisſimum eam eſſe (2.) quod ob nimis tum turbatum ſtatum diffidationes ſub certis conditionibus fuerint permiſſæ. (3.) An posſibile ſit, bello defenſiuo ſubditis permiſſo pacem publicam in regno procurare? (4.) Cur tamen id inconſtitutione Maximiliani fuerit permiſſum? (5) Sine rationabili adminiſtratione iuſtitæ non potuiſſe etiam efficaciter prohiberi bella offenſiua. (6.) An ipſa inſtitutio ac

or

affirmatiuam tuentur partim fundamenta quærunt in ipsis legibus contrariis, partim in ipsa formâ Reip. necessitatem hisce bellis fœderibus offensivis indulgente: Econtrario in diuersam partem abeunt alii: Nos posterio-

ac ordinatio Cameræ, eius emendationes subsecutæ, & praxis hodierna ita sint comparatæ, ut deinceps potens contrà potentem principem rationabiliter administrationem iustitiæ cum effectu sperare posfit? (7.) Quam difficile & fortè impossibile sit, bella offensiua & defensiua in explicatione ad casus obvenientes exactè secernere. (8.) Ex historiis omnium bellorum post constitutionem pacis publicæ ortorum constare, ab utraque parte semper, & utrobique quidem cum maximâ plerumque verosimilitudine prætensum fuisse, bellum defensionis causâ esse susceptum. (9.) An leges effectum habere posfint, quæ medium subministrant, dispositionem legum cavillandi? (10.) Quænam sint rationes status, cur in nouioribus legibus, ut instrumento pacis, capitulationibus ac Recessibus res quædam obsoletæ, aut quarum effectus nullus sperari potest, reperiantur. Hæc à me ibi dicta videntur occasionem dedisse dubiis hic adversus illam meam sententiam propositis. Cum vero tum quidem tempus non habuerim, thema istud difficillimum, pro dignitate exponendi, & fortè brevitas ibi dictorum, & cum brevitate conjuncta obscuritas in causâ sit, ut fortè mea sententia nondum distinctè percipe posfit, licebit ad observationem hanc Amici honoratisfimi nonnulla adjicere, non ut

ſteriorem ſententiam legibus & moribus b) omnino eſſe conuenientiorem credimus) & quidem ante omnia monemus ſtatum controuerſiæ recte ponendum eſſe: Non enim diſputamus. *An non Principes nonnulli Imperii hactenus bellis offenſiuis impune* c) *ſe petierint?* Neque hoc ſub incudem vocamus, *An ob lenta auxilia & morbos Imperii Comitiales, ferme impoſſibile ſit via iuris à conſtatu ſuo ſua acquirere?* d) Sed hoc tantum quærimus, An Status Imperii IVS HABEANT BELLI OFFENSIVI, & an Fœdera poſſint licito iure cum exteris ſine conſenſu Imperatoris ſancire? Quod omnino nobis negandum videtur.

§. II.

ut diſſentientem à me refutem, ſed, ut ſaltem mentem meam diſtinctius explicem. Nam ſaltem extemporanea ſunt, quæ hic annoto, & dum hæc ſcribo, ad nihil minus aptus ſum, quam ad illam animi diſpoſitionem, quam requirit meditatio quæſtionis tanti momenti.

b) De Legibus non dubito: nam & hoc ipſe aſſero. At de moribus res ulteriorem disquiſitionem meretur. Ea enim quæ in hâc obſervatione adducta ſunt exempla, vereor an ſufficientia ſint ad mores conſtituendos.

c) Rectè. Hinc etiam dixi, eos id iuſtè & cum ratione feciſſe.

d) Sed ſi hæc quæſtio non vocatur ſub incudem, fruſtranea erit omnis diſputatio, cum per dicta initio ratio omnis aſſertionis meæ in eius diſcuſſione nitatur.

§. II. Vt itaque eo dilucidius mentem noſtram posſimus declarare, primo explicabimus, quid nobis ſit *Ius habere vel non habere* Eſt quippe Ius nobis qualitas moralis actiua ex concesſione ſuperioris perſonæ competens ad aliquid ab altero homine, cum quo in ſocietate viuimus, iuſte habendum vel agendum, quæ concesſio cum vel tacita, vel expreſſa ſit, videbimus, an Status Imperii illam habeant an non.

§. III. Et quidem præſuppono ſtatum Imperii noſtri Germanici nouam ideam & formam quaſi recepiſſe poſt. I. P. O. itaque ſi de Iuribus Statuum Imperii hodiernis iudicium ferre volumus, neceſſe eſt, vt non ad antiquiora tempora ſed ad tempus I. P. O. recurramus *Obrecht in Expoſ. I. P. C. art. 8. pag. 174.* Sic ut merito ſtatuamus, quod Principes Imperii ea tantum jura habeant quæ in *I. P. O. art. 8* vel expreſſis verbis vel ſub vocabulo *ſimilia* e) continentur. Jam verò ſi evoluimus tabulas prædictas, præ-

e) Sed hoc vocabulum tam latè patet, & tam obſcurum eſt, ut, ſi non adjungatur expoſitioni inſtrumenti pacis Hiſtoria præcedentium incrementorum ſuperioritatis territorialis, ſola Inſtrumenti pacis conſideratio inſufficiens aut certè valdè obſcura norma ſit judicium ferendi de iuribus ſtatuum.

præsertim ubi agitur de Jure belli statibus competente, statim offendimus mirum in modum & variis sub repagulis illud esse inclusum, & non nisi salvis illis repagulis esse concessum credendum. Ita enim de fœderibus bellum plerumque antecedentib9 *d.l.* cauetur. *Cumprimis verò jus faciendi inter se, & cum exteris fædera, pro sua cujusque conservatione, ac securitate singulis statibus perpetuò liberum esto; ita tamen, ne ejusmodi fædera sint contra Imperatorem & Imperium, pacemque ejus publicam vel hanc imprimis transactionem, fiantque salvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio abstrictus est.* f.)

§. IV. Imò quod bellum offensiuum attinet, expressis verbis hoc statibus esse interdictum reperimus, in tabulis pacis *art.17.* §. 7. hisce verbis; *Et nulli omnino statum licet jus suum vel armis persequi, sed si quid controversiæ jam exortum sit, sive post inciderit, unusquisque iure experiatur, secus faciens sit reus fractæ pacis: Quæ vero judicis sententia definita fuerint, sine discrimine statuum, executioni mandentur, prout Imperii Leges de exequendis sententiis consti-*

f) Vti nunquam negaui, verba legum imperii statibus denegare ius belli offensiui, ita ultro addo, quod eadem hæc clausula Instrumenti pacis repetita sit in Capitulatione Iosephi art. 10.

ſtituunt. Et ſi acta, quæ in compoſitione tabularum m Oſnabrugenſium confecta,& quæ inter alios collegit *Lundorpius P.5.p.* 1075. ſeqq. evolvimus, ſtatim offendimus, nullam aliam mentem, neque petitionem fuiſſe ſtatuum, quam ut *jus fœderis defenſiuum* (quod ipſis antea in pace Pragenſi *de anno 1635. §. 75.* denegatum, *vid Aut. Hiſt. Pac. Weſtph. l. 2. c. 12. §. 28.*) illis ſalvum redderetur, g) quod & Capitulatione Leopoldi *art. 6. & 10.* & Joſephi *art. 10.* ut omnis ſcrupulus adimeretur, quaſi renovatum, verb. zu ihrer defenſion Sicherheit und Wohlfarth; nihilq; magis tunc curarunt, quàm quò & occaſiones belli præſcinderentur:

§. V. Expreſſo itaque iure cum prohibitum ſtatibus bellum & fœdus offenſivum ſuſcipere, videndum, an regula exceptionem patiatur, vel an tacite hæc prohibitio abolita. Non nego moribus contrariis poſſe aboleri legem & abrogari, adeo ut illud Plauti in Trinumo Act. 4. Scen. 3. verſ. 30. nihil inſipidi ſapiat, *Mores LL. perduxerunt tam in poteſtatem ſuam*

g) Oſtendunt hæ circumſtantiæ, ideò ſaltem petitum fuiſſe ius fœderum defenſivorum, quia anteà & hæc fuerant denegata, & quia ſi diſerue fœdus offenſiuum petiisſent nihil obtinuiſſent, partim etiam, quia facilè videbant, obtento jure fœderis defenſiui, ſe etiam revera obtenturos eſſe ius fœderis offenſivi, ob difficilimam ſecretionem belli defenſiui & offenſiui.

suam, Magis queis sunt obnoxiosi, quam parentes liberis, Ex misera ad parietem sunt fixa clavis ferreis, Vbi malos mores h.) *affigi nimis fuerat aequum*; nostroque seculo possit applicari, sic ut cum *Dn. Hertio de superior. territ. th. 20. §. 15.* inclamare liceat: *Leges summâ sapientia & consilio lata* i) *verum sine moribus parum profecerunt*; neque hoc nego, esse naeuum non minimum, qui deformem reddit nostram Remp. quod lites in illa Statuum fiant immortales, & quod contra potentem Statum iudicia & sententiae non possint semper tuto exequi, *l*) quod & quondam Illustr. Forstnerus *Epistola ad Ill. Baron de Boineb.* scripta agnouit, quando, Statum Germaniae corruptum inter alia hisce depingit: *Bonas sed vanas sine auxilio leges, ma-*

h) Hoc tertium comparationis in dicto Plautino non agnosco. Nam loquor de moribus non malis, sed qui ex hypothesi status Imperii neque boni, neque mali sunt.

i) Id forte adhuc in quaestione est. Quaeritur nimirum, an prudens sit consilium & lex, quod ad Statum Reipublicae, cui aptari debet, non est aptum? Sed istam quidem litem iam non facio meam.

l) Atqui hanc confessionem accepto. Exinde enim ni fallor, firmissimo nexu sequitur, cessare iudicia in Germania, idem enim est, nullum iudicium, & iudicium effectu carens. At cessantibus iudiciis, quemlibet, etiam, privatum, habere ius belli, offensiui quoque, ex principiis iuris naturae & Gentium constat.

malos mores, lites ac controuersias, quæ iudiciis habebantur, armis vindicatas, elusam denique potentia rerum iudicatarum vim & autoritatem quis tangat?

§. VI. Cum itaque ratio legis qua bella offensiva denegantur Statibus, hæc sit, quod iudicia imperii restaurata, quibus læsis occurri debeat, hæc autem ratio plerumque cesset, hinc dicunt cessante ratione legis prohibitiua ipsam cessare legem, armisque dari locum, ceu & argumentatus Dn. Cocceius m) *Iurispr. publ. c. 23. §. 29. p. 369*, & ipsam necessitatem *porrigere legem* dicit Dn. Hertius *Diss. de superior. territ. th. 31. p. 299*. Et fortassis non deerunt exempla contradicentibus, quibus demonstrare possunt, post Tabulas pacis confectas Principes Imperii inuicem se bello petiisse, & *impune* n) quidem, ex quo & porro argumentabuntur cum *Furstenerio de Suprem. c. 22. Ex facto sæpe permisso, quod iuri divino atque naturali contrarium non est, multa repetione ius fieri.* Et omnino ex hisce rationi-

 bus

m) In eo saltem est differentia, quod Illustris Dn. Cocceiius saltem eum casum facere exceptionem putet, vbi iudicis iustitiæque obtinendæ copia non sit: ego vero putem, statum Imperii hodiè talem esse, ut ordinariè inter potentes non sit iudicis iustitiæque obtinendæ copia.

n) At sic ego non argumentor, per dicta lit c. Ac nolim sapientiam Philosophiæ Furstenerianæ comparari cum simplicitate meæ doctrinæ.

bus videtur posse concludi ipso iure licita esse bella offensiua in Imperio.

§. VII. Verum enim vero hi scrupuli quamvis ingentis momenti, me tamen non potuerunt hactenus a negatiua dimouere. Et vt eo facilius me explicem, distinctius erit procedendum. Scilicet notum, triplex dici bellorum genus (1) Ciuile, (2) sociale, & (3) externum; Ciuilia bella ea appellari, quando Princeps rebelles & refractarios subditos ad obedientiam redigit, notum, o) hæc bella Principibus Imperii esse concessa non ambigo, dum utraque *Capitulatio Leopoldi & Iosephi art. 7.* id sat dilucide probet. Verum dubito an hæc vis Principum armata bellum dici possit offensivum, cum potius in indubitato iure Principatus se defendant Principes ceu contra ciuitatem Magdeburgensem Serenissimus quondam Elector Brandenb. vrsit. vid. Pufendorff. *L. 9. Rer. Brand.* §. 83. Sed si Princeps Imperii vel contra Capitulationem vel alia pacta faciens, subditos & Status armata manu adigere velit vt sibi non obstantibus pactis id, quod ab illis exigit, concedere debeant, & vt suæ licentiæ velificari possit, externum quoque militem ad se allicit, illi sua præsidia

o) Hoc genus belli non propriè bellum ciuile dici, patet ex iis, quæ mox sequuntur. Magis propriè ciuilia bella aliàs dicuntur, quæ in Republica Aristocraticâ aut Democratica, vel mixta Proceres cum Proceribus, aut cives cum concivibus, aut status cum statibus gerunt.

ſidia concredit, & vt in Status & ſubditos ſuos deſæuiat, permittit, hic omnino peccat, & legibus Imperii reus fit, eoque caſu S. C. M. oppresſis opem ferre & iuſtitiæ brachium armatū illis porrigere poteſt & debet, ceu vltima verba dictarum Capitulationum *art. 7.* edocent.

§. IIX. (2) Sociale quod attinet p) id maiorem dubitationem iniicit. Aſt bene circa ilud facies & antiqua & recentior Imp. Rom. vel potius regni Germanici erit inſpicienda: Ea pro ſtabilieuda ſu a ſententia ad antiquora iura, & imprimis Conſtitutionem Maximiliani provocant, & ex illa Jus Belli offenſiui deriuare volunt q) illi meo, quidem iudicio non tuto procedunt, diffidationes r) potius & contentiones ciuiles, imò nonnumquam latrocinia gentis in gentem erant, quam bella iuſta & legitima: *Autor. Animaduerſ. in Furſten.*

 de J.

p) Sociale bellum aliàs dicitur, quod pro ſociis confœderatis geritur. Igitur ſi Dominus autor rempublicam Germaniæ habet pro ſyſtemate irregulari confœderatarum Rerumpublicarum, utique bellum ſtatuum cum Conſtatibus poterit vocari ſuo modo bellum ſociale. At convenientius videtur bellum ſtatuum Imperii ad claſſem bellorum Civilium-eferri, præprimis ſi habeat remp. Germ. pro Republicâ ſimplici & unâ

q) Hoc ego quidem non facio.

r) Sed diffidelationes per conſtitutionem illam Maximiliani ſunt ſublatæ, & fortè reſpexit Dn. Autor ad tempora Caroli IV. & ea, quæ de diffitionib9 illorum temporum habentur in AureaBulla.

de J. supr. c. 21. Scilicet papali astu germani Principes à litteris & studiis alieni ense & ferro, non legibus sua iura dirimebant; temporibus itaque aliquid dandum, & ut quædam mora priuatis illis dimicationibus injiceretur, Maximilianus cauit, ne ante denunciationes solennes, quas diffidationes vocabant, inuasiones à pœna essent imunes, quæ diffidationes nomen belli, quod inter gentes liberas obtinet, non merentur, non secus ac illæ deprædationes & barbaricæ inuasiones, quibus se hodie lacerant Lithuani, quas ad iura belli non referimus.

§. IX. Ast hodie illis diffidationibus in Germania abolitis aliter iudicandum: Aut enim vel ex instrumento pacis vel ex sententia à supremo iudicio lata status contra constatum agit, hic vero omni legis & judicis autoritate posthabita iusta petentis postulata spernit, seque opponit. Aut iura adhuc sunt illiquida, quæ status contra constatum urget; Aut tertio, in possessione sua notoria vel ex nudo odio quis à Constatu turbatur & insectatur, Priori casu quod tunc possit arma capessere Princeps, & in societatem vocare vicinos vel alios Principes, suaque iura à renitente repetere, non ambigo, ita enim claris verbis cautum in *I. P. O. art. 7. §. 6. Veruntamem si neutro horum modorum intra spatium trium annorum terminetur controversia, teneantur omnes ac singuli huius transactionis consortes, junctis cum parte læ-*

sâ

ſâ conſiliis viribusque arma ſumere ad repellendam iniuriam à paſſo moniti, quod nec amcitiæ nec iuris via locum invenerit &c.

§. X. Sed nec hanc coercitionem ad iura belli offenſiui refero s) quod *Nicolaus Damaſcenus* olim pro defenſione Herodis, maxime urgebat; de *quô Ioſeph. Antiquit. Judaic L. 16. c. 16. p. 575.* & *Grot.* Epiſt. ad *Gall. p. 226. Edit. Geſen.* Tum vero *Nicolaus narrans de quingentis illis, quæ Herodes Obadæ per Syllæum dederat mutua, & de cautione, cui & hoc ineſſet, ut liceret Herodi, ubi dies ceſſiſſet, pignora capere ex univerſa Arabia, non illud bellum, ut inimici dicerent, fuiſſe aiebat, ſed, jure legitimo res eſſe repetitas. Neque tamen huc feſtinanter decurriſſe Herodem, ne tum quidem cum formula cautionis id permitteret, ſed poſt aditos Syriæ Præſides Saturninum & Volumnium, poſt, his coram datis à Syllæo, jusjurandum per genium ipſius Cæſarisque intra trigeſimum diem ſe & nomen exſoluturum, & dediturum, qui ex ditione Herodis in Arabiâ profugerant. Quibus pactis juratis cùm non ſtetiſſet Syllæus, iterum ab Herode appellatos Præſides, cumque hi permiſiſſent pignora capere, vix tandem cum ſuis profectum in Arabiam. Hoc, inquit, illud eſt, quod bellum, quod expeditionem, conquiſitis in atrocitatem vocabulis appellant. At quomodo bellum dicatur juris perſecutio poſt impetratam à præſidibus à te datis veniam &c.?* Cui aſſerto & adſtipulatur *R. I. Rabiſh. de anno 1567.* §. ſo halten wir/ quo *Exactio*

s.) Nec ego.

hacce contra refractarios minimè audit bellum.

§. XI. Quodsi verò dubia adhuc sint jura Principis, quæ contra alium prætendit, t) tunc nequaquā ad arma ptovolare potest, nisi prius legum axilio implorato, u) neque ante sententiam expectatam x) dici potest, esse sic comparatum statum nostræ Reip. ut ab. eo jus expectari nequeat, affectib9 y) modo non indulgeamus, à ui abstineamus, & impartiali aliorum iudicio res nostras submittamus, & non opus erit arma violenta velamento defensionis naturalis obtegére: Bene *Schüzius*, V. 2. disp. 10. §. 3. in hanc rem disserit: *In omnibus fere bellis ejusmodi utriusque partis, licitæ defensionis & pacis publicæ assertionis & conservationis colorem eau-*

t) Hic casus maximè est huius loci.

u) Sed frustrà imploratur auxilium legis, cuius finis & executio frustrà expectatur.

x) Quamdiu vero expectandum erit? Cum habeamus exempla possessoriorum summariissimorum, quæ ultrà seculum durarunt. Notum est, JCtum celebrem, quem honoris causa non nomino, qui cum vocatus fuisset in consilium intimum cuiusdam principis Imperii, in quo deliberabatur de reparatione damni, quod vicinus dederat, & cum ordo eum tetigisset votum suum eò direxerat, ut diceret, habere Principem actionem legis Aquiliæ, postea nunquam vocatum fuisse ad Consilium, tanquam qui sententiam parum pertinentem dixisset.

y) De affectibus planè hic non est sermo, nec de partialitate iudicum, sed de iis, quæ suprà §. 5. Dn. Autor iam concessit. vide notata lit. l.

causæ suæ quæsivisse historiarum aliaque publica testari monumenta, quibus nullum fertilius seculum reperiatur ac hoc nostrum : Certe causa Wildfangiatus dedit huius tragœdie testimonium : Et ea, quæ *de facto* à quibusdam in alios mota arma, ius non tribuunt, neque à Cæs. Maj. & Imperio approbta vnquam, nisi dicere velis ; *ipso facto & ipso iure esse synonyma in LL. Germanis, vid. Schilt. in Instit. I.P. p. 2. p. 279.*

§. *XII.* Hoc eo magis procedit, si cui Principi ab alio contra pacem publicam notoria vis infertur, sicuti nostris temporibus, à Svecis Potentissimo Electori Brandenb. factum meminimus, Ejusmodi enim arma omni justitiæ & pietati repugnare uniuersa pronunciauit Resp. Germaniæ, ipsaque non tantum C. Maj. sed & Sereniss. Domus Brunsvicensis Luneb. aliique Principes secundū Imperii leges, *vid. Ordin.* des Landfriedens zu Worms *de anno 1521. t. 2. O. C. pag. 2. t. 9. §. 2.* recte contrá hanc aggressionem Serenissimo Electori Brandenb. manus auxiliatrices præbuerunt. Ex quibus & hoc apparet nullum in Imp. R. posse dari casum *vbi Bellum sociale offensiuum in Germania locum habeat.* z)

§. XIII. De tertia specie itaque nempe de *Bello Externo* & an huic Principes Imperii se *quatenus Principes Imperii* adiungere & inscio Cæsare fœdera cum exteris offensiua inire possint, dispiciendum. Vix oritur bellum, cui

 non-

z) Sed hactenus dicta ostendunt, adhuc superesse casum, de quo actum est §. 11.

nonnullos Principes Imperii non reperias admixtos. Notauit venalitatem Germanorum non tantum Thuanus *L. 24. Histor. ad ann. 1560.* sed & ipse *personatus ille v.* **Herden** *in Tr. cui titulus* **Grundfeste des H. R. R.** *P. 3. c. 9.* taxat illas pensiones, quas nonnulli a coronis exteris, quo suis studiis inseruiant & illis auxiliatrices copias præstent, sibi stipulantur. Quod bella exteris Principibus non possint inferre & legibus Imperii & ipsi Statui publico Germanicæ Reip. hodierno convenit: *Ipse Hyppolitus a Lapide famosus ille autor P. 1. c. 9. p. 133.* hoc vel inuitus fateri cogitur, dum exclamat: *Quemadmodum nullus ordinum priuata authoritate bellum mouere potest, aut debet, ita Imperatori æque ac singulis ordinum, absque communi omnium ordinum, aut certe hodie Electorum consensu id facere prohibitum.* Si enim saluum Imperium esse velimus, neque ea admittenda, quibus per indirectum pax & salus Imperii in discrimen vocatur.

§. XIV. Id quod cum anno 1665. Episcopus Monasteriensis Belgii ordines fœderatos bello oppetiisset offensiuo, Serenissimus Elector Brandenb. acriter contra hunc in Comitiis Imperii vrsit. Ita enim Pufendorff. *L. 10. Rer. Brandenb. §. 9.* memorat, Legatum Ratisbonæ dictasse. *Male Præsulem Monasteriensem fecisse, quod inscio Cæsare ac Imperio circuliq; Westphalici ordinibus tam periculosum bellum fœdera-*

deratis Belgis mouerit, per quod vicinis iam multa incommoda inferantur; & mox. Tali modo Imperium bello inuoluere, ne Cæsari quidem per legem Regiam fas esse. Et memorat laudatus Pufendorff. *L. 11. Rer. Brand. §. 39. ad ann. 1672.* ita tunc in Comitiis disseruisse quosdam; *Ferri non posse a Coloniensi & Monasteriensi bellum suscipi contra Leges publicas, quod Germaniam quoque inuoluturum sit, si Belgæ inuasoribus paria reponant: Nam si ipse Cæsar per legem Regiam offensiuum bellum mouere non possit insciis ordinibus, ac instrumento Pacis cautum sit, vt ordinum auctoritas in Comitiis declarata accedat, multo minus Principi alicui id permissum, & si quispiam tale quid audeat, Cæsari vtique fas esse, id malum in herba opprimere.* Et similiter fere ratiocinatur Herde in G. des H. R. *p. 336.*

§. XV. Ex quo porro fluit, nec posse *Status Imperii qua Status*, inconsulto Imperatore fœdera cum Exteris pangere: Non me latet, *Bauarum & Coloniensem* quondam in Comitiis Ratisbonensibus, vbi ipsorum sententia de hac re exquireretur, palam dixisse, *ne honoris quidem causa Cæsari de iis significare velle.* Pufendorff. *L. 1. Rer. Brand. §. 7.* Egregium iniustæ libertatis Germanicæ exemplum! Sic enim non solum Cæsaris Legati apud Pufendorff. *L. 18. Rer. Suecic. §. 95.* ratiocinabantur; *Ius Fæderum cum exteris Cæsarem ordinibus quidem concessisse, eadem tamen causa cogni-*

gni-

gnitionem requirere, ne ex illis Imperio damnum nascatur. Et iam decreto Comitiorum Wormatiensium Anno 1495. cautum, vt causa fœderum antequam concludantur, ad Cæsarem & Status Imperii referantur, eorumque consensus adhibeatur. Id quod eo magis ordinibus incumbat, quia ipse Cæsar Lege Regia teneatur, nulla fœdera intra aut extra Imperium nisi expresso consensu Electorum inire. Vnde plus licentiæ indulgeri ordinibus, quam Cæsari absurdum fore, atque ex his sensum Verborum, modo non sint fœdera contra Imperatorem & Imperium, facile illustrari posse. Sed & alii cordatiores Germani in ipsis Comitiis de hac re ita sentiebant apud Pufendorff. *L. 13. Rer. Brand. §. 16. ad ann. 1675. Speciosum sane id ius fœderum & magnificum, & in quo præcipuum libertatis specimen resideat, sed ex quo demum totius Imperii exitium prouenturum sit, si ordines ita proterue eodem abutantur, nec queuis fœdera accurate totius Imperii rationibus attemperent. Quid enim spei superesset, saluam fore patriam, si validissimis ordinum integrum sit, iis Regibus, queis in enervanda & subruenda Germania Consiliorum summa vertitur, fœdere se innectere, ex quibus vel vires illis sociare, vel saltim quiescere teneantur, dum quam maxime decretum bellum aduersus istos geritur? quos meminisse decebat, ab exteris illis, quicquid blandiantur, non aliud ipsos beneficium manere, quam vt reliquis oppressis, eandem postremo sortem subeant.*

beant. Quin omnem ſalutem ſuam, omnem dignitatem ab Imperio pendere, quod quo florentius ac formidabilius ſit, eo magis quoque ſingulorum ordinum dignitatem apud exteros gliſcere.

§. XVI. Quibus addenda, quæ habet Ill. *Obrecht in Comm. ad l. P. O. p. 179.* ad verba *ſaluo per omnia iuramento.* Ita autem ingenue Germanum ſe adhuc profitetur: *Hoc ſuppeditat rationem decidendi quæſtionem; An Status inſcio Imperatore & Imperio fœdera facere poſſint? quod negatur ex his formulis, quamuis ſint qui contrarium velint; Quia enim Imperii Statibus non abſolute licet fœdera pangere dum Imperium & Imperator excipiuntur, iam autem nemo iudicare poſſit, an talia fœdera contra Imperatorem & Imperium ſint, quam ipſe Imperator cum Statibus, ſequitur hinc vtique illorum conſenſum eſſe requireudum., non quidem vt per id Statibus hoc ius competens, imminuatur, ſed ſolum vt de circumſtantiis horum fœderum iudicari poſſit, num ſcilicet Imperio proficua ſint, nec ne.* aa)

§. XVII·

aa) Sed & contra hæc multa diſputari poſſunt. Unicum id profero. Conſtat, legibus Imperii permitti fœdera defenſiva. Cum vero nunquam deſint argumenta ſatis probabilia, bella offenſiva (iſta) pro defenſiuis venditare, & leges nunquam diſponant, quod in caſu defenſionis debeat præcedere Imperii aut Imperatoris cognitio, nec natura defenſionis eam cognitionem ad-

§. XVII. Quin per verba illa: *Saluo Imperatore & Imperio* id denotari, vt fœdera prius examinanda ſint ab Imperio, an ſubſiſtant, & an Imperatori aduerſentur, exemplis demonſtrat, Datt. *de Pac. Imp. Publ. V. 1. c. 12. p. 84. n. 4.* oſtenditque Eberh. a Weihe *medit. pro fœder. c. 2. n. 232.* ſolenne éſſe omnibus ordinum Imperii fœderibus, vt Imperator excipiatur, ſed & ex Vnione illa confraternitatis inter domos Saxonicam, Haſſiacam & Brandenb. notum in perantiqua ipſum Papam fuiſſe exceptum, quod pactum cum anno 1537. renouaretur, miros motus inter Georgium Ducem Saxoniæ & alios Principes proteſtantes circa omiſſionem Papæ excitauit, in quam rem videatur Strauch. *in Diſſert. Jur. Publ. Diſſ. 9. th. 4. 5. p. m. 240. ſeqq.*

§. XVIII. Et ne quis nobis obiiciat, obſoleta hæc eſſe, prouocabimus ad *fœdus illud Rhenanum* noſtris tempotibus ſat famigeratiſſimum, ex quo patebit, ipſos confœderatos agnouiſſe, eiusmodi fœdus non poſſe aliter ſubſiſtere, quam ſi a S. C. M. prius approbaretur, quo illa ſupplicata: d. 14. Aug. 1658. S. C. M. exhibita omnino tendunt, inſimulque & hoc obſeruandum, expreſſis verbis in illo cautum, vt illud ad nullum *offen-*

mittat; eadem facilitate ſententia doctrinæ Obrechti aduerſa defendi poterit.

fensiuum] *bellum debeat* porrigi, bb) & quod ſub hac clauſula ſit confectum, *quatenus non det occaſionem vel directo, vel per indirectum pacem Germaniæ turbandi, & alienis ſe immiſcendi bellis*, quamuis, quod fœdus hocce Rhenanum neque a Cæſarea Maj. approbatum, neque a cæteris Statibus æquo animo ſuſceptum fuerit, ex illis, quæ tunc temporis hinc inde ſcriptis ventilata videre licet, de quibus Scriptis videatur *Theatr. Europ. P. 8. p. 561.* & Londorpius *in Act. Publ.* Contin. *P. 8. c. 260. ſeqq. p. 417.*

§. XIX. Notanter vero dixi, *Qua Status Imperii.* Nam quod Imperator quatenus Rex Hungariæ, Elector Brand. quatenus Rex Pruſſiæ, Dux Bipontinus quatenus Rex Sveciæ aliis *Exteris Non Statibus Imperii*, posſint bella offenſiua inferre, & cum Exteris fœdera pangere offenſiua, modo Imperii Romani tranquillitas illis non turbetur, dubio caret; Ex quibus concludo, cc) & illa fœdera, quæ a Sta-

bb) Hic arbitror, per bellum offenſiuum intelligi bellum vel iniuſtum, vel quod certè non habet prætextum plauſibilem belli iuſti.

cc) Ego concludo, ita ſe habere ſtatum imperii, ut modo bellum aliquod offenſiuum non ſit evidenter iniuſtum, ſemper posſint argumenta proferri veroſimilia, bellum iſtud iure à ſtatu imperii geri, modo non deſit potentia. Nam vti vis ſine iure eſt latrocinium, ita ius ſine viribus nihil eſt ſeu non ens morale.

a Statibus ineuntur cum exteris, si vicinis diffidentiam, parere apta, omnino esse iniusta neque sine consensu Imperatoris vim habere, imo posse ab Imperatore & Imperio ea cassari & annullari.

CORRIGENDA.

Tomi V.

Notes velim B. L. in Obseruat. XIII. de Libro Sapientiæ, ubi præcipua ratio status controuersiæ euoluenda erat, omissa quædam verba fuisse; quorum defectus facile te turbare potuit. Suppleas igitur quæso linea penultima p. 409. id quod deest, hoc modo: *determinatum est. Apocryphum vero illud est, quod declaratum nondum fuit, sed declarari tamen, vt a DEO inspiratum, potuisset &c.*



INDEX

INDEX RERVM.

A.

Arti-

C.

D.

E.

N.

O.

P.

San-

S.

T.

V.

Z.

(o)





